image
not
available



Digitized by Google


LANGIUS
1745.
LANGII
INSTITUTT.
STILI ROM.
IX
6

Digitized by Google

EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

9 . 6 . 92

E.6



M. CAROLUS HENRICUS LANGIUS, I. S.
GYMNASII LUBECENS. CONRECTOR.
SOCIETATIS TEUTONICAE LIPSIENS. COLLEGA
ET
LATINAE JENENSIS MEMBRUM HONORARIUM
NATUS A. O. R. CIϽ IϽ CCIII. d. IX SEPT.

von der Hude pinx: C. Fritzsch sculpsit. 1744

M. CAR. HENR. LANGII

GYMNAS. LVBEC. CONR. SOCIETAT. TEVTON. LIPS. ET LAT. IENENS. MEMBRI HONORARII

INSTITVTIONES STILI ROMANI

SECVNDVM

DISCIPLINAM VETERVM

PRAECEPTIS ET EXEMPLIS

ADORNATAE

ACCEDVNT

INDICES NECESSARII

EDITIO AVCTIOR ET EMENDATIOR

LVBECAE

SVMTIBVS IONAE SCHMIDT

MDCCXXXXV.

VIRIS
MAGNIFICIS, ILLVSTRIBVS, EXCELLENTISSIMIS,
CONSVLTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS,

DOMINO
HENRICO BALEMANN
I. V. L.

DOMINO
HENRICO RVST

DOMINO
GOTTHARD. ARNOLDO
ISSELHORSTIO
ICTO

DOMINO
IOANNI ADOLPHO
KROHNIO
I. V. D.

REIPVBLICAE LVBECENSIS
CONSVLIBVS
IMMORTALITER MERITIS

VT ET

VIRO

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

CONSVLTISSIMO

DOMINO

HERMANNO GEORGIO

KROHNIO

I. V. D.

REIP. SYNDICO ET CONSESSVS

SACRI PRAESIDI GRAVISSIMO

NEC NON

VIRIS

NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, GENEROSO, AMPLISSIMIS, PRVDENTISSIMIS

DOMINIS

HERMANNO WOLDT,

IOACHIMO RVMP,

MATTHAEO RODDE,

BARTHOLDO BAVERT,

IO. FRIDER. CARSTENS,
ICTO,
ANDREAE ALBRECHT
A BROEMBSE,
ENGELBRECHT BRASCHE,
MARCO TIEDEMANN,
DIETERICO BARTELS,
PAVLO VERMEHREN,
ARNOLD GOTTFRIED
BENSER,
LVDOVICO PHILIPPO
ROEKS,
HERMANNO OTTO,
MICHAEL. GOTTLIEB
VERMEHREN,
I. V. D.
PHIL. CASP. LAMPRECHT,
I. V. D.
DANIELI HAEKS,
I. V. D.
SENATORIBVS
EIVSDEM REIPVBLICAE
OPTIME PROMERITIS

DENIQVE

VIRIS

NOBILISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, AMPLISSIMISQVE

DOMINIS

HENRICO DIETERICO BALEMANN,

I.V.L. REIP. PROTONOTARIO MERITISSIMO

HERMANNO ADOLPHO LE FEVRE,

I. V. L.

ET

IOACHIMO HENRICO DREYERO,

SECRETARIIS EIVSD. REIPVBL. DIGNISSIMIS,

MAECENATIBVS,
PATRONIS
FAVTORIBVS
SVSPICIENDIS, DEVENERANDIS,
COLENDIS,
ADMINISTRATI ADHVC MVNERIS
RATIONEM ALIQVAM REDDITVRVS,
HASCE
PRIVATI LABORIS
ITERATAS ECLOGAS
SVBMISSO ANIMI CVLTV
PROLIXOQVE ADFECTV
OFFERT,
CONATVSQVE SVOS
IN IVVENTVTIS VSVM SVSCEPTOS
ET PORRO SVSCIPIENDOS
DE MELIORI NOTA
COMMENDAT
FAVOREMQVE PERPETVVM
IN SCHOLIS
INQVE IVVENTVTE DOCENDA
OCCVPATIS
SVMME DESIDERABILEM
PORRO SIBI EXPETIT,

SIMVL VERO

VT

ILLORVM CONSILIA

PATRIAE PROFICVA,

TEMPLIS AC SCHOLIS FELICIA,

CIVIBVS SALVTARIA,

EVADANT MANEANTQVE,

PROQVE

SINGVLORVM

VITA, INCOLVMITATE, FELICITATE,

ARDENTISSIMA VOTA

NVNCVPAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR DEDITISSIMVS

AVCTOR.

LECTORI

LECTORI
ROMANAE LINGVAE
FAVTORI
SALVTEM!

MAGNAM eſſe romanae linguae non utilitatem modo, ſed et neceſſitatem, qui demonſtrare ſuſciperet, *noctuas ferre athenas*, quod in prouerbio eſt, merito crederetur, tot enim iam illud argumentum uiris ſummis expoſitum eſt, totque, uel ab uno italo, VBERTO FOLIETA, rationibus diſceptatum, ut, qui aliter ſtatuere praefracte contenderet, omnibus debere ludibrium exiſtimaretur haud iniuſte.

AB iis autem, qui adſpirant ad linguae huius cognitionem, duplex plerumque uia iniri ſolet. non deeſſe, qui ſine ſolidiori aliqua inſtitutione, ſolius ingenii, uel lectionis confuſae aut promiſcuae auxilio, eam ſibi facultatem pollicentur, triſtiſſima docet experientia. contra

ea uero etiam inueniri, qui ſolidam omnino inſtitutionem, qua, non facilius tantum, ſed certius etiam, ad illam ſermonis latini copiam ac maieſtatem perducatur iuuentus, neceſſariam iudicant, tot eruditorum, in hac palaeſtra deſudantium, ſcripta ſatis ediſſerunt. illos iam quidem non moror, quos aliquando temerarii ſui conſilii certe poenitebit, quiue haud raro miſerandas huius negligentiae poenas dare coguntur: hos autem omni laude dignos merito arbitramur.

NEQVE tamen iſti, ad quos iam prouocauimus, quorumque praecepta etiam ſeruamus, eamdem prorſus in hoc negotio rationem ſequuti ſunt. alii quum eam, quam ipſi non ſatis callebant, linguam docere adgrediebantur, aut ſuis praeceptis ſtribliginem inducebant ſermoni; aut ſtilo ſuo, quod pulcre ſatis praeceperant, peſſime deſtructum ibant. alii, quibus melior natura ſagacius largita erat ingenium, partim doctrina ſua, partim ſuomet exemplo, qua eatur ad latium, uiam tutiſſimam pandere, iterque communire, penitus conati ſunt. utrumque hoc auctorum genus, illorumque inſtitutum excuſſimus in prolegomenis: in quibus libere de iis ſententiam diximus.

IN hac uero ſocietate cur meum quoque profitear nomen, *meaſque* aliis adiiciam *inſtitutiones*, paucis nunc, LECTOR, haud grauatim accipe!

QVAM

PRAEFATIO.

QVVM IENAE ante *hos decem annos*, humanioribus litteris priuatim docendis operam nauarem, eſſentque iuuenes, qui mea vellent ad romanorum linguam manuductione uti: circumſpiciebam libellum, quem potiſſimum hiſce praelectionibus deſtinarem. placebant tum, et recte placebant, excellentiſſimi HEINECCII *fundamenta ſtili cultioris latini*, quae aliquoties meis in ſcholis inluſtraui. quum uero copioſior eſſet materies, quam quae intra ſemeſtre ſpatium caedi plene poſſit, eſſentque, qui breuius aliquod compendium deſiderarent: ipſe manus admouebam labori, theſesque aliquot, ex optimis huius generis auctoribus decerptas, iuſto nexu conſcribebam, quas deinde explicationibus inluſtrarem atque exemplis.

PLACVIT poſt haec ſummo numini, mihi anno CIƆIƆCCXXVIII. locum aliquem inter *gymnaſii lubecenſis doctores publicos* adſignare: ubi priuatis in horis id ſemper operam dedi, ut, praeter prima philoſophiae fundamenta, poeſeosque uernaculae inſtitutiones, ſolidiora etiam romanae linguae praecepta inſtillarem. adhibebam ad hanc rem eas theſes, quas IENAE iam delineaueram, easque, ut dies diem docet, quotidie fingebam et refingebam, prout iuuentutis eas ſtudiis utiliores ſentiebam, et diſcebam experiundo.

VERVM quod multis, qui praecepta ſua dictant in calamum, ſolet accidere, ut uel minus recte capiatur illorum mens, vel nimium

tem-

temporis elaborationibus praeripiatur, id niſi mihi etiam, ſaepe dolenti, fatear uſui ueniſſe; certe mentiar. hiſce ergo incommodis ut occurrerem, ſummo ſtudio denuo perlegebam opuſculum, multisque ex ARISTOTELE, PHALEREO, THEONE, APHTHONIO, CICERONE, auctore ad HERENNIVM, QVINCTILIANO praeceptis augebam; et quum eſſet, qui ſumtus ferret bibliopola, facile adducebar, ut eo indice quem praemiſi, opuſculum prelo committerem.

ATQVE ſic in commune nunc prodit libellus, iuuentutis maxime uſibus deſtinatus. quid in eo praeſtitum (*) a me ſit, quidue ſubſidiorum ad hoc caſtius dicendi genus adtulerim, illi conſtituent, qui cogitationes meas, qua fas eſt, cura perpenderint.

CETERVM uti in id genus ſcriptionibus nil niſi noua promittere, uanum eſt: ita nihil conari, quod aut planius exponi, aut plenius tractari queat, ignauum merito habetur. hinc, quid aliorum ingenio debeam, nusquam reticeo; fontes omnibus communes, quantum fieri potuit, conſulo; in plerisque tamen, praeſertim quod ad exempla adtinet, meis copiolis utor: ut adeo aliorum ſcrinia,

(*) index, quem ſubiunctum uides, auctorem agnoſcit iuuenem peregregium, CHRISTIANVM MASIVM, CAMINO-POMERANVM, qui ut in his rebus ſatis exercitatus eſt, ita et fauorem lectorum ſibi conciliaturum eſſe, non dubito.

ſcrinia, uel intacta relinquam, uel, bona illorum uenia, aditum ad illa quaeram.

VSVM, quem, quae dei eſt gratia, ſaepe iam expertus ſum, quin iuuentus ex *uberioribus* hiſce *inſtitutionibus*, polliceri ſibi queat, equidem nullus dubito. pergam eo, quo coepi, ſtadio, et in poſterum, diuino fretus auxilio, eumdem mihi ab hoc labore, priuatis lectionibus diligenter continuando, polliceor fructum. habebunt fortaſſe et alii ſcholarum doctores in hoc opuſculo uiam planam, ad quam ditiſſimas doctrinae ſuae copias inſtruere, adoleſcentibusque prodeſſe poſſint, faxit modo beniginiſſimum numen, ut omnis iuuentus, quae per hanc linguam ad intimos eruditionis receſſus admittitur, fidelibus commonefacta praeceptoribus, ſedulam, et numquam intermorituram, litteris romanis operam impendat ac ſtudium. uale LECTOR BENEVOLE, et conatibus meis porro faue! dabam a. d. X MART.

CIↃIↃCCXXXV.

PRAEFATIO NOVA.

QVOD, hac praefandi prouincia primum ſuſcepta, uix ſperaueram, ut repetitis ſtudiis eamdem aliquando telam texurus eſſem; id quum praeter omnem ſpem et exſpectationem accidit, eſſe non nulla, quae TECVM, L. B. communicem, facile hariolaberis. intra enim hoc decennium, ex quo *inſtitutiones* meae *ſtili romani* publice proſtant, multa, quae ad cultiores litteras pertinent, laetiorem ſane induerunt faciem; multa e tenebris in lucem reuocata ſunt; multa dies ipſe atque uſus docuit; nonnulla denique amicorum monuerunt litterae. haec ſi diſſimularem, aut omitterem prorſus, neque mentis ingratae maculam, neque negligentiae crimen ullo modo poſſim effugere. hinc ut multa limarem, multa polirem, alia emendarem, alia ſupplerem, in ordinem cogerem reliqua, ornatiusque adeo et aliquot octernionibus auctius darem opuſculum, quum ipſa rei dignitas poſtularet, tum aduerſus homines eruditos reuerentia ſuadebat.

VT

VT uero, quae in repetitis hiſce ſtudiis a me praeſtita ſint, ordine cognoſcas, iam quidem paucis accipe.

PRIMVM ſi quae nouae librorum a me commendatorum prodierunt editiones, indicatae ſunt omnes; nouaeque praeterea vel tum nondum editorum, uel mihi ſaltim non uiſorum recenſiones librorum adiectae; ut vel hac ex parte, quantum in me eſſet, perfectior labor euaderet.

DEINDE quae loca ex ARISTOTELE, PHALEREO, THEONE, LONGINO, LVCIANO, APHTHONIO, graece tantum in prima libri editione producta fuerant, ea de amicorum conſilio latine uerſa ſubieci: ut et illi iuuenes, qui ſine praeceptoris auxilio proficere coguntur, nihil admodum, in quo poſſint offendere, inueniant.

TVM ex quorundam humaniſſimorum hominum litteris id mihi datum credidi, ut praemiſſo ſingulis capitibus conſpectu, quae ſint prima dicendorum initia, quoue ſe ordine ſingula excipiant, uno uelut obtutu lectores peruideant, et quaſi contemplentur in compendio.

PORRO quod ERNESTIANA CICERONIS editio iuuentuti hodie eſt commodiſſima et maxime parabilis: loca iſta, quae his ex fontibus larga manu hauſeram, ad illius paginas reuocaui omnia.

DENI-

DENIQVE indicis etiam hanc rationem habui, ut et auctior multo et adcuratior iam appareat; neque tamen quidquam in ordine immutatum ſit. res enim atque auctores amico iſthoc connubio aeque commode poterunt inueniri, ac ſi in geminos indices diſtractum negotium eſſet.

AD EXTREMVM quum iuuentutis ante omnia ſaluti conſulere ac proſpicere debeamus: in quibusdam capitibus diſtinctius paullo, quaedam tractanda erant et diſtributius, uel in minores diuidenda particulas; quod uti in aliis, ita cum primis in capitibus de *ſtilo ſublimi*, *philoſophico*, item hiſtorico factum recordamur.

CETERVM ut et repetito hocce labore iuuenum commodis atque utilitati ſeruiamus, eumdemque fructum, quem prima tulit editio, ex innouata etiam percipiamus, eſt, quod ſubmiſſis ab omnis boni fonte precibus decentiſſime contendimus. dabam LVBECAE a. d. XIII. MART. CIƆIƆCCXXXXV.

INSTI-

INSTITVTIONVM STILI ROMANI PROLEGOMENA.

DICENDORUM ORDO.

Stilus romanus quid complectatur? §. I. ſtilus metaphorice ſumitur pro dicendi genere, opus eſt ad eum fideli magiſtro. §. II. quid differat ſtilus et eloquentia? §. III. facultas ſtili omnibus linguis communis eſt, et haec praecepta ſingulis adplicanda § IV. hae praeceptiones praecipue ad latium ſpectant, aliis tamen adplicari poſſunt linguis §. V. auctores diiudicantur, qui praecepta ſtili latini ediderunt. ex recentioribus primus eſt IOA. SCHEFFERVS §. VI. IO. HENR. BOECLERVS §. VII. IACOBVS MASENIVS §. VIII. FRIDERICVS REDTELIVS § IX. SAMVEL GROSSERVS §. X. IO. MICHAEL WEINRICHIVS §. XI. CHRISTIANVS HENRICVS WEISSIVS §. XII IO. GOTTLIEB HEINECCIVS § XIII. FRIDERICVS ANDREAS HALBAVERVS § XIV. IO. GEORGIVS WALCHIVS § XV. LAVRENTIVS REINHARDVS § XVI. noſtri inſtituti ratio §. XVII.

§. I.

STILVM romanum quum paullo adcuratius exercere conſtitutum nobis ſit ; ita quidem, ut non elegantiam ſolum omnem, ornatum, dignitatemque, ſed et diuerſa ſtili genera, mediaque ad eum exercendum neceſſaria, (*) proponamus: ante omnia in nomen, remque per illud indicatam, ut inquiramus, naturae poſtulat ratio.

(*) hanc enim uiam ingreſſi totum iter, quod ad latium ducit, feliciſſime conficiemus. primum explicanda res eſt, eiusque conſiderandae adtributiones; tum diuerſitas iſtius rei determinanda, et exponenda; denique, quibus ad rem conſequendam opus eſt, media proponenda ſunt. ſic uſus faciet artificem, et nihil, quod ad inſtitutum neceſſario requiritur, noſtram effugiet induſtriam.

§. II.

VOCEM ſtili metaphorica heic ſumi ſignificatione, uel inde clarum eſt, quod antiquiores hac uoce *inſtrumentum* deſignabant (1), cuius ope litteras cereis inſcribebant tabulis. poſt ea uocem adhibebant ad indicandum *dicendi genus*, quo cogitationes exprimuntur; qua in re ſequuti eos ſunt omnes. quem ad

ad modum uero non uniuerſi homines eadem felicitate mentis ſuae ſenſa exprimunt: ita commodiſſime accidet illis, qui fideli gaudent praeceptore, (2) cuius inſtitutione diſcant, quo modo ſuas quasque res eleganter, concinne, pulcreque debeant explicare. nec male romana de lingua merentur, qui in eam, quam ipſi ſequuti ſunt, uiam alios quoque ſtudent inprimere.

(1) pertractat haec copioſe SCHEFFERVS de *ſtilo illiusque exercitus p. 1. ſeqq.* it. uenerab. WALCHIVS in *hiſtoria critica latinae linguae p.* 146. ut crambem bis coctam adponere uerear.

(2) quamuis adſint praecepta utiliſſima, normae breues, libelli optimi: hebes tamen eſt iuuentutis acies, et ducem requirit uiarum peritiſſimum; qui manu quaſi, deuitatis ambagibus, ad arcem doctrinae ducat. quid uero dolendum magis eſt, quam carere iuuentutem ſaepe doctoribus, rerum peritis? quum ex parentum incuria priuatis traditur magiſtris, qui rus olent ipſum et ſtiuam, nihilo tamen minus, romanam docere linguam, praefracte ſibi ſumunt. felices ſane praedicandi ſunt, quibus doctores dantur, ex quorum exemplo plus, quam regulis, queant utilitatis capere! conferendus omnino eſt FABIVS *inſtitut. orator. lib. I. cap.* 11. *p.* 17. *edit.* BASIL. MDLXXXI. 8. adde, ſi placet, uitam NICODEMI FRISCHLINI a me conſcriptam p. 12. *edit. ſecund.* et auctores ibi productos,

 §.

§. III.

MAGNA uero intercedit inter *eloquentiam* et *ſtilum* differentia. *illa* enim docet, qua ratione de rebus, quae occurrunt, copioſe et grauiter, ad animos hominum commouendos dicendum ſit: *hic* uero animi tantum ſenſa, iam in ordinem redacta, exprimere, uocibusque res adcurate ſignificantibus proponere, quaeritat.

§. IV.

FACVLTAS iſthaec, qua, quae cogitata ſunt animo, uerbis perſpicuis, propriis, elegantibus, explicamus, omnibus omnino linguis communis eſt; neque ullam temere commutationem patitur. quicumque nimirum linguae alicuius naturam adcurate callet; et ſigna, quibus res denotantur, memoria tenet; neque generalium de ſtilo praeceptionum expers eſt: is omnium, quas quidem intelligit, linguarum magiſter, dicendique peritus haberi poteſt. ea namque differentia, quae inter linguas intercedit, non niſi ad ſigna reſpicit(*), quibus idearum natura exprimitur; et illorum nexum conſiderat. quum igitur notionum ordinem, naturam, nexum, mente

mente concipias: facile eſt, linguae unius ideas in alterius loco ponere, atque adeo ſcribendi rationem elegantem in omnibus linguis adſequi.

(*) ad ſigna etiam refero ſignorum iuncturam grammaticam, linguaeque idiotismos, quibus altera diſcernitur ab altera. res ipſae iunguntur mente: ſignorum tantum, quibus exprimuntur illae, ratio diuerſa eſt.

§. V.

ITAQVE quum labor hic noſter ſtilo exercendo uertandoque dicatus ſit; nos quidem ad latinum ſermonem addiſcendum maxime eſſe reſpecturos, facile clarum eſt: proponemus tamen id genus obſeruationes, quas in ſingulis quisque linguis, qui ad illarum ingenium adtendat (*), in uſum ſuum recte poterit adhibere.

(*) praeceptiones enim eo tendunt, ut de humilibus ſubtiliter et ſubmiſſe, de magnis grauiter, de mediocribus temperate discamus edisſerere: haec de genere uniuerſo agunt, et ad ſingulas adplicari linguas facile poſſunt.

§. VI.

NON deſunt idem ſequuti conſilium, qui de ſtilo romano, ſpeciatim adornando, quaedam memoriae prodiderunt:

 quo-

quorum recenſere labores, noſtri deinde rationem inſtituti exponere,' mens eſt. antiquiores iam quidem ſilemus, quos licet ex uiri celeberrimi IO. GEORGII WALCHII *hiſtoria critica latinae linguae* haurire. (1) qui uero ex recentioribus aliquam huic ſtudio adhibuerunt operam, in iis celeberrimus eſt IOANNES SCHEFFERVS, bibliothecae quondam upſalienſi praefectus, iurisque naturae et gentium profeſſor, quem dicunt, honorarius. hic partim de *ſtilo eiusque exercitiis* (2) praecepit, partim, *gymnaſium ſtili* conſcripſit. uterque libellus primam lucem adſpexit VPSALIAE, MDCLIII, 8. recuſus in aliis IENAE MDCLXXVIII, 8. neque is ſua laude, qua floruit adhuc, priuandus eſt; cum primis ubi ueterum rationem diſcendae linguae latinae inluſtrat: admiſit tamen uoces quasdam, latinis auribus non conſuetas; deſunt etiam capita non nulla maxime neceſſaria, in quibus, quod de *caſtu linguae latinae* agit, principem locum obtinet.

(1) p. 139. ed. LIPS. MDCCXXIX. 8.

(2) totum negotium XIV incluſit capitibus. agit enim cap. I. de *ſtili definitione et fine.* p. 1. cap. II. de *materia ſtili et multiplici diuerſitate.* p. 11. cap. III. de *mediis ad ſtilum neceſſariis* p. 20. cap. IV. de *lectione in uniuerſum, ea-*

que

que ſeorſum, quae facit ad copiam p. 25. cap. V. de *lectione ad imitationem* p. 39. cap. VI. de *lectionis modo et tempore*. p. 52. cap. VII. de *auſcultatione* p. 67. cap. VIII. de *iudicio, emendatione, retractatione*. p. 80. cap. IX. de *communicatione, commisſione, recitatione* p. 95. cap. X. de *iudicii ex communicatione, recitationeue capiendi modo, uſuque* p. 113. cap. XI. de *excerpendi ſtudio*. p. 126. cap. XII. de *libris excerptorum eorumque ratione*. p. 134. cap. XIII. de *ſcriptione* p. 157. cap. XIV. de *iis, quae ſcribenda ſunt* p. 172.

§. VII.

NEQVE huic ſtudio deeſſe uoluit IO. HENR. BOECLERVS, hiſtoriarum quondam in argentinenſium ſchola profeſſor. reliquit enim diſſertationem, *de comparanda latinae linguae facultate* (1), quae plerumque libello SCHEFFERI ſolet adiungi. praeterquam uero, quod non deſunt, qui BOECLERO hunc fetum abiudicant, (2) poſtumus certe eſt, qui, ultimam limam haud expertus, multa in melius commutanda et emendanda continet.

(1) quatuor capitibus pertractat inſtitutiones ſuas. cap. I. de *auctoribus* agit *ad hunc ſcopum praecipue et proprie adcommodandis*. p. 4. cap. II. de *adcommodatione ipſa*, *h. e. de tractatione horum auctorum*. p. 18. cap. III. de *exercitationibus ad imitationem eorum ducentibus*, *ſeu de ipſa imi-*

imitatione auctorum. p. 33. cap. IV. de *adiumentis quibusdam totius laboris, et obſtaculis non nullis et turbamentis huius ſtudii* p. 51.

(2) uid. clariſſ. HALLBAVERI *inſtit. ſtili* p. 269. exſtat epiſtola ipſius BOECLERI ad IO. ANDR. BOSIVM data, quae legitur in *den unſchuldigen Nachrichten ad ann.* 1736. 2. *Beytrag p.* 142. qua non tantum uehementiſſime iraſcitur bibliopolae BIELKIO, qui, ſe inſcio, libellum ediderat; ſed ſuppoſititium etiam, maleque ex ſermone ſuo exceptum, ſaepeque interpolatum declarat, hominemque malae fidei iure meritoque dicit.

§. VIII.

SPECTAT huc quoque IACOBI MASENII, e lutherano ieſuitae, *palaeſtra ſtili romani, quae artem et praeſidia latine ornateque quouis ſtili genere ſcribendi complectitur* edita (*), COLONIAE MDCLXXXIV. 8. ut uiro huic non denegamus doctrinam: plura tamen complexus mente eſt, quam ſtili ratio poſtulat; ſi quidem uniuerſas antiquitates romanas, aliaque ad philologiam ſpectantia, ſimul inmiſcuit, turgidumque ſaepe dicendi genus prodit.

(*) exſequutus eſt hoc ſuum inſtitutum quinque libris, quorum I. decem capitibus de *praeparatione ad eloquentiam neceſſaria* praecipit, p. 6-18. lib. II. capitibus XXVI. omnem *de eloquutione eiusque characteribus ac ſtili diuerſitate* doctrinam complectitur p. 119-301. liber III quin-

quinque capita de *eruditione romana ex graecis* continet: lib. IV. *compendium antiquitatum et graecarum et romanarum* comprehendit, ſiquidem XLIX. capitibus de *ornamentis eloquentiae ab antiquitate graeca et romana* agit. p. 1-199. liber denique V. de *ratione ſcribendi dialogos, epiſtolas et hiſtoriam* XV. capita conſtituit, a p. 200-326.

§. IX.

SEQVVTVS eſt eum in tradendis elegantioris ſtili praeceptis M. FRIDER. REDTELIVS ſubr. ſcholae ſedinenſis, cuius *collegium ſtili* (*) FRANCOFVRTI, et LIPSIAE MDCLXXXV. 8. prodiit: in quo diſcrimen latinae linguae, ratione materiarum proponendarum, breuibus incluſit lemmatibus, exemplisque inluſtrauit; uariandi quoque ſermonis artificium exhibuit et oſtendit. regulae, quas tradit, contemnendae haud ſunt: ipſe tamen ſaepius contra eas peccat, purique ſermonis cultum non uidetur ubique eſſe adſequutus. (**) taceo lacunas, quas reliquit.

(*) diuiſit uir hic eruditus opuſculum ſuum in *doctrinam generalem et ſpecialem*. illa IX. complectitur membra: haec VIII. *illius* membr. I. agit. de *ſtili nomine ac definitione* p. 1. II. de *ſtilo et orationis diſcrepantia, deque eius decentia et promtitudine* p. 5. III. de *praeformando ſtili adparatu* p. 7. IV. de *materia ſtili* p. 8. V. de

ſtili forma eiusque diuiſione tripartita p. 13. VI. de *uſu*. *ſeu adplicatione ſtili adcommoda*, *generaliter conſiderata* p. 24. VII. de *ſtilo familiari*, *ſeu ſimplici* p. 28 VIII. de *ſtilo elaborato et graui* p. 29. IX de *ſtilo nitidiſſimo et comto*, p. 30. *huius* membrum I. diſſerit de *ſtilo dialogiſtico* p. 31. II. de *ſtilo et adparatu epiſtolographico* p. 43. III. de *ſtilo didactico* p. 62. IV. de *ſtilo hiſtorico* p. 81. V. de *ſtilo oratorio* et *epidictico* p. 95. VI. de *ſtilo acuto et ſententioſo*, *inſeruiente proſopopoeiis*, *hiſtoricis*, *dramaticis*, p. 129. VII. de *ſtilo encomiaſtico*, *conueniente praefationibus* et *adlocutionibus ad magnates ut et programmatis* p. 140. VIII. de *ſtilo florido conueniente ſatyricis et apologeticis et miſcellaneo*. p. 156. accedit denique duplex appendix. I. de *artificio uariandi*, p. 175. II. de *praecipuis perorandi modis* p. 180. accedit index rerum.

(**) ut ſpecimen latinitatis, qua utitur noſter, edamus, lubet initium praefationis adſcribere, ita uero: *quum*, *L. B. olim mihi adhuc iuueni*, *meisque tum combennonibus*, *ſub ueneranda auctoritate et perſpicaci uiri*, *hoc artis genere*, *tunc temporis*, *eminenter inſignis*, *et inſigniter eminentis*; *iamuero inter indigetes de hac miſeria ſuperata triumphantis*, *moderamine*, *occaſio ſtilum latinum rite et ſcite exercendi excolendique offerretur*; *eam negligere*, *nec obuiis ulnis amplexari*, *MIHI religio erat*, *in animo VOLVTANS et cum eo STATVENS*, *ſatius et magis in rem meam*, *maiorique ex uſu fore*, *ſi*, *more mancipis*, *propolaeue lucrum inhiantis et adnitentis*, *hic negotiando*,

do, lucrando, et praemiando ſudarem, quam cum ſomniculoſo ENDIMIONE deſidioſe ſterterem, aut in grabato, uel ſcympodio quodam quadrupes iacerem et oſcitarem, unamemor illius CATONIS: cetera, qua ENNO DIANA totam praefationem eloquentia onerat dicam, an maculat ?

§. X.

QVI gorlicenſi gymnaſio praefuit, SAMVEL GROSSERVS, licet meritis eum ſuis defraudare nolim, uix tamen eſt, quod de *iſagoge* ſua *ſtili romani* (*) multum glorietur. quamquam enim, quod propoſuit ſibi, inſtitutum laudandum ad modum ſit, neque induſtriae quidquam in ſe deſiderari ſit paſſus: non tamen labori reſpondet ſucceſſus, romanique natura ſermonis haud ſatis ab eo expreſſa eſt. ipſa libri inſcriptio (**) ea ueſte ſubornata incedit, quam laceram uariisque conſutam laciniis iudicabunt latii cultores. prodiit hoc opuſculum, egregiis ſane refertum praeceptis, LAVBAE MDCCIII. 8. neque poſt haec, quod ſciam, repetitum eſt prelis.

(*) conſiderauit is ſtilum in *abſtracto* et in *concreto.* illud agit parte *generali*: hoc *ſpeciali.* pars generalis V. capitibus concluſa eſt. cap. I. tractat de *rectitudine* p. 3. cap. II. de *puritate et proprietate* p. 13. cap. III. de *concinnitate* p. 25. cap. IV. de *ornatu* p. 34. cap. V. de *emphaſi* p.

p. 48. ſubiungitur epilogus, continens *iſagogen in ulteriorem praxin* p. 62. pars ſpecialis totidem conſtat capitibus. I. differit de *ſtilo oratorio* p. 76. II. de *ſtilo hiſtorico* p. 88. III. de *ſtilo epiſtolico* p. 94. IV. de *ſtilo philoſophico* atque *poetico* p. 100. cap. V. de *ſtilo aſiatico*, *attico*, *laconico* p. 115. accedunt augmenta quaedam et inluſtrationes.

(**) ita habet integra libri inſcriptio, *M. SAMVELIS GROSSERI, gymnaſii gorlicenſis rectoris, iſagoge ſtili romani, ſeu manuductio ad comparandam latinae linguae facultatem, tum* in abſtracto, tum in concreto *ſpectatam, ſuccincte propoſita et perſpicue illuſtrata. acceſſerunt orationes duae* prior, *de flore ſcholarum*, altera *de auctoritate praeceptoris. impenſis IOHANNIS GOTTLOB LAVRENTII bibl. gorlic. imprimebat laubae IO. CHRIST. STREMEL anno* 1703. 8.

§. XI.

NON male in eorum, qui de praeceptis ſtili ſolliciti fuerunt, cenſum forte referas IO. MICH. WEINRICHIVM, lycei tum meinungenſis inſpectorem, uirum, qui adcurate, quamuis libere, ſententiam ferre conſueuit, uerumque et prudentem eloquentiae genuinae profesſus amorem eſt. non ſpeciatim quidem hanc pertractauit materiam; opuſculum tamen eius, quod germanica exaratum lingua, *erleichterte methode die humaniora mit*

mit nutzen zu treiben, inſcripſit, ita ſe habet, ut omnino, heic ſuum tueri locum poſſe, uideatur. lucem adſpexit (*) COBVRGI MDCCXXI. 8. neque eſt, (**) quod in eo iure deſideres, niſi breuitatem nimiam, cuius tamen, pro finis ſui ratione, ſtudioſus eſſe omnino debuit, forte adcuſes. de STARCKII, LANGII, aliorumque laboribus uide WALCHIVM *in hiſtoria critica latinae linguae p. 144. editionis recentisſimae.*

(*) quinque ſunt capita, quibus omnem materiam, quae huc ſpectat, exhauſit. cap. I. de *ſtilo eiusque diuiſionibus.* p. 1. cap. II. de *praerequiſitis ſtili.* p 9. cap. III. de *mediis ad ſtilum ducentibus, cum primis de lectione et imitatione auctorum.* p. 70. cap. IV. de *meditatione.* p. 147. cap. V. de *exercitatione*, quo refert *translationes*, *chrias*, *epiſtolas.* p. 215 - 310.

(**) illud tamen praeterea in opuſculo, qua dicendi rationem, requiras merito, quod non puro eſt uſus linguae uernaculae nitore; ſed uarias huic purpurae, tam gallicas, quam latinas adſuit lacinias: niſi forte conſueto tum temporis docendi generi adſcribere, uel ſeculi genio uelis adtribuere. quo etiam referas, libello germanico latinam praefixam eſſe dedicationem.

§. XII.

NON male de noſtro hocce ſtudio meri-

ri-

ritus quoque eſt CHRISTIANVS HENRICVS WEISSIVS, lycei chemnitienſis conrector (*) qui et terſisſimo incedit dicendi genere, et opuſculum dedit elegantibus refertum praeceptis. optandum fuisſet, ut non ab omni abſtinuiſſet exemplorum uſu, et minutioribus capita diſſecuisſet membris: quum ea, quae integra continuantur oratione, difficilius retineri ſoleant. ſequutus tamen in eo eſt ueterum exempla.

(*) index opuſculi ſic habet: *de ſtylo romano libri quinque, quorum primus de ſtylo uniuerſim, reliqui ſigillatim, alter de illius puritate, tertius de perſpicuitate, quartus de dignitate, quintus de nitore et elegantia, exponit, auctore M. CHRISTIANO HENRICO WEISSIO lycei chemnitienſis conrectore. chemnitii apud CONRADVM STOESSELIVM anno MDCCXXIV.* 8. *in praefatione auctor inſtituti rationem reddit.* primus liber VIII. capitibus abſoluitur. cap. I. *agit* de eo, *quid ſonet uox ſtili, et quae ſint praecipuae ſtili excellentiae* p. 1. cap. II. *de ſtili romani excolendi neceſſitate et exculti utilitate egregia.* p. 12. cap. III. *quo ordine auctores claſſici ſint legendi.* p. 24. cap. IV. *de SCIOPPII et HEINECCII conſiliis, quo ordine auctores claſſici legi debeant* p. 47. cap. V. *quid in ipſa auctorum lectione ſit obſeruandum.* p. 53. cap. VI. *de imitatione auctorum claſſicorum* p. 70. cap. VII. *de uariis ſtili exercitiis* p. 85. cap. VIII. *num colloquia latina ſti-*

ſtilum corrumpant p. 98. liber II. continet XV. capita, quorum I. *quid ſtili puritas ſonet, explicat* p. 107. cap. II. *quaenam uocabula in ſtilo puritatis ſtudio uitari debeant.* p. 114. cap. III. *de impuritate ſtili ex inuſitatis uniuerſim tam priſcis, et antiquatis, quam temere nouatis.* p. 120. cap. IV. *quae uocabula noua ſtili puritati nihil obeſſe credenda ſint.* p. 127. cap. V. *quomodo non nulla impurioris nouitatis purius et latinius reddi poſſint* p. 136. cap. VI. *quae peregrina, nimis rara et poetica ſint uocabula, a quibus in ſtilo abſtinendum* p. 153. cap. VII. *quomodo a ſordidis, turpibus et obſcenis uocabulis pura ſit ſeruanda oratio* p. 163. cap. VIII. *de proprietate et ſignificantia uocabulorum* p. 168. cap. IX. *num graeca latinis frequenter interſpergere liceat* p. 177. cap. X. *de uerborum delectu* p. 182. cap. XI. *de puritate circa orthographiam tenenda* p. 190. cap. XII. *de puritate pronuntiationis, neque minus de barbariſmis et ſoloeciſmis* p. 202. cap. XIII. *de puritate formularum latini ſermonis* p. 210. cap. XIV. *de latiniſmis et germaniſmis* p. 218. cap. XV. *de puritate* circa *particulas obſeruanda* p. 229. liber III. exhibet V. capita, quorum I. docet *quam neceſſaria ſit perſpicuitatis in oratione cura.* p. 241. cap. II. *de cauſſis obſcuritatis in ſtilo, et praecipue de uerbis parum propriis* p. 248. III. *de parum recto ordine et concluſione in longum dilata, ut cauſis obſcuritatis* p. 257. cap. IV. *de aequalitate ſtili perſpicuitatis cauſa diligenter tenenda* p. 268. cap. V. *qua uia ad ſtilum perſpicuum proxime perueniatur.* p. 274. ſequitur liber IV. cuius cap. I. exponit, *quid*

quid ſonet dignitas ſtili et quid poſtulet. p. 290. cap. II. *de dignitate ſtili ex ueritatis ſtudio*, p. 296. cap. III. *de dignitate ſtili ex prudentiae ſtudio* p. 305. cap. IV. *de dignitate ſtili, ex honeſtatis ſtudio* p. 312. cap. V. *de dignitate ſtili ex obſeruato decoro* p. 318. cap. VI. *quid decorum ſtili rhetoricum circa uaria dicendi genera et illorum characteres poſtulet* p. 326. cap. VII. *quomodo dignitati ſermonis ex ſeruato decoro politico conſuli debet* p. 342. cap. VIII. *de dignitate in dictione ludicra et ſententioſa conſtanter ſeruanda* p. 347. cap. IX. *de dignitate ſtili ex oratione adfectuoſa* p. 358 liber denique V. undecim capitibus elegantias omnes exhaurit, explicans cap. I. *quid elegantia ſtili hic denotet* p. 377. cap. II. *de elegantiis ſtili grammaticis tam uniuerſim, quam per collocationem maxime*, p. 383. cap. III. *de elegantiis ſtili grammaticis per additionem* p. 392. cap. IV. *de elegantiis ſtili grammaticis per abiectionem* p. 398. cap. V. *de elegantiis ſtili grammaticis per uariationem* p. 406. cap. VI. *de elegantiis ſtili rhetoricis per tropos & figuras* p. 426. cap. VII. *quid de iſtis figuris, quas in libellis rhetoricis receptas inuenimus, ſit ſentiendum, et quis rectus illarum ſit uſus* p. 452. cap. VIII. *de elegantia ſtili logica et dictione arguta* p. 460. cap. IX. *de numero oratorio* p. 469. cap. X. *de ſuauitate ſoni* p. 487. cap. XI. *de elegantia uerborum ex rebus, quas notant* p. 494. ſequitur epilogus p. 512. in quo, cur graecorum copiis in ſtilo latino uſus non ſit, rationibus docet.

§.

§. XIII.

PRAECIPVVM uero in his ſcriptoribus locum merito, et iure quodam ſuo, uindicat ſibi francofurtenſium, nunc iterum halenſium (1), iuris conſultus et litterarum humaniorum ſtator celeberrimus IO. GOTTL. HEINECCIVS, cuius *fundamenta ſtili cultioris, regulis perſpicuis exemplisque ſelectisſimis, ex optimis auctoribus in uſum auditorii adornata* prod. recentisſime LIPS. MDCCXXXIII. 8. (2) hicce libellus, (3) partim, quod ad ordinem dicendorum ipſarumque materiarum delectum, partim, quod ad elegantem ſcribendi modum adtinet, quo cum comparetur, uix habet, cuncta ſunt cum ſuauitate quadam coniuncta, lectoremque adliciunt magis, quam auocant alii, neque proinde eſt, quod fidem temere habeas uiro, multis alias, in litterariam aeque ac ſacram rem publicam, meritis conſpicuo, LAVRENTIO REINHARDO (4) celebri gymnaſii uinarienſis conrectori, (5) HEINECCIVM adfirmanti ſua, quae bona habet, ad uerbum deſcripſiſſe ex ſchedis SCHVRTZFLEISCHII, ipſa enim ſcribendi ratio, quae HEINECCIO propria noſtro eſt, ex omnibus eius ſcriptis elucet, neque in hoc, cuius men-

tionem facimus, libello diuerſa eſt. accedit, ut, ſi quis *analecta ſtili romani* (6), quae ex B. SCHVRTZFLEISCHII ſchedis KNAVTHIVS MDCCXXV. 8. edidit, cum noſtri conferre uoluerit fundamentis, omnia alia, ni egregie fallar, certo certius animaduertat.

(1) mortuus eſt halae CIƆIƆCCXLI. d. 31. auguſti.

(2) prodiit nuper lipſiae CIƆIƆCCXLIII. 8. cura IO. MATTH. GESNERI, qui et obſeruationes ſuas, quibus auctorem modo inluſtrat, modo emendat, uncinis incluſas, adiecit.

(3) ita uerſatus eſt in hoc opere uir excellentisſimus, ut tribus partibus totam rem confecerit. poſtquam enim in prooemio de *inſtituti ratione* diſſeruiſſet, part. I. cap. I. de *fundamentis ſtili grammaticis*, p. 5. cap. II. de *fundamentis ſtili rhetoricis*. p. 37. cap. III. de *fundamentis ſtili philoſophicis*, p. 139. tractat. part. II. cap. I. praecipit de *conſcribendis epiſtolis*, p. 152. cap. II. de *orationibus uel declamationibus*, p. 167. cap. III. de *panegyricis*, p. 185. cap. IV. de *dialogis*, p. 197. cap. V. de *inſcriptionibus*, p. 206. denique part. III. cap. I. de *auctorum lectione*, p. 221. cap. II. de *imitatione*, p. 255. cap. III. de *uariis exercitiis*. p. 275. ſubiuncta eſt *ſylloge exemplorum*. p. 285. ſeqq.

(4) uide eius *inſtitutiones ſtili*, p. 44. emolliuit aliquantum iudicium hoc uir inſignis in editione recentiore p. 47. ubi iam ſic ſcribit

IO.

IO. STVRMII libellus de periodis eſt omnium utilisſimus: huius ductum ſequutus eſt C. S. SCHVRTZFLEISCHIVS, cuius de ſtilo praelectiones, quod ad doctrinam de periodis adtinet, retinuit IO. GOTTLIEB HEINECCIVS, uir ceteroquin maximus.

(5) nunc theologiae doctori, eccleſiaſtae in templo metropolitano uinarienſi, et in illuſt. gymnaſio ſ. theolog. hiſtor. et mor. P. P. ſocietatis latinae ienenſ. et teutonicae gottingenſ. ſodali.

(6) meretur et hoc opuſculum, quod, licet poſtumum, parentem tamen habuit excellentisſimum, ut delineationem eius ſubiiciamus. comprehenſae ſunt inſtitutiones ipſae capit. X. quorum I. agit de *ſtilo generatim conſiderato*, II. de *diuerſis ſtili generibus*. III. de *periodis et menſura pedum orationis proſae*. IV. de *particulis recte componendis*. V. de *inueniendis argumentis ad exornandam orationem*. VI. de *iis, quae pertinent ad oratorem ciuilem in deligendis auctoribus clasſicis*. VII. de *charactere hiſtorico*. VIII. de *quibusdam LIVII concionibus*. IX. de *conſcribendis epiſtolis*. X. de *partibus epiſtolae*. reliqua capita exemplis quibusdam et aliis anecdotis tum SCHVRZFLEISCHII, tum aliorum replentur.

§. XIV.

NON poſſum uero non, quin et paucis FRIDER. ANDR. HALLBAVERI, eloquentiae apud ienenſes profeſſoris celeberrimi, (1) mentionem iniiciam,

qui, uernacula nobis lingua, edidit, *einleitung in die nützlichſten übungen des lateiniſchen ſtili* (2) IENAE MDCCXXVI et MDCCXXX. 8, in quo libello, ut multa ſunt ſtudioſe conlecta et non ſine fructu addiſcenda: ita illud cum primis deſidero, quod non latino exaratus ſermone fuit. quamquam enim in eo conſentiam cum uiro erudito, quod grammaticae uernaculae latinis praeferendae ſint: ſtili tamen romani cultura uberior quum ab iis demum requiratur, qui, fundamentis grammaticae rite iactis, ad caſtum et elegantiam adſpirant, rectius ſane his latine ſcripſerimus; ut ex noſtro regulas exemplo adplicare diſcant luculentisſime.

(1) nunc ibidem theologiae doctoris, profeſſorisque de ſanctiore coetu praeclarisſime promeriti.

(2) eruditus hic liber tribus exaratus partibus proſtat. *prima*, quae praeparat mentes ad capiendum formandumque ſtilum, cap. I. *hiſtoriam linguae latinae* p. 1. cap. II. *fundamenta linquae huius.* p. 145. cap. III. *fundamenta orthographiae* p. 195. conſtruxit. pars II. ipſam *ſtili naturam et conſtitutionem* continens, cap. I. de *ſtilo latino generatim ſpectato.* p. 248. cap. II. de *uariis latini ſermonis generibus.* p. 270. cap. III. de *mediis ad conſequendum ſtilum neceſſariis* p. 412. praecipit, denique pars III. *uſum ſtili*

per

per exercitationes communiens, cap. I. docet *periodi ſtructuram* p. 473. cap. II. *hiſtoriarum compoſitionem.* p. 493. cap. III. *epiſtolas componendi rationem.* p. 507. cap. IV. *dialogorum diſputandique rationem.* p. 550. cap V. *orationes ſcholaſticas et ciuiles.* p. 562. cap. VI. *uaria ſtili exercitia alia, inſcriptionum* nimirum, *programmatum, proluſionumque*, et *poeſeos* rationem p. 603.

§. XV.

NEQVE reticendus eſt uenerabilis uiri IO. GEORG. WALCHII labor, qui, quamquam praecipue ad philologiam linguaeque latinae hiſtoriam litterariam reſpexerit: ſimul tamen ſuccinctas dedit regulas, quae ad ſtilum uarie formandum et excolendum adprime faciunt. ſuſcepit hoc negotium *in hiſtoria critica latinae linguae*, (*) quam LIPSIAE MDCCXXIX. 8. multis acceſsionibus auctiorem edidit. dignum eſt opus, quod ab omnibus paullo humanioribus ſedulo uoluatur.

(*) ut iuuentutem ad elegantisſimum hoc opus ſedulo peruoluendum excitem, capitum dabo recenſum; ex quo, quid quaerendum ipſi ſit, facile cognoſcet. ſexdecim omnino capita ſunt, quae ſuo deſtinauit uir excellentisſimus negotio. praemisſis enim de *philologiae indole ſtudiisque illius rite inſtituendis*, pro-

prolegomenis cap. I. de *origine et fatis latinae linguae* agit p. 17. cap. II. de *ſtili cultioris romani ratione.* p. 138. cap. III. de *praeſtantia linguae latinae, itemque diſcendi ratione.* p. 201. cap. IV. de *grammaticis latinis.* p. 239. cap. V. de *latinis lexicis.* p. 329. cap. VI. de *lectione atque interpretatione auctorum latinae linguae generatim.* p. 415. cap. VII. de *editionibus ueterum auctorum latinorum.* p. 448. cap. VIII. de *criticis latinis.* p. 501. cap. IX. de *lectione antiquorum ſolutae orationis ſcriptorum.* p. 560. cap. X. de *lectione poetarum latinorum.* p. 623. cap. XI. de *lectione ſcriptorum chriſtianorum.* p. 638. cap. XII. de *lectione ſcriptorum recentiorum.* p. 646. cap. XIII. de *obſeruatione latinae linguae.* p. 710. cap. XIV. de *imitatione.* p. 723. cap. XV. de *uariis ſtili cultioris exercitiis atque argumentis.* p. 763. ſuccedit diatriba de *litteris humanioribus.* p. 821.

§. XVI.

AGMEN claudat, quosdam enim lubens praetermitto, quem ſupra nominauimus, LAVRENTIVS REINHARDVS, uir latine ad modum doctus, atque iis, quae philologum ornant, litteris probe imbutus. quas ille conſcripſit, *inſtitutiones ſtili latini* (*) ERFVRTI MDCCXXVIII. 8. editae, magno cum fructu legentur ab iis, qui aliis inſtillare cupiunt latine ſcribendi facultatem. ſtilus, quo is utitur, purus eſt, et perſpicuus, atque ad docendum

dum perquam commodus. ideo uero, quod celeberrimus auctor breuiter atque conciſe multa dicit, exemplorumque in omnibus omittit uſum ; ad docentium magis, quam diſcentium, utilitatem eum reſpexiſſe, non uáno coniicimus augurio.

(*) habet eius libellus capita quatuor. I. de *ſtili uirtutibus* agit, et in V ſectiones diſtribuitur, quarum I. de *ſtili puritate.* p. 1. (11) *ed. poſt.* II. de *ſtili perſpicuitate* p. 18. (26) III. de *ſtili dignitate* p. 25. (31) IV. de *ſtili ſuauitate* p. 32. (37) V. de *ſtili ornatu* p. 40. (43) tractat. caput. II. quatuor ſectiones comprehendit. I. agit de *ſtilo tenui* p. 47. (49) II. de *ſtilo mediocri* p. 50. (52) III. de *ſtilo ſublimi* p. 53. (54) IV. de *reliquis ſtili generibus* p. 57. (58) cap. III. quod de *ſtili latini adminiculis* differit, complectitur ſectiones quatuor. I. de *grammaticis latinis* p. 59. (60) II. de *lexicis latinis* p. 66. (66) III. de *ueterum auctorum lectione* p. 72. (71) IV. de *ueterum auctorum imitatione* p. 89. (87) ſuccedit caput IV. de *uariis ſtili latini exercitiis* p. 95. (92) paginae uncinis incluſae deſumtae ſunt ex editione, quam uir uenerabilis hamburgi cIↄIↄccxLIV. 8 iterum prodire iusſit. inſcripta eſt membris ſocietatis latinae ienenſis, aliisque uiris, qui libellum priuatim auditoribus ſuis praelegendum ſibi ſumſerunt. accesſerunt quaedam non contemnenda. poteſt huc etiam referri ſequens opuſculum : *IO. CASPARIS POSNERI, eloqu. quondam profeſſoris ienae celeberrimi de ſtili latini cultura commentatio, commo-*

 mo-

modam auctorum claſſicorum ἀνάλυσιν, aliaque exercitia utiliſſima, additis exemplis perſpicuis, firmata exhibens. ex B. auctoris autographo edidit, tabulis ſynopticis, et uariis obſeruationibus auxit M. IO. ADAMVS LOEWIVS IENAE *ex officina CHRISTIANI FRANCISCI BVCHII* MDCCXXXI 8. uti uiro docto non omnis deneganda laus eſt, quam cum primis in colligendis obſeruationibus uariis meruit, ita, meo iudicio, praeſtitiſſet, poſtumum hunc foetum in ſcriniis retinuiſſe. uix enim publico deſtinatus videtur. in praefatione, uereor, ut cuiquam perſuadeat uir clarisſimus, neminem, niſi qui luce diuina colluſtratus ſit, ad ueram eloquentiam peruenire poſſe. aut enim CICERONI uel DEMOSTHENI eloquentiae laudem, qua florent, omnium prudentum iudicio, reddat dubiam, aut cauſa cadat, neceſſe eſt.

§. XVIII.

SEQVEMVR nos apium exempla, atque in uariis conſidentes arboribus ſeligemus, quae ad uſum noſtrum pertinere arbitrabimur. non enim adeo ſumus ſuffeni, ut, aliorum nos profeciſſe ſcriptis, negare uelimus; quin potius, obſeruationes noſtras alienis eſſe immixtas, ultro fatemur. noſtri uero inſtituti ratio uerſabitur in eo, ut, ante misſis latini ſtili uirtutibus, uariisque generibus eiusdem, ſubſidia, quibus ad caſtum linguae latinae, copiam, ornatumque conſequendum

dum utimur, ſubiungamus ſollicite; ea contra, quae ad grammatices praecepta ſpectant, aliorum labori relinquamus.

PARS I.
DE
VIRTVTIBVS STILI LATINI.
CAPVT I.
DE PVRITATE.

DICENDORVM ORDO.

Quid ſit ſermo purus, dicendi de orationis caſtu ordo §. I.
uiam nobis ad ſermonis puritatem pandit GERARD. IOAN. VOSSIVS. iudicia de eius libro §. II.
RVDOLPHVS GOCLENIVS in analectis et problematibus grammaticis §. III.
AVSONIVS POPMA et GEORGIVS FABRICIVS §. IV.
LAVRENTIVS VALLA §. V.
IO. VORSTIVS tribus libris §. VI.
MARIVS NIZOLIVS §. VII.
DANIEL GEORG. MORHOFIVS et eius editor IO. LAVR. MOSHEMIVS. §. VIII.
VBERTVS FOLIETA et IO. LAVR. MOSHEM. §. IX.
GOTHOFRED. VOIGTIVS §. X.
IO. IENSIVS et IO. ERHARD. KAPPIVS §. XI.
SIGISMVNDVS IAC. APINVS. §. XII
IO. FRIEDERICVS NOLTENIVS §. XIII.
DANIEL FRIDER. IANVS §. XIV.
noſtrum inſtitutum in eo conſiſtit, ut remotis iis, quae puro ſermoni obſtant, ipſum orationis caſtum adprobemus §. XV.
quaenam iſta ſint obſtacula, commemoratur §. XVI.
ſunt uero I. uoces antiquatae. diſcrimen inter uocabula antiqua et antiquata §. XVII.

habuit latina lingua ſua incunabula, et pueritiam, auctores de his legendi, FVNCCIVS et STEPHANVS §. XVIII.

porro EILHARDVS LVBINVS, IANVS LAVRENBERGERVS, et AVSONIVS POPMA. §. XIX.

antiquatarum uocum quaedam ſunt per ſe antiquatae, quaedam flexione tantum. recenſus priorum §. XX.

recenſus uocabulorum, poſterioris generis §. XXI.

II. obſtant puro ſermoni uoces temere innouatae. non omnem recuſamus uocabulorum nouitatem, ſequuti uiros doctos §. XXII.

et ipſam naturam rei. in auxilium ſpeciatim uocatur CICERO §. XXXIII.

HORATIVS et plures ex recentioribus idem ſentiunt §. XXIV.

quando liceat nouis uti uocabulis § XXV.

certis tamen cautionibus ad hanc rem opus eſt. *prima*, non ſine cauſſa nouas effingendas eſſe uoces, ubi ſuppetant ueteres, docet §. XXVI.

diſtribuuntur ſcriptores in certas claſſes, uel aetates §. XXVII.

quo ordine uocabula ex his aetatibus uſurpanda. poſterioribus non prius conceditur uſus, quam ubi deficiunt priores. §. XXVIII.

ſecunda cautio, formanda eſſe noua uocabula, uel ex ſimilitudine, uel ex graecis, uel ex ipſa re ſumenda, requirit. § XXIX.

tertia lectores de uocabuli nouitate monendos eſſe docet. §. XXX.

ſcriptores antiqui non carent omnibus naeuis, qui cauendi §. XXXI.

obſtant puro ſermoni III. uoces et phraſes poeticae. cauendum ergo a CVRTIO et FLORO, qui proxime a poetis abſunt §. XXXII.

obſtant IV. uoces graecae abſtinuerunt ab iis in oratione CICERO, CAESAR, NEPOS, LIVIVS. §. XXXIII.

obſtant V. uoces hibridae. quomodo iſtae uitandae? §. XXXIV.

obſtat item VI. barbariſmus, quid ille ſit? duplex eſt, uel uoce, uel ſignificatione §. XXXV.

barbariſmi labem quaenam uocabula merito ſubeant? auctores ad hanc rem utiles §. XXXVI.

ſilua barbariſmorum ipſa uoce §. XXXVII.

quaenam ſint barbarae uoces ſignificatione. ſyluula eorum §. XXXVIII.

obſtant VI. ſoloeciſmi. quinam auctores conferendi. §. XXXIX.

diuiduntur in ueros et adparentes. ſoloecismus uerus in falſa conſtruendi ratione conſiſtit §. XL.
exempla quaedam huius ordinis §. XLI.
iditiosmi uariarum linguarum temere in latium inuecti §. XLII.
ſoloecismi adparentes quinam ſint et exempla illorum nonnulla §. XLIII.
obſtant tandem uoces peregrinae. ſpecimina quaedam §. XLIV.

§. I.

PVRITAS (1) nobis *ea latini ſermonis facultas eſt, qua, praeter uoces, aetatis aureae ſcriptoribus adhibitas, illorumque phraſes coniungendique rationem, nullam, neque uocem, neque phraſin, neque iuncturam* (2) *admittimus.* nos quum huic rei nauemus operam, partim illos adnotabimus, qui ad hanc caſtitatem manu quaſi nos ducunt; partim noſtram, quam fouemus, ſententiam proferemus candide.

(1) artis hoc uocabulum perſpicuitatis cauſa retinuimus; licet, a nullo antiquorum fuiſſe adhibitum, nos non fugiat: quo ſenſu *caſtitas*, uel *caſtus linguae* criticis probari ſolet. CORNIFICIVS *latinitatem* dixit lib. IV. cap. XII. p. 182. CICERO latinum et purum ſermonem de *oratore lib. III. c.* 10. *p.* 517.

(2) omni factum conſilio eſt, ut aureae tantum aetati caſtum illum linguae adſcripſerimus. non ignoramus diſſentientium ſententias, qui, uoces ex omni aeuo deſumendas, iuncturam uel aetati aureae, uel adeo ingenii cuiusque felicitati relinquendam eſſe, arbitrantur, at enim uero quum ne ulla iam quidem gens

gens ſit, quae romanorum linguam agnoſcat uernaculam: mortua iudicanda eſt, quae aliquando flore ſuo gauiſa fuit elegantiſſimo. notum praeter ea eſt, quiritium linguam haberi cultiſſimam, quae CICERONIS tempore, et quod excurrit, floruit, quod *aureum* uocare moris eſt. quum uero ipſa ratio, ut perfectiſſimum quodque, relictis leuioribus, ſequamur, ſuadeat: ſequitur omnino, ut perfectiſſimam illam, quam diximus, aetatem normae inſtar habeamus, retineamusque. aliud tamen iudicamus, ubi explicandae ſunt id genus res, quarum, ea aetate, nulla fuit cognitio, qua de re infra uberius.

§. II.

QVI poſt renatas feliciter litteras in primis ſedulam linguae latinae caſtui reducendo impendit induſtriam, copioſeque rem pertractauit, GERARDVS IO. VOSSIVS, *quatuor de uitiis latini ſermonis* (1) *libros* edidit, quibus magnam induſtriam, copioſiſſimamque ueterum auctorum prodidit lectionem. non potuit tamen uir eruditus acerrimi iſtius critici GASPERIS SCIOPPII (2) cenſuram effugere. neque MORHOFIO ſeſe penitus commendauit, quippe qui ſelectum interdum in eo requirit. (3)

(1) lucem primam uiderant AMSTERODAMI MDCXL, in 4. auctiores deinde IX. libris prodie-

dierunt *ibidem* MDCXCV. in *folio.* quorum recenſum ampliorem dabimus infra §. XL.

(2) edidit RAVENNAE MDCXLVII. 12. *obſeruationes in quatuor libris VOSSII de uitiis ſermonis.*

(3) *polyb. tom. I. libr. IV. cap. IX. n.* 17. *p.* 116. *edit.* MDCCVII. 4.

§. III.

SPECTANT huc quoque elegantisſimi uiri RVDOLPHI GOCLENII *obſeruationum linguae latinae, ſiue puri ſermonis analecta*, quae adcuratisſimas puri ſermonis obſeruationes (*) complectuntur. quarta editio prodiit FRANCOFVRTI MDCIX, 8. referendi huc quoque uidentur non immerito *problematum grammaticorum libri IV.* eodem anno producti, qui eruditisſimorum manibus hominum ſedulo adhuc teruntur.

(*) praemittuntur hoc in libro primum *admonitiones de latini ſermonis ratione generales* XXXIV. a. p. 1—69. *exemplis optimis inluſtratae.* ſequitur *uocum et phraſium quarumdam ſelectiorum explicatio* p. 73. deinde *memoriae cauſſa quaedam differentiae uerſu comprehenduntur.* 251. porro *ſiluula copiae uerborum et phraſium idem fere ſignificantium* p. 254. *collatio latinar. et graecar. loquutionum* p. 312. de *relatiuis et reciprocis* p. 344. de *uaria conſtructione uerborum* p. 357. porro ſuccedit *ſiluula minus probatorum, inſolentium, ſoloecorum et ὑποσολοίκων barba-*

barorum et ſemibarbarorum commut. in latin. p. 381. excipiunt hanc *ciceroniana antitheta* p. 387. *analecta epithetorum* CICERONIS *nominalia* p. 467. *analecta praecipuorum adiunctorum aduerb,* CICERONIS p. 514.

§. IV.

DVM in genuina uocum ſignificatione, quae pro ſynonymis habentur, cum cura ſeiungenda ſunt a ſe; grauisſimo ad eam rem praeſidio eſſe poſſunt AVSONII POPMAE *libri quatuor de differentiis uerborum*, ſaepius in lucem (1) emisſi, et GEORGII FABRICII opuſculum (2)

(1) nimirum GIESSAE MDCXVIII. MDCLX. 8. et FRANEQVER. MDCLIV. 12. opuſculum hoc multi certe uſus eſt; dolendum tamen, nec omnia plenius obſeruata, nec eadem quaeuis adcuratione perſcripta eſſe. auctarium aliquod adiecit HIERONYMVS THOMAS, GIESSAE MDCXXXIX. 8, ſed momentum non trahit, et plura ſpicilegia reliquit. ſupplere quaedam etiam conatus eſt I. F. HEKELIVS, qui libellum hunc LIPSIAE MDCXCIV. 8 adiectis nonnullis additamentis neceſſariis recudi fecit: ſed etiam num multa ſuperſunt, quae et lima egent et ſpicilegio. repetita haec eſt editio DRESDAE MDCCXXXIV. 8. tandem lipſ. et dresdae lucem uidit MDCCXXXXI. obſtetricante uiro clarisſimo ADAM. DA. RICHTERO rectore annaebergenſi, qui nouis iisque multis ſed non ſemper praeſtantisſimis libellum auxit accesſionibus. uide obiter p. 5. in voce *perficere* it. p. 42. affectio uel affectus.

(2)

(2) index libri hic eſt: libellus ueterum grammaticorum, de proprietate et differentiis ſermonis latini perquam utilis: item de uerbis apud TERENTIVM, collectus a GEORGIO FABRICIO chemnicenſe, nunc uero opera et ſtudio M. IACOBI FABRICII, ipſius auctoris filii denuo in lucem editus lipſiae anno MDCX. 8. habet hoc praeclari libellus, quod integras FRONTONIS, MARCELLI, AGRAETII, DONATI, CELSI, CHARISII, PEDIANI, MARII SERVII HONORATI, SEXTI POMPEII FESTI, cet. labores exhibet. incommodum uero eſt, quod in locis pluribus quaerenda ſunt, quae ſcire expedit, et ſaepe occurrunt eadem.

§. V.

SILENTIO fere praetermiſſus a nobis fuiſſet LAVRENTIVS VALLA uir, ſi quis alius, latinae linguae uindex periſsimus, reliquit hic *libros ſex elegantiarum linguae latinae*, auro contra pretioſiores, atque alias quasdam obſervationes. dignisſimas, (*) quae denuo prelo ſubiiciantur.

(*) tres mihi ad manus ſunt editiones, quarum prima MOGVNT. MDXXII. 8, altera BASIL. MDXLIII. 8, tertia COLON. AGRIPP. MDLXIII. 8, prod. ſubiungitur plerumque hiſce libris *libellus de reciprocatione ſui et ſuus*; porro *adnotationes in ANTONII raudenſis errores*; et *dialogus in POGGIVM*. innotuerunt mihi praeter ea duae editiones in forma 4. quarum prior apud

apud SIMONEM COLINEVM PARIS. MDXXVII. poſterior apud eumdem PARIS. MDXLIV. prodiit, ob nimium, quo in latinarum negligentiam litterarum latus eſt, feruorem, quod ſequitur epitaphium adiectum eſt editioni meae co- lonienſi.

tandem VALLA ſilet, ſolitus qui parcere nulli eſt,
ſi quaeris, quid agat, nunc quoque mordet humum.
IVPPITER hunc caeli dignatus honore fuiſſet;
cenſorem linguae ſed timet ille ſuae.
nunc, poſtquam ſtygias VALLA eſt detruſus ad undas,
non audet PLVTO uerba latina loqui.

§. VI.

IDEM praeſtitit IO. VORSTIVS uariis libellis, qui, ut erat uir ad ornandas litteras natus, huc referri omnino merentur. edidit primo de *latinitate falſo ſuſpecta deque latinae linguae cum germanica* (1) *conuenientia*, librum BEROLINI MDCLXV. 8, quem quadriennio poſt ſequebatur de *latinitate merito ſuſpecta, deque uitiis ſermonis latini, quae uulgo fere non animaduertuntur, liber.* (2) optimo quoque iure huc reuoces eius de *latinitate ſelecta et uulgo fere neglecta* (3) librum, cui labori poſtumo amplificando et emaculando manus aliquando adiecturus ſum. lucem uidit BEROLINI MDCCXVIII. 8.

(1)

(1) non eſt haec prima libri editio. uenit enim nuper mihi ad manus, quae roſtochii MDCLII. 8. lucem adſpexit, prima ſine dubio opellae ἔκδοσις, hac ornata inſcriptione: *IO. VORSTII de latinitate, quae ſuſpecta eſſe poſſit, ac germanicae linguae conuenientia breuis diatribe.* dedicatio praeſcripta eſt nomine PAVLLI SPERLINGII, illuſtris gymnaſii bordisholmenſis rectoris. prima tantum heic ſtamina inuenies, quae in editione berolinenſi, ſupra nominata, comparent alterum tantum aucta. ſequuta hanc mox eſt editio tertia BEROLINI MDCLXXVIII. atque LIPSIAE ex officina fritſchiana MDCCXXII. 8. quarta. capitibus hic XXVII tot phraſes dicendique formulas, quae ſuſpectae uidebantur, uindicauit auctor, ut multum laudis a peritis inde retulerit.

(2) repetitus et hic liber formis eſt BEROLINI MDCLXXXII. ubi triginta tribus capitibus, quae ſibi dubia uel nullius auctoritatis uiſa ſunt, multa cum laude pertractauit. exiit etiam LIPSIAE cum ſuperiori, eodem anno.

(3) plenus libri index hic eſt. *IOAN. VORSTII uir. clar. de latinitate ſelecta et uulgo fere neglecta liber nunc primum editus. acceſſit ANDR. IVLII DORNMEIERI diſſertatio de uitioſo* CICERONIS *imitatore, cui ob materiae cognationem et inſignem raritatem iunctus eſt dialogus feſtiuus de CICERONE relegato et reuocato. addidit praefationem CHRIST. FRIDER. BODENBVRG gymn. berolin. rector.* BEROL. MDCCXVIII. 8. diſtribuit hoc opus in *partes IV.* auctor, et praemiſſo *con-*

ſpectu generali, primam partem *ſignificationibus uocabulorum neglectis* conſecrauit; cuius *caput I.* agit de *quorumdam nominum ſubſtantiuorum ſignificationibus, quae uulgo fere non obſeruantur.* p. 1. (1) recent. ed. cap. II. de *nominum quorumdam adiectiuorum ſignificationibus atque uſibus uulgo neglectis.* p. 81. (58) cap. III. de *nominum ſubſtantiuorum et adiectiuorum uſu acceſſio.* p. 110. (79) cap. IV. de *pronominum quibusdam elegantibus ac uulgo non ſatis cognitis uſibus.* p. 117. (84) cap. V. de *quorumdam uerborum ſignificationibus et uſib. fere negl.* p. 120. (86.) cap. VI. continet *acceſſionem ſpecialiorem de uerborum uſu.* p. 214. (153) cap. VII. agit *de aduerbiorum quor. uſibus uulgo fere negl.* p. 227. (162) cap. VIII. de *praepoſitionum quarumdam uſibus uulgo fere negl.* p. 244. (174) *partem II.* deſtinauit *conſtructioni uulgo neglectae*, cuius cap. I. de *conſtructione nominum et uerborum.* p. 257. (183) cap. II. de *conſtructione paſſiua pro actiua.* p. 296. (211) cap. III. de *ellipſi elegantiore et uulgo fere neglecta.* p. 306. (219) pars *tertia* deſtinata fuit, ut *de uocabulorum poſitu et collocationibus uulgo neglectis*, ageret, ſed nihil perfecit p. 314. (225) pars IV. agit de *uocabulis ipſis uulgo fere neglectis.* cap. I. de *nominibus*, *quae uulgo negliguntur* p. 319. (228) cap. II. de *uerbis quibusdam, ut grammatici uocant*, *uulgo prorſus neglectis.* p. 338. (242.) cap. III. de *particulis quibusdam uulgo neglectis.* p. 351. (251.) numeri uncinis incluſi ſpectant ad recentisſimam editionem gesnerianam, quae cum praefatione et notulis quibusdam berolini MDCCXXXVIII. 8. prodiit. ad-

adieci et ego ſupplementum aliquod ex ſolo CICERONE et cum ſocietate latina ienenſi communicaui 1739. 8. quod opuſculum etiam inſertum legitur exercitationibus ſocietatis latinae, quae ienae eſt, editis lipſ. 1741. 8. p. 150. ſeqq.

§. VII.

OCCVRRIT quoque ad calcem libri, quem MARIVS NIZOLIVS (*) *adparatum latinae loquutionis* inſcripſit, et e CICERONE conlectum edidit, *index uocum aut barbararum aut latinarum quidem, ſed non ciceronianarum*, quae commutatae ſunt cum uocibus a CICERONE adhibitis, qui diligenti lectori magno poteſt eſſe uſui, atque ad cultum linguae multum conferre.

(*) prod. hoc opus BASIL. MDXX. VENET. MDXLVIII. MDLXIII. MDLXXVI. BASIL. MDLXXXIII. FRANCOF. MDCXIII. conf. omnino WALCHIVM *hiſt. crit. lat. ling. p.* 391. *ſeqq.*

§. VIII.

MELIORI tamen cum fructu legeris clariſſimi quondam chilonienſium luminis, DANIELIS GEORGII MORHOFII, libellum poſtumum, de *pura dictione latina* (*) quem, notis elegantiſſimis ornatum, ab interitu uindicauit celeberrimus helmſtadienſium theologus, litterarumque,

ut ſacrarum ita humaniorum, callentisſimus IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS ediditque HANNOVERAE MDCCXXV. 8. uti enim magna erant MORHOFII in hiſce ſtudiis merita: ita quam felicem nactus ſit parentem fetus poſtumus, partim ipſa docet editio, partim praefatio libello antemiſſa.

(*) ſedecim omnino ſunt capita, quibus exhauſtum uoluit omnem de pura dictione laborem. primum praecipit *quid ſit pura dictio* II. de *characteribus externis purae dictionis*. cap. III de *pura dictione conſiderata ratione characterum interiorum*. cap. IV. de *proprietate uocum*. cap. V. de *proprietate uocum ex uſu aeſtimanda*. cap. VI. de *nomenclatoribus*. cap. VII. *de lexicorum et indicum ſcriptoribus*. cap. VIII. de *phraſibus earumque ſelectu et phraſiologicis ſcriptoribus*. cap. IX. de *uocibus barbaris et germanismis*. cap. X. de *uerbis et phraſibus ciuilibus et formulis latinae linguae*. cap. XI. de *obſervatione puritatis inſtituenda*. cap. XII. de *translatis, quae loco propriorum adhibentur*. cap. XIII. de *particulis earumque adcurata obſeruatione inſtituenda*. cap. XIV. de *particulis connectentibus, expletiuis earumque uariatione*. cap. XV. de *puritate dictionis ratione formae conſideratae*. cap. XVI. de *ſententia puri ſermonis*.

§. IX.

IDEM ille uir elegantisſimus, qui laborem MORHOFII nobiscum communicauit, plura ſermonis quiritum ſpeci-

cimina prodere, deque latino bene mereri ſermone uoluit, dum ſuauiſſimis VBERTI FOLIETAE *de uſu et praeſtantia linguae latinae* libris tribus, a ſe proditis, diſſertationem praemiſit de *linguae latinae cultura et neceſſitate*, qua copioſam hanc materiam paucis paginis ita exhauſit, ut ſatisfecerit multorum exſpectationi. prodiit HAMBVRGI MDCCXXIII. 8.

§. X.

NON infelix quoque ſtudium ab erudito uiro GOTHOFREDO VOIGTIO, hiſce litteris fuit impenſum. conſcripſit is *ſex latinitatis corruptae atque incorruptae indices* (*) quos non nemo LIPSIAE in lucem emiſit MDCCXXIII. 8. eleganti praefatione inſtructos. nihil forte eſt, quod in iis moneas, niſi quod auctor nusquam oſtendit fontes, ex quibus ſua hauſerit, et qua auctoritate, quae meliora putat, tueatur.

(*) index primus *uocabulorum* eſt *uulgo quidem, ſed a ſcriptoribus idoneis numquam receptorum.* II. *uocabulorum* eſt, *a latinis quidem, ſed non optimis ſcriptoribus adhibitorum.* III. *uocabula* profert, *quae latina quidem uoce, ſed barbara ſignificatione ſunt.* IV. complectitur *uocabula, quae perperam uel ſcribuntur, uel pronuntiantur, uel flectuntur.* V. indicat *uocabula latina quidem, ſed*

 non

non recte coniuncta. VI. denique *uocabula eccleſiaſtica cum latinis* commutat.

§. XI.

FACERE huc ſimul uidentur uiri clariſſimi IO. IENSII, *purae* et *impurae latinitatis conlectanea uariis acceſſionibus aucta*, (*) quae in publicum prodierunt cura uiri elegantiſſime in his rebus uerſati IO. ERHARD. KAPPII, LIPS. MDCCXXVIII. 8. quae monenda hinc inde uidebantur, maximam partem iam obſeruata ſunt a clariſſimo editore.

(*) poſt duplicem praefationem, *KAPPII* alteram, alteram *IENSII*, ſequitur *TANAQVILLI*, aut potius TANAGVIDI, *FABRI* epiſtola ad *CLAVDIVM SARRANIVM* de *ratione ſtudiorum, qualis in ſcholas et facile et magna cum iuuentutis utilitate introduci poſſit.* quam excipit *ISAACI VALKENAERII* diſputatio de *uera ratione informandae pueritiae ad elegantiam et caſtitatem latini ſermonis*: fit inde progreſſio ad opus ipſum. ſect. I. recenſet *uindicias uocabulorum uel plane damnatorum, uel quorum ſignificationes quaedam ab eruditis reiectae fuerunt*, p. 1. ſect. II. ſiſtit *loquutiones uel prorſus uitioſas, uel inter germaniſmos et belgiſmos cenſas, idonea iam auctoritate munitas*, p. 36. ſect. III. profert *uocabula, quae, ex iudicio optimorum latinitatis cenſorum, aliena et minus latina notione ſunt uſurpata*, p. 56. ſect. IV. exhibet *uocabula uel nullius, uel non ſatis idoneae au-*

cto-

eteritatis, p. 74. ſect. V. explanat *loquutiones minus latinas ac dudum eruditorum calculo damnatas*. p. 154.

§. XII.

NEC praetermittere penitus animus eſt *lexicon grammaticale* (*) SIGISMVNDI IAC. APINI, editum NORIMBERGAE MDCCXXVIII. 8. quo uoces barbarae ad indicem litterarum propoſitae, et ad ductum CELLARII in primis cum caſtioribus commutatae ſunt. opera non eſſet contemnenda, ſi locupletare et emendare opus uiro clarisſimo placuiſſet.

(*) ſuccesſit ad calcem operis adpendix triplex I. continet *particulas germanicas homonymicas*, docetque *quo modo cum latinis uocabulis ſint permutandae*. II. ſubiicit *epitheta ex CICERONE, IVLIO CAESARE, CORNELIO et CVRTIO conlectae*. denique III. *lexicon geographicum omnium locorum, regionum, inſularum, fluuiorum, et montium*, latinis uerbis redditorum ſubſequitur.

§. XIII.

SVPERAVIT tamen longisſime praecedentium induſtriam uir eleganti doctrina celebris IO. FRID. NOLTENIVS conrector ſcheningenſis, cuius *lexicon latinae linguae antibarbarum* (1) eruditorum

plauſus omnino meruit. editum eſt, HELMSTADII MDCCXXX, 8. ſelegit uir eruditus ex aliis libellis, quae ad uſum ſuum facere poterant; ſentientque prolixum inde fructum, qui adcurato ſtudio librum hunc lecturi ſunt et relecturi. altera editio longe auctior prodiit lipſiae et helmſtadii MDCCXLIV. 8. *form. auguſt.* (2)

(1) opus hoc, quod eruditisſimus auctor ex LXX. fere auctoribus, magna induſtria conlegit, quinque conſtat indicibus. I. eſt *orthographicus* ea exhibens uocabula, quorum ſcriptura uel uitioſa, uel ſuſpecta, uel obſoleta, uel dubia eſt. II. *proſodicus*, ea repraeſentans uocabula, quorum quantitas in pronuntiando, uel uitioſa, uel ſuſpecta, uel dubia ſolet eſſe. III. *etymologicus prior*, comprehendens uocabula uulgo quidem, ſed auctoribus neutiquam idoneis, aut non optima, uel notione peregrina recepta. IV. *etymologicus poſterior*, in ſcenam producens uocabula uel falſo ſuſpecta, uel raro uſurpata, uel ſingularis, at uulgo neglectae notionis, uel notabili cuidam differentiae obnoxia, uel obſoleta, uel a latinis quidem, ſed numquam aureae aetatis ſcriptoribus uſurpata. V. eſt *ſyntacticus*, exhibens loquutiones uel uitioſas, uel ſuſpectas, uel raro uſurpatas, uel uariae conſtructionis, uel propter ſingularem quamdam, at uulgo neglectam elegantiam bene notandas, uel immerito damnatas, uel notione peregrina receptas.

(2) inſcriptio huius editionis haec eſt. *IO. FRI-*

FRIDER. NOLTENII, einbeccenſis, ducalis ſcholae ſcheningenſis conrectoris, lexicon latinae linguae antibarbarum quadripartitum, cum adnexa ad calcem recenſione ſcriptorum latinorum critica, iterata hac editione ſic ab auctore recognitum, emendatum ac locupletatum, ut nouum opus uideri poſſit. accedit praefatio ſumme uenerabilis abbatis MOSHEMII cum priuilegio ſacrae caeſareae maieſtatis et polon. regis et ſaxoniae elect. opus hoc tanta induſtria et ſtudio locupletatum fuit, ut prima editio non niſi primas lineas continuiſſe noui huius laboris uideatur.

§. XIV.

EAMDEM ob cauſſam maxime ſe nobis commendat DANIEL. FRIDERIC. IANI, ſcholae torgauienſis conrectoris meritiſſimi; *lexicon philologicum purae et exercitae latinitatis*, uernacula lingua editum LIPSIAE MDCCXXX. 8. dum enim auctor doctiſſimus, qui aliis etiam ſcriptis ſuam in his rebus doctrinam erudito probauit orbi, barbariſmos, ſoloeciſmos, archaiſmos, graeciſmos, galliciſmos, italiſmos, germaniſmos, aliasque uoces peregrinas ſollicite notauit, locisque auctorum probatiſſimorum adductis ſuam firmauit (*) ſententiam: dignum ſe praeſtitit, qui prae aliis ob curam, quam adhibuit, et ſelectum, iuuentuti, ſermonis romani ſtudioſae, commendetur.

(*) praeſtitit et hoc auctor nobilisſimus, ut uoces, quae in diſciplinis uariis, rebus ciuilibus et militaribus occurrunt, non adnotauerit dumtaxat, ſed explicuerit etiam, purisque uerbis et latinis expreſſerit ita, ut ex integris auctorum locis, quae ab illo producuntur, ſenſus uerborum genuinus eo clarius pateat. in fine accesſit index copioſus uocum germanicarum, quae non tantum ſtatim exponuntur latine; ſed numeris adiectis ad partem priorem, ubi rationes copioſe ſunt additae, prouocatur.

§. XV.

PERSEQVEMVR nos elegantisſimorum uirorum impreſſa ueſtigia, quaeue de munditie et labibus in puro ſermone notanda ſunt, in compendium quoddam redigemus. aduertentes ergo ad definitionem ſupra nobis adnotatam, facile omnia, quae puro ſermoni contrarientur, ſiue uoces, ſiue phraſes, ſiue uerborum ſtructuram reſpiciant, in uitiis habenda eſſe, cognoſcemus. itaque remoueamus, quae oppoſita ſunt uitia, et per ſe digna erit romanis auribus oratio.

§. XVI.

OMNIBVS curate ac ſtudioſe penſitatis, quae ſequuntur, caſtum ſermonis impedire, obſeruabimus. 1.) *uocabula priſca*

et

et CICERONIS iam aetate in obſoletis numerata, iure uitantur. 2.) *uocabula temere innouata*, quae antiquorum uocibus rectius exprimuntur, reiicienda ſunt. 3.) abſtinendum eſt a *graecarum uocum uſu crebriori*. 4.) *uocum hibridarum*, quae ex diuerſis linguis conflantur, uſurpatio nobis improbatur. 5.) omittendi ſunt *barbariſmi*, qui in uocabulis, et 6.) *ſoloeciſmi*, qui in phraſibus regnant. 7.) prohibemur denique a *peregrinis* et non romanis *uocibus*. quae qui reiicit omnia, nae ille merito elegantiam ſibi promittet ſermonisque caſtum.

§. XVII.

QVOD primo diſſuadendum loco duximus, ad *priſcas et antiquatas uoces* adtinet. *antiquatum* dicitur, *quod nulli ob uetuſtatem uſui eſſe poteſt, atque adeo ad inutilia et quisquilias reiiciendum eſt.* itaque quum uerborum idem, qui nummorum, ualor ſit: recte uocantur *uoces antiquatae, quarum uſus CICERONIS iam temporibus ceſſauit, quaeue a nullo tempeſtatis aureae ſcriptore, niſi rarisſime forſan, uſurpantur.* confundendae tamen cum *antiquatis* non ſunt uoces *antiquae* (*), quibus CICERONIS aeuo ſcriptores uſi ſunt omnes. illarum enim

enim quaeuis ut ſunt reiiciendae; ita hae non admittendae tantum, ſed et habendae in elegantisſimis.

(*) qui ſtudioſius paullo cum recentioribus contulerit ueterum ſcripta latinorum, animaduertet facile, multas non uoces dumtaxat et phraſes, ſed ſignificationes etiam uarias, easque ſaepe rectisſimas, paullatim exoleuiſſe, ut fere ad antiquatas reiectae fuiſſe uideantur. hinc iuſtae peritorum querelae; hinc ſtudium reducendi uoces neglectas; hinc etiam VORSTII de latinitate ſelecta, uulgo fere neglecta, praecipiendi conatus.

§. XVIII.

SENSIT incrementa ſua diminutionesque lingua latina, non ſecus ac aliae. ſcimus quaſi prima illius incunabula; nota ſunt eius augmenta: nec ſummum faſtigium ignoramus. ut uero ſenſim cepit: ita ſenſim etiam decreuit et in peius mutata eſt. linguam, dum exoritur, ita elegantem et ornatam uelle, ut illae ſunt, quas multus excoluit labor et uſus emolliuit; idem eſt, ac fructus ab herba poſcere, quae nondum floruit. ſed et illi, prudentiae monita ſpernere, merito crederentur, qui *pueritiae* uocibus, *uirilis* aetatis uocabula poſtponerent, antiquatumque dicendi genus puro

ro caſtoque ſermoni praeferrent. hinc eſt, quod harum ſtatores litterarum romanum ſermonem ſecundum aetates diſpescere, ſcriptoresque, hac lingua utentes, in aliquot diuidere claſſes, inſtituerunt. hinc etiam eſt, quod uir clarisſimus IO. NICOL. FVNCCIVS libros de *linguae latinae pueritia, et adoleſcentia deque uirili aetate* (1) cum erudito communicauit orbe. ad pueritiam primaque latinae orationis incunabula in primis referuntur LIVIVS ANDRONICVS, CN. NAEVIVS, Q. ENNIVS, M. PACVVIVS, STATIVS CAECILIVS, L. ACCIVS, quorum fragmenta, in unum conlecta uolumen, edidit H. STEPHANVS PARIS. MDLX. (2)

(1) eruditisſimus hic uir plenisſimam linguae latinae hiſtoriam mente complexus eſt, et magnam partem inſtitutum optime exſequutus. edidit primum MDCCXX. 4. tractatum *de origine latinae linguae*, quem eodem anno *de pueritia* tractatus ſequebatur, quorum uterque iterum editus eſt marburg. cattorum MDCCXXXV. excipiebat hunc MDCCXXII. alius de *adoleſcentia eiusdem*, et MDCCXXVII. de *uirili aetate*. cuius pars altera ibidem MDCCXXX. lucem adſpexit. anno MDCCXXXVI. ſuccesſit *de imminenti latinae linguae ſenectute tractatus, quo decreſcens romani ſermonis robur et fata ab excesſu caeſaris OCTAVIANI AVGVSTI ad principatum usque HADRIANI imperatoris*

ris deſcribuntur, et notatu maxime digna hiſtoriae literariae monumenta inluſtrantur. tandem anno MDCCXLIV prodiit *de uegeta latinae linguae ſenectute commentarius, quo decreſcens eius linguae dignitas atque fata ab exceſſu TRAIANI usque ad principatum HONORII imperatoris, et ROMAM a GOTHIS anno p. c. n.* 410. *expugnatam, deſcribuntur et notatu maxime digna hiſtoriae litterariae monumenta inluſtrantur.* tres partes reſtant elaborandae, et optamus merito, ut laborem hunc utilisſimum ad finem mox perducat uir ornatisſimus.

(2) ſcriptores huius aeui recenſent, praeter FVNCCIVM, WALCHIVS in *hiſtoria critica lingu. latin. cap. I.* §. *X. p.* 41. *ſeqq.* HALBAVERVS *inſtit. ſtil. p.* 24. *ſeqq.*

§. XIX.

AD uoces, quas inter antiquatas et obſoletas merito retuleris, cognoſcendas pertinent labores triumuirorum celeberrimorum, EILHARDI LVBINI, IANI LAVRENBERGII, AVSONII POPMAE. nimirum LVBINVS edidit AMSTEROD. MDXCIV. 8. *antiquarium, ſiue priſcorum ac minus uſitatorum uocabulorum breuem atque dilucidam interpretationem,* (1) quo in libello ex uirorum, quos ſupra memorauimus, fragmentis, quae hodie fugienda ſint, uocabula exhibuit. IANVS LAVRENBERGIVS nobiscum com-

communicauit *antiquarium*, (2) *in quo, praeter antiqua et obſoleta uerba ac uoces minus uſitatas, dicendi formulae inſolentes, plurimi ritus, populo romano ac graecis peculiares, exponuntur et enodantur.* AVSONII POPMAE denique huc ſpectant *libri duo* (3) *de uſu antiquae loquutionis*, qui in aliis exierunt GIESSAE MDCLXXVIII. 8.

(1) conſcriptum eſt hoc opuſculum ad ordinem litterarum, et auctorum nominibus munita uocabula ſunt; ſed inſtitutum potius eſt, quam abſolutum. occurrunt etiam uoces quaedam male inter antiquatas relatae.

(2) adiecta eſt in fine uetuſtiorum uocum ex gloſſariis aliquot conlecta farrago. prodiit LVGDVNI MDCXXII. 4. habet hic uir prae LVBINO hoc peculiare, ut, quum ille, non, niſi uoces obſoletas, cum breuiori explicatione, producat; hic ipſa copioſe laudet auctorum loca. quaedam tamen ad obſoletorum claſſem reducere uidetur, quae locum ſuum in ciuitate romana cum laude poſſunt tueri.

(3) primus liber XVI. capita complexus agit cap. I. de *litterarum uocalium inter ſe commutatione.* cap. II. de *mutatione diphthongorum.* cap. III. de *conſonantium inter ſe commutatione.* cap. IV. de *litterarum in dictionibus adiectione.* cap. V. de *litterarum in dictionibus detractione.* cap. VI. de *ſyllabarum in dictionibus adiectione.* cap. VII. de *ſyllabarum in dictionibus detractione.* cap. VIII. de *extremitatibus nominum.* cap. IX.

de

de *mutatis declinationibus*, *caſibus et generibus*, cap. X. de *pronominibus*, cap. XI. de *uerbis*, cap. XII. de *temporibus et modis*. cap. XIII. de *aduerbiis*, cap. XIV. de *praepoſitionibus*. cap. XV. de *compoſitione uocum*, cap. XVI. de *diſtractione et traiectione uocum*. liber II. undecim capitibus abſoluitur. I. agit de *partium orationis inter ſe. commutatione*. II. de *permutatione caſuum*, *numerorum et generum*. III. de *permutatione temporum et modorum*. IV. de *caſibus cum nominibus iunctis praeter uulgatum uſum*. V. de *caſibus cum uerbis iunctis praeter uulgarem uſum*. VI. de *participiorum et gerundiorum uſu antiquo*. VII. de *aduerbiorum et praepoſitionum ſtructura*. VIII. de *commutatione ſimplicium et iunctarum uocum*. IX. de *iteratis et geminatis uocibus in oratione*. X. de *parelcis*. XI. de *eclipticis*.

§. XX.

SI priſcas illas uoces et obſoletas adcuratius conſideres, duplici ratione ad *antiquatas* referri, animaduertes. quaedam enim *flexionem* tantum habent *antiquatam*, cetera bonae; quaedam autem ipſae ueniunt *antiquatis* adnumerandae. has qui uſurpat, quo modo corruptoris nomen effugiet? illas autem ſi adhibeat, quo modo imprudentiae uitium deuitabit? equidem LIPSIVM ſcio, maxime huius generis flexione aliisque ar-

cha-

chaiſmis delectatum fuiſſe: quem uero fugit, quantopere hanc ob cauſſam uapulauerit uiris eruditiſſimis? non ludemus forſitan operam, ſi ex claſſe utraque, ſpeciminis cauſſa, quaedam proferamus. et primo quidem uoces per ſe *antiquatas* exhibebimus.

VERBA ANTIQVATA	PVRA.
adolabilis,	ſine dolo.
adrumare,	rumorem facere.
adſellare,	aluum onerare.
aduerruncare,	auertere.
adulteritas,	adulterium.
aeſtimia,	aeſtimatio.
aeuitas,	aetas, aeuum.
affaniae,	nugae.
aggeratim,	affatim.
aleſcere,	creſcere.
altellus,	alumnus.
andruare,	recurrere.
batuo,	uerbero.
baubari,	latrare.
bellitudo,	pulcritudo.
bigni,	gemini.
bitere,	ire.
biuirae,	uiduae.
blennus, a, um,	ſtultus.
bliteus, a, um,	inutilis, e.
bone,	bene.
bubulcitare,	boues curare.
bubitare,	ſtercorare.
butubatae,	nugae.
cacula,	ſeruus militis.
caecultare,	caecutire.
caldor,	calor.
calpar,	dolium.

VERBA ANTIQVATA	PVRA.
calumnia,	calliditas.
caluitur,	decipit.
canor,	cantus.
carinare,	probra obiicere.
carminare,	purgare.
carnarium,	macellum.
caſcum,	antiquum.
caſare,	inclinare.
catax,	claudus.
collutulo,	foedo.
columbare,	oſculari.
commetare,	commeare.
danere,	dare.
dapinare,	dapes parare.
debitio,	debitum.
degrumari,	ad menſuram dirigere.
delicare,	explanare.
depſere,	coquere.
deſubulare,	perfodere.
digeries,	digeſtio
domutio,	dominatus.
ebriulare,	inebriare.
elucifacere,	luce priuare.
endo,	in.
eritudo,	dominium.
errantia,	error.
eſurigo,	fames.
euirare,	effeminate.
exfilare,	exuere.
famulitas,	ſeruitus.
fatuus,	infans.
fauentia.	fauor.
februare,	purgare.
fellare,	exſugere.
flabellare,	flatu excitare.
fontana,	fons.
forago,	filum.
fragium,	fractura.

VER-

VERBA ANTIQVATA	PVRA.
fulmentum,	fulcrum.
futare,	arguere.
gabalus,	crux.
gallare,	bacchari.
gaudialis, e,	laetus, a, um.
genere,	gignere.
gnarigare,	narrare.
grauaſtellus,	ſenex.
gumia,	guloſus.
gurdus,	ſtultus.
harpagare,	furto auferre.
habus,	ſplendidus.
hir,	uola manus.
hirrire,	ringere.
horitor,	hortor.
hormus,	impetus.
hoſtire,	necare.
humectus,	humidus.
illuminus,	luce carens.
imbellia, ae,	ignorantia belli.
imbito,	introeo.
impatibilis,	non ferendus.
impio,	contamino.
impuritiae,	impuritates.
inanimenta,	inanitates.
inermare,	ſpoliare armis.
induforus,	ſenatus.
infimare,	deprimere.
inimicare,	inimicum facere.
inorus,	carens ore.
inquietare,	moleſtiam parere.
lacere,	decipere.
laetitudo,	laetitia.
lamberare,	laniare.
lapere,	dolore afficere.
latibulare,	latere.
legirupa,	legum uiolator.
lubidinitas.	lubido.

VERBA ANTIQVATA	PVRA.
lutulare,	foedare.
magnitas,	magnitudo.
malaciſſo,	mollem reddo.
mantare,	diu manere.
manticulari,	doloſe agere.
maxumitas,	magnitudo,
meddix,	magiſtratus.
mediocriculus,	mediocris.
merare,	moerentem facere.
mictilis,	mixtus, a, um.
minaciae,	minae.
miſerimonium	miſeria.
momar,	ſtultus.
momen,	motus.
nefans,	nefandus.
negumare,	negare.
nenu,	non.
nepa,	cancer.
nequalia,	detrimenta.
ninguidus,	niuoſus.
ningulus,	nullus.
nitiditas,	nitor.
noluntas,	interdictum.
nuncupatim,	nominatim.
oblimare,	depaſcere.
obſtringillare,	obſtare.
obſtrundo,	auide uorare.
occillare,	contundere.
ocquiniſcere,	inclinare.
oculisſimus,	carisſimus.
offendines,	offenſiones.
opacare,	operire.
opinamentum,	opinio.
opillare,	excludere.
opulentare,	ditare,
pagere,	paciſci.
particulo,	cohaeres.
paſcue,	laute.

VER-

VERBA. ANTIQVATA	PVRA,
pator, oris,	hiatus.
pauciens,	raro.
pauſare,	quieſcere.
perbitere,	perire.
perficus,	perficiens.
perperitudo,	ſtultitia.
planuria,	planities.
pollentia,	potentia.
porcere,	prohibere.
procalare,	prouocare.
procapis,	progenies.
prodigitas,	profuſio.
prognariter,	audacter.
promellere,	promere.
promeruat,	monet.
propritim,	proprie.
quips,	quis.
quotumus,	quotus.
quom,	quum.
rapinator,	raptor.
rarenter,	raro.
rebito,	redeo.
recellere,	reclinare.
redandruare,	redire.
redhoſtire,	reddere.
regleſcere,	creſcere.
remeligenes,	remorae.
repedare,	recedere.
returare,	aperire.
riuinus,	riualis.
riuora,	riuus.
runcari,	purgare.
ruſpari,	quaerere.
rutuba,	perturbatio.
ſagraba,	alluuio.
ſaeuiter,	ſaeue.
ſalapitta,	alapa.
ſalſura,	ſuauitas.

VERBA ANTIQVATA	PVRA.
ſanteſcit,	ſanctum fit.
ſardare,	intelligere.
ſarpere,	amputare.
ſegnitas,	ſegnities.
ſegrex,	ſolitarius.
ſentinare,	ſatagere ad ſentinam.
ſeptuoſe,	obſcure.
ſibus,	callidus.
ſimilitas,	ſimilitudo.
ſimitu,	ſimul.
ſolemnitus,	ſollemniter.
ſpecio,	uideo.
ſtlembus,	tardus.
ſunare,	deprimere.
ſuperrimum,	ſupremum.
ſutelium,	aſtutia.
tacuitas,	taciturnitas.
taxim,	ſenſim.
tenacia,	perſeuerantia.
tolutim,	cito, uolubiliter.
tongere,	noſcere.
tonſa.	remus
topper,	ualde, cito.
trebax,	peruicax.
trico,	moroſus.
triſtimonia,	triſtitia.
tuatim,	tuo more.
tuburcinor,	raptim manduco.
tudito,	tundo.
tuitio,	tutela.
uageratim,	ſparſim.
uanare,	fallere.
uarare,	curuare.
ueſcus,	parcus.
uerrunco,	uerto.
uetuſteſceré,	ueteraſcère.
uiocurus,	uias curans.
uiriatus,	robuſtus.

VER-

VERBA ANTIQVATA	PVRA.
uiroſus ,	luxurioſus.
uiuatus ,	uegetus.
uls ,	ultra.
undilatus ,	purus.
unoſe ,	ſimul, comprehenſim.
uruat ,	circumdat.
zamia ,	damnum ζημία.

§. XXI.

IAM etiam dabimus alias uoces, quae ſeorſum ſpectatae bonae ſunt, *flexione* tamen inſignes *antiquata*, ideoque reiiciendae. e. c.

FLEXIONE ANTIQVATA.	PVRA.
accepſo ,	accepero.
accinge ,	accingere.
adaſſo ,	adegero.
adaxint ,	adegerint.
adduce ,	adduc.
adduxe ,	adduxiſſe.
addues ,	addideris.
adminiculaui ,	adminiculatus ſum.
adorio ,	adorior.
adiuro ,	adiuuero.
adſpecti ,	adſpectus.
adſudasſit ,	adſudauerit.
aduenti ,	aduentus.
aduerunca ſſit ,	auerterit.
aeſti ,	aeſtus.
aiutamini ,	adiutate.
alid ,	aliud.
alii ,	alius.
alterae ,	alteri.

FLEXIONE ANTIQVATA	PVRA.
am cohibesſit,	eam cohibuerit.
amaſſo,	amauero.
anuis,	anus.
aperibo,	aperiam.
apor,	apud.
aptus eſt,	adeptus eſt.
arbitrabunt,	arbitrabuntur.
auſpicaui,	auſpicatus ſum.
attingem,	attingam.
aucupaui,	aucupatus ſum.
audibo,	audiam.
balineum,	balneum.
bone,	bene.
buxum,	buxus.
caelasſis,	caelaueris.
calim,	clam.
calliſcerunt,	occalluerunt.
capſit,	coeperit.
cauitio,	cautio.
celebrisſimus,	celeberrimus.
ceſſe,	cesſiſſe.
ceſtis,	ceſtibus.
clienta,	cliens.
coda,	cauda.
cohortarent,	cohortarentur.
collus,	collum.
comedim,	comedam.
comeſſes,	comediſſes
comitaſſet,	comitatus eſſet.
comparſit,	compercit.
compotiuit,	compotem fecit.
conatem,	conarer.
confluxet,	confluxiſſet.
coniuga,	coniux.
conſolaret,	conſolaretur.
conſumſe,	conſumſiſſe.
conuenibo,	conueniam.
conuenta,	conditio.

FLE-

FLEXIONE ANTIQVATA	PVRA.
cornus,	cornu.
creduas,	credas.
creſſe,	creuiſſe.
cunctant,	cunctantur.
curaſſere,	curaturum eſſe.
defuat,	deſit.
depeculaſſere,	depeculaturum eſſe.
deſpexe,	deſpexiſſe.
dice,	dic.
dicebo,	dicam.
dixis,	dixeris.
diutine,	diu.
donicum,	donec.
duis,	dederis.
effexis,	effeceris.
electabo,	eliciam.
eliſſe,	eliſiſſe.
eluctaui,	eluctatus ſum.
endo,	in.
endopeditus,	impeditus.
endoperator,	imperator.
epulonus,	epulo.
erumpitur,	erumpit.
eſuribo,	eſuriam.
eſcis,	eris.
euenat,	eueniat.
expedibo,	expediam.
exſugebo,	exſugam.
facie,	faciei.
facitur,	fit.
facul,	facile.
famul,	famulus.
faſtidilitet	faſtidioſe.
fauitor,	fautor.
faxo,	fecero.
filie,	fili.
fitur,	fit.
flucti,	fluctus.

FLEXIONE ANTIQVATA	PVRA.
foetis,	foetibus.
fructuis,	fructus.
gelus,	gelu.
geſtibam,	geſtiebam.
graduis,	gradus.
grundibat,	grundiebat,
hibus,	his,
ibus,	iis.
icti,	ictus.
im eximit,	eum eximit.
indipiſco,	indipiſcor.
iniexit,	iniecerit.
inlexe,	inlexiſſe.
interiet;	interibit.
intui,	intueri.
inuenibo,	inueniam.
iraſco,	iraſcor.
itiner,	iter.
iuſſo,	iuſſero.
labundo,	labendo.
laetauiſti,	laetatus es.
largibor,	largiar.
loqueret,	loqueretur.
magnai,	magnae.
magnificibr;	magnificentior.
memordi,	momordi.
ſpepondi,	ſpopondi.
meritauer	meruere.
mirabis,	miraberis.
nequinont,	nequeunt.
nullae, dat. ſing.	nulli.
obedibo,	obediam.
occepſo,	occipiam.
opino,	opinor.
ordibor,	ordiar.
partibo,	partiar.
peruenibunt,	peruenient.
prohibesſit,	prohibeat.

FLE-

FLEXIONE ANTIQVATA,	PVRA.
quoius,	cuius.
recſert,	refert.
redinunt,	redeunt.
ſonit,	ſonat.
ſpecii,	ſpeciei.
ſubblandibitur,	ſubblandietur.

§. XXII.

OBSTANT deinde puro ſermoni romano, *uocabula ſine ratione innouata.* ſermo nobis haud eſt de uocabulis, quibus eas res exprimimus, quarum notitia romanorum tempore nondum fuit; ſed de uocibus, quas barbarorum incuria ſaeculorum temere inuexit. itaque non diſſentio penitus ab illorum ſententia, qui rebus nouis noua inponenda eſſe uocabula, cum FRISCHLINO, FOLIETA, MOSHEMIO, HEVMANNO, REINHARDO, reliquis, ſtatuunt; modo cautiones non negligamus, in his rebus neceſſarias.

§. XXIII.

QVODSI enim deſcribendae ſunt eiusmodi res, actiones, inſtrumenta, dignitatum munerumque nomina exprimenda, quorum priſco quiritium tempore nulla prorſus cognitio fuit, uel uſus: omnino uoces ſunt *excogitandae nouae*, quibus tamquam ſignis, rei naturam com-

commentantibus, cogitata mentis exprimamus. nihil inde uel dignitati uel puritati ſermonis decedit. ipſe CICERO, (*) ſi noſtra uixiſſet tempeſtate, res nouas nouo etiam deſignauiſſet uocabulo.

(*) fecit id quoque *in oratore ſuo*, ubi graecorum *commata* et *cola* per *inciſa* et *membra* exponit, ita ſe defendens p. 709. ed. ERNEST. in 8. *neque enim eſſe poſſunt, rebus ignotis, nota nomina: ſed quum uerba, aut ſuauitatis aut inopiae cauſſa, transferre ſoleamus, in omnibus hoc fit artibus, ut, quum id adpellandum ſit, quod propter rerum ignorationem ipſarum nullum habuerit ante nomen, neceſſitas cogat; aut nouum facere uerbum, aut a ſimili mutuari.*

§. XXIV.

SVO etiam tempore facultatem hanc cuilibet ſapienti (*) conceſſit HORATIVS, u. 46. ſeq. *de arte poetica:*

in uerbis etiam tenuis, cautusque ſerendis,
dixeris egregie, notum ſi callida uerbum
reddiderit iunctura nouum: ſi forte neceſſe eſt,
indiciis monſtrare recentibus abdita rerum:
fingere cinctutis non exaudita cethegis
continget, dabiturque licentia ſumta pudenter;
et noua, fictaque nuper habebunt uerba fidem, ſi
graeco fonte cadant, parce detorta.

(*)

(*) magni quoque facio in hac cauſſa GOCLENII iudicium, qui *nouae rei*, inquit, *noua uocis ſignificatio conuenit*, *problem. gramm. p.* 66. addatur NICODEMI FRISCHLINI *praefatio nomenclatori trilingui ſuo* praemiſſa. VBERTVS FOLIETA *de linguae latinae uſu* et *praeſtantia lib. II. p.* 149. *ſeqq. edit. MOSH.* et ipſe MOSHEMIVS in *diſſertatione* his libris praemiſſa, p. 20. celeberr. HEVMANNVS de *iure linguam latinam augendi.* CHRIST. BECHMANNVS *manuductione ad linguam lat. cap.* 16. *p.* 61. IO. VORSTIVS de *latinitate merito ſuſpecta p.* 10. plures auctores adducit uenerabilis WALCHIVS *in hiſtoria critica linguae latinae* cap. IV. p. 761. *ed. rec.*

§. XXV.

ADHIBEMVS ergo iure optimo nouas uoces, quando res ſacras ſumus deſcripturi. adſumimus theologorum *ſaluatorem*, *trinitatem*, *perſonam*, *eccleſiam chriſtianam*, *coetum fidelium*, *fidem ſaluificam*, reliqua: quum, teſte TAVBMANNO, ipſe CICERO, religionis noſtrae ſanctiſſimis doctrinis ſi imbutus fuiſſet, easdem admiſſurus fuiſſet uoces. adhibemus porro noua e iuris conſultorum ſcholis uocabula. retinemus eorum *uaſallos*, *reſcripta*, *cancellarios*, *parlamenta*, *feuda*, *allodia*. dignitatum nouarum nomina, *archiducatum*, *archicancellariatum*, *archimareſchallum*, *landgrauium*, *licentiatum* non reiici-

iicimus: imo monetarum, ueſtium, armorum, uocabula, *talerum*, *groſſum*, *caneſaſſum*, *flonellum*, *flintam*, *piſtolam* (1), uſurpamus ideo, quod CVRTIVS perſarum uocabula *gazam*, *ſariſſam*, *cidarim* (2) CAESAR gallicam uocem *carrum*, (3) PLINIVS (4) *ganſam*, TACITVS *frameam* (5) retinuiſſe, addita flexione latina, leguntur.

(1) conf. eruditisſimi REINHARDI *inſtitutiones ſtili latini* p. 7. adde SEBAST. FOXIVM de *imitatione* p. 28.

(2) *gazam* habet CVRTIVS III. c. XII. 5. *ſariſſam* IX. VII. 19. *cidarim* III. III. 19. *armamaxas* III. III. 23.

(3) de bello gallico VIII. XIV. 2. I. XXVI. 2.

(4) PLINIVS in *hiſtoria natur.* lib. X. cap. XXII. p. 175. ed. GELENI. BASIL. MDXLIX. fol.

(5) de *moribus germanorum cap. VI. 2. XI. 7. XIV. 5. XVIII. 3.* ſic *ſatrapam* TERENT. *heaut. III.* I. 43. NEPOS *IV.* I. 2. ſic *acinacem* HORAT. od. I. XXVII. 5.

§. XXVI.

QVO tamen eo rectius in nouorum effictione uocabulorum uerſemur, cautionibus quibusdam opus eſt, quas migrare uelle, temerarium omnino iudicaretur. itaque primo cauendum loco eſt, *ne ſine cauſſa effingantur haec uocabula.* dantur

tur

tur enim ſaepe, quae deeſſe uidentur, uoces uberrime. iis ſane, qui ex lexicis uulgaribus ſapiunt, multa inculcantur nullius pretii uerba, quae pura eſſe et caſta, qui illis adſueti ſunt, ſtulte arbitrantur. non deſunt certe in omni diſciplinarum genere uoces optimae, quarum in locum barbaras hodie ſubſtituere ſolent. atque ad uoces philoſophicas quod adtinet, multae apud CICERONEM occurrunt, quas commutare cum barbaris iſtis, qui operam uelit impendere, (*) copioſe ac eleganter posſit.

(*) fecit id iam uir ille eruditus, qui PLEXIACI nomine HAGAE COMIT. MDCCXVI. 4. edidit *lexicon philoſophicum*, cuius pars poſterior uocabula ſcholaſtica et barbara ordine litterarum expoſita puris latinis ac ciceronianis permutat. confer. celeberrimi IO. ALB. FABRICII *bibliotb. lat. tom. III. p.* 162. ſic *logicam* dicit *artem diſſerendi*, CICERO de *fato* p. m. 715. *praeiudicium* uocat *opinionem praeiudicatam*: de *nat. deor.* p. 471. *ſoritem* adpellauit *aceruulem* de *diuinatione lib. II.* p. 663. *zodiacum* nominauit *ſigniferum ibid.* p. 691. planetas *ſidera errantia*; motum *ſtellarum retrogradum*, dicit *receſſum* et *acceſſum ſtellarum ibid.* *conſtellationem* porro uocat *ſidera natalitia*, item *ſtatum caeli et ſtellarum* p. 692. ubi et *borizontes* nominauit *orbes finientes.* *item lemmata* dixit *ſumtiones* p. 698. denique, non enim omnia deſcribere uacat, *ſympathiam* expo-

poſuit *continuationem*, *coniunctionemque naturae* p. 709.

§. XXVII.

DISTRIBVTI autem auctores romani ſunt in certas aetates ac claſſes (1), ut ex iſtis illorum auctoritas eo magis queat perſpici: ex quibus quidam ad aetatem *auream*, ad *argenteam* alii, alii ad *aeneam*, ad *ferream* ultimi referuntur (2).

(1) uarias auctores diſtinguendi rationes uberrime commemorat clariſſ. HALLBAVERVS *inſtitut. ſtil.* p. 5. ſeqq. et uenerab. WALCHIVS *hiſtor. crit. cap. I.* §. *VII. p.* 34. *ſeqq.*

(2) nomina horum auctorum, illorumque ſcripta et editiones dabimus infra, ubi de *lectione auctorum* commentandum erit.

§. XXVIII.

PRIOR illa claſsis conſtituit quaſi ſummum cultioris linguae faſtigium. reliquae non niſi in ſubſidium ſunt uocandae, ubi illa deficit. hinc et, ſi de uocis caſtitate iudicandum eſt, non ad poſteriorum; ſed prioris auctoritatem iure prouocatur. itaque, ſi uox ad explicandam mentem neceſſaria requiritur, neque in iis, qui aureo adiudicantur aeuo, ſcriptoribus, apta inuenitur, tum demum ad proximos licet deſcendas, illorumque utaris uocabulis. quotiescumque

que uero in aetatis primae auctoribus iuſtas explicandarum rerum notas offenderis, ſequentis aeui uocibus uti haud fas eſt. ita quum exempli cauſſa *gratitudinis* (*) et *certitudinis* uocabulum nullus aetatis argenteae, ne dum aureae, ſcriptor uſurpauerit; neque tamen, uel illa uirtus, uel certa rei ueritas, hoc aeuo incognita fuerit: non licet *gratitudinem* uocare, quod illi *gratum animum;* nec *certitudinem*, quod illi *certam rei ueritatem* nominabant.

(*) ſunt, qui haec uocabula VALERIO MAXIMO, ſcriptori argenteo, adſcribant. praeterquam uero, quod multa occurrant hoc in auctore aſpera et cadentis linguae ſigna, ne uerum quidem eſt, fuiſſe haec ab eo adhibita. occurrunt quidem in capitum inſcriptione: illas tamen alium prorſus, non ipſum VALERIVM, auctorem agnoſcere, hodie notisſimum eſt.

§. XXIX.

QVAE ſecundo loco adhibenda cautio eſt, haec uidetur: *quando, quos nominauimus, auctores quaeſitam a nobis uocem non habent, ipſamque rem eos ignoraſſe, palam eſt: tum uidendum, num ſimile quidquam occurrat in illorum libris, quod ad noſtrum inſtitutum posſit adplicari.* ita uerbi cauſſa *ſclopetum* dicimus, *eine muſquete*, quoniam proxime

me conuenit cum (1) ſclopo. quod ſi nihil ſimile occurat, circumſcribenda uox eſt *longiori circuitione:* quod plerisque ſeuerioribus latinae linguae iudicibus placet. quibus autem iſta circuitio parere uidetur obſcuritatem: illis *ad graecorum ſermonem* confugiendum (2) eſt. quod ſi uero nec graecae uocis uſus ſuppetat: non male *retinetur ipſum uocabulum* in ea lingua, qua eius rei primus auctor et inuentor uſus eſt. ita ſi genus tormenti bellici nominandum eſt, *flintam* potius dixeris, quam obſcuram lectori circuitionibus ideam obtrudas.

(1) uid. NICODEMI FRISCHLINI IVLIVS REDIVIVVS *act. I. ſc. II. p.* 245. edit. ARGENTOR. MDCIV. 8.

(2) ita ego illud carminis genus, quod galli *ſonnet* uocant, *teſſaradecaſtichon* nomino. lege STOLLII *introduction. in hiſtoriam eruditionis a me translatam* p. 295. ſuadet id iam HORATIVS de *arte poetica* n. 52.

et noua fictaque nuper habebunt uerba fidem, ſi graeco fonte cadant, parce detorta.

§. XXX.

VLTIMO cauendum loco eſt, *ne lectores noſtros de uocabuli nouitate admonere, obliuiſcamur.* ita enim aſperas inſuetasque uo-

uoces emollimus, oſtendimusque ſimul, uſum illarum non ex ignorantia; ſed neceſsitate (*) introductum eſſe.

(*) eius modi formulae ſunt e. c. *ut nouo uocabulo utar: ut nunc loquimur: ut theologorum, iuriſconſultorum, medicorum, philoſophorum, uoce utar: liceat in re noua nouum adhibere uocabulum: liceat iam cum uulgo loqui: quod noſtri ita uocant, cet.*

§. XXXI.

MEMINI me in ſuperioribus ſcriptores aureos aliis praeponere omnibus: ſed caue credas, ab uniuerſis eos erroribus inmunes eſſe. emaculati ſunt, quoad eius fieri potuit: homines tamen fuere, atque adeo ab errandi periculo non exemti. inrepſit (1) interdum ex priſcis ſcriptoribus, uel uſu nondum firmato, aliquid, quod probum non erat. neque, ex incuria plane non peccaſſe, iure (2) dixeris. itaque notandae ſunt in ſcriptis illorum aureis ſcoriae, non pro gemmulis, quod faciunt nonnulli, reputandae, ne dum trahendae ad imitationem. indicem fere integrum phraſium atque uocum, quae ad hunc cenſum referendae ſunt, ex ipſo CICERONE ſelegit GEORG. LVDOV. FROBENIVS in *penu tulliano*, quod editioni GRVTE-

RIANAE adiecit HAMBVRG. MDCXIX. fol. quod et, excellentisſimum latinitatis purae ſtatorem, IO. GVIL. BERGERVM, in eleganti opere, de *naturali pulcritudine ſermonis* (3) pasſim feciſſe, conſtat. confer quoque ſumme reuerendi WALCHII *hiſtoriam criticam linguae latinae* (4).

(1) multum etiam corruptelae, partim librariorum oſcitantia ueterum, partim characterum difficilis cognitio, hincque illorum confuſio, auctoribus adtulerunt: ut nunc temere iſtis adfingantur, quae ne in mentem quidem ipſis uenerunt. denique ipſorum forte criticorum obſcura diligentia, qui loca bene ſana dum nimium fingebant ad ſuum ſenſum, quaedam inleuerunt ſingularia, archaismum olentia. lege BERGERVM de *naturali pulcritudine* ſermonis p. 490.

(2) qui hodiernam linguae noſtrae uernaculae rationem ac ſtatum diligenter conſiderat; inque illius cultu, uere aureo, non paucos tamen offendit, qui meram ſtribliginem, et foedam in ipſa germania barbariem produnt: facile intelliget, qui factum ſit, ut CICERONIS tempeſtate non omnes eodem nitore fuerint, antiquasque ſcorias recenti auro praepoſuerint.

(3) accesſit ſecundae editioni panegyricus inuictisſimo imperatori CAROLO VI. dictus. notat uir excellentisſimus formulas rariores in CAESARE p. 459. 480. 481. 484. 507.

507. 508. in CICERONE p. 455. 456. 501. in FLORO p. 452. 618. in GELLIO p. 436. 437. in LIVIO poetica p. 329. 330. 373. 450. 465. 484. antiqua p. 424. flexiones antiquatas p. 280. 281. in NEPOTE uetuſtius dicta p. 423. 424. in SALLVSTIO priſca 408. 503. in TERENTIO uerba de triuio p. 438. in VALERIO MAXIMO genus dicendi fluctuans p. 451. prodiit altera haec, qua uſi ſumus, editio LIPSIAE MDCCXX. 4.

(4) ſic, quae in CAESARE notanda ſunt, non imitanda, notauit p. 569. in CICERONE p. 583. in CVRTIO p. 600. in EVTROPIO p. 573. in PHAEDRO p. 563. in NEPOTE p. 565. in SALLVSTIO p. 590. ſeqq. in VELLEIO PATERCVLO p. 596. in PLINIO iuniore p. 604. ſeq. in TACITO p. 611. in IVSTINO p. 615. in SENECA philoſopho p. 620. ſeq. in MINVCIO FELICE p. 641. in SVLPICIO SEVERO p. 645. lege etiam VOSSIVM de *uitiis ſermonis lib. IX. cap. XIX. p.* 419.

§. XXXII.

AD tertiam claſſem eorum, quae in puro ſermone uitanda ſunt, progreſſuri, ante placet, quaedam de *phraſium poeticarum uſu* diſſerere. tantum certe abeſt, ut ſermonem iſtae noſtrum ornent, ut potius, puro ſermoni obeſſe, omnino uideantur. (1) eſt aliquid in ipſis uocibus, quod diſcernit poetarum ſermonem

nem ab oratorum ſtilo; nec, quod illis liberum fuit, his etiam permittitur, uocabulum. ſic uoce *uiolens*, qua bis uſus eſt HORATIVS (2), ſemel PERSIVS, (3) minus recte proſaicus utetur ſcriptor: quum nemo ex ſolutis ita loquatur, et metri leges ab hiſce popoſcerint. tyrannus enim ille uerborum tantam in poetas uim exercet, ut non modo in uocibus componendis, ſed conſtruendis etiam, euadant audaciores. ita ſoli poëtae *coelipotens numen* (4), *ſtelligerum polum* (5), *igniuomum montem* (6), *ſtellasque* (7) *ignicomas* habent. poëtae porro liberius paullo in *tropis* et *ſchematibus* uerſantur. *ſynecdochen* atque *metonymiam* fere totam ſibi uindicant, ut, qui iſtis, praeterquam in ſublimi ſermone, utatur ſaepiuſcule, linguae migrare caſtum recte perhibeatur. floridior hinc iuſto eſt atque nimis poetica FLORI et CVRTII oratio, quae et, eam ob cauſam, eruditorum cenſuram merito incurrit (8).

(1) tametſi enim de poetis illorumque ſcriptis multa recte et praeclare praedicentur: negandum tamen haud eſt, illorum linguam, ſi conferantur cum CICERONE, NEPOTE, CAESARE, multo eſſe inferiorem. lege WALCHIVM *in hiſtor. crit. linguae lat. p.* 626.

(2) *odar. lib. III. od.* XXX, 10. *epiſt. I.* X. 37.

(3)

(3) *ſat. V. u.* 171.

(4) PLAVTVS *perſ.* V. 1. 3. IVPITER diique alii omnes *coelipotentes.* PRVDENTIVS *ἀποθεώσ.* 660. *coelipotens aquilonum conditor.*

(5) STATIVS *theb.* XII. 565.

(6) LACTANT. *carm. paſchal. u.* 3.

(7) AVIENVS *deſcript. orb. u.* 801.

(8) ſic ſtilum FLORI hanc ob cauſſam uituperat MORHOFIVS *polyh. lib. IV. cap. XIII. p.* 192. *ſeq.* adde *POPE BLOVNT* in *cenſura auctorum celebr. p.* 184. de CVRTIO lege auctores, quos infra *part. III. cap. III.* §. *IV. n.* 16. adducemus.

§. XXXIII.

RETVLIMVS etiam in cenſum eorum, quae purae orationi contrariantur, *crebriorem uſum uocum graecarum.* nihil enim magis obeſt integritati ſermonis, quam *uox peregrina*, dum domeſticae, et elegantes quidem, ſuppetunt. id neque graecam uocem excipit, quamquam negandum haud ſit, plurimas latinorum uoces graecam agnoſcere patriam. quaeuis etenim lingua, dum excolitur et creſcit, tot ex alienis, quot indiget, in ciuitatem poteſt adſcribere dicendi formulas: poſt augmentum et culturam non poteſt. utendum eſt iis, quae adſunt in patria; neque per uocum pere-

grinarum uſum, noſtrae linguae inopiam, quae nulla tamen eſt, imputare decet (1). quid? quod illis etiam, qui graece docti non ſunt, obſcuram reddis (2) orationem. ipſi romani, quos imitari, hac in cauſſa, iuſtum eſt, maxime ſibi cauerunt a uocibus graecis, (3) quas omnes, niſi ciuitatis iure gauderent, proſcribebant. ſanctisſime obſeruabat hanc conſuetudinem CICERO, (4) NEPOS, CAESAR, LIVIVS, VIRGILIVS, quod ſcripta illorum ſatis luculenter teſtantur.

(1) qui hodie latina non nullorum ſcripta perluſtrat, tantam fere paupertatem, ſi non egeſtatem, miratur, quantam uix in alia obſerues lingua: quum tamen ea tot gaudeat uocibus, tot dicendi formulis, tot ſignificatibus natiuis et translatis, ut, qui diuitias latii norit, uel centies de uno argumento, modis aliis, pronuntiare posſit. qui uero uoces peregrinas et graecas latinis commiſcent, quid faciunt aliud, quam quod radicum paucitatem mentiantur, quarum copia patet ſcientibus.

(2) hoc ipſo tamen non contrariamur iis, quae ſupra nobis §.XXIX. p. 66. dicta ſunt. ibi enim de eo, quod requirit necesſitas, heic non item, egimus.

(3) recte differit hanc in rem SEBASTIANVS FOXIVS de *imitatione fol.* 64. quem confer; et GOCLENIVS *obſ. lat. ling. admonit.* xxx. p. 59.

(4)

(4) patet hoc, praeter alia, ex lib. II. de *diuinatione* p. 698. ubi haec habet: *ſed demus tibi iſtas duas ſumtiones, ea, quae λήμματα adpellant dialectici: ſed nos latine loqui malumus.*

§. XXXIV.

NON minus uero et iſti latinae linguae nitorem et caſtum impedire ſolent, qui, dum in rerum nouarum deſcriptione, aut etiam in antiquis rebus enarrandis, occupati ſunt, *hibridis uocibus* utuntur, quae partim graeciae, partim latio, debent originem. ita non raro *monoculum*, *bigamum*, *inanilogum* audis, quem rectius *unoculum*, *digamum*, *inaniloquum*, dixeris. ita non pauci *neocaſtrum* aut *neoſtadium* proficiſcuntur, qui minus impedito itinere *nouum caſtrum* aut *neuſtadium* aut *neopolin* eſſent (1) petituri. ita denique non nulli *uerticlepſydram* emunt, quibus minoris ueniret *clepſammidium*. barbariem enim et latii ueteris ignorationem hi homines produnt, quum, niſi parcerent labori, natiuo ſermone res omnes ex CICERONE, SALLVSTIO, CAESARE, aliis, poſſent (2) exprimere. longe uero aliter res ſe habet, quando ad honorum titulos deuentum eſt. *archiducem*, (3) *archimareſchallum*, *archicancellarium*, iure dixeris; quum non ſuppetant uoces aliae, *ſum-*

ſummique uiri, nouo uocabulo, ſollemnes mutari honorum titulos, haud facile patiantur. adcommodandum eſſe, ad potentiorum, hac in re, arbitrium, dicendi genus, ipſa ſuadet prudentia: quum uſus tyrannus ſit, minorisque aeſtimandum, elegantiae, quam gratiae, iacturam feciſſe.

(1) qui plura cupit exempla, conferat tantum IO. HVBNERI geographiam, et uel ſexcenta in urbibus nominandis *hibrida* obſeruabit nomina.

(2) optandum omnino eſſet, ut uir rerum harum peritus eo conſilio perluſtraret auctores optimos, ut res, quae plerumque uocibus, aut barbaris, aut hibridis, exponuntur hodie, doceret uocabulis natiuis proponere. glaciem in hoc ſtudio confregit, uiamque aperuit uir clariſſimus DANIEL. FRIDER. IANVS in *lexico philologico*, de quo ſupra egimus: uerum nondum exhauſtus eſt omnis labor et multa ſpicilegia etiamnum relicta ſunt aliis.

(3) confer. etiam SEBASTIANVM FOXIVM l. c. fol. 28. ſeqq.

§. XXXV.

PVGNAT porro cum puro atque integro ſermone *barbarismus.* ut graeci, cum latinis, omnes, qui non eadem, qua ipſi gaudebant patria, babaras gentes exiſtimabant: ita uoces et connectendi modos ſi qui ab exteris adoptabant,

bar-

barbare loqui dicebantur. quid ergo barbariſmus (1) ſit, facile adparet. *eſt* nimirum *uocis peregrinae romanis uerbis admixtio temeraria*. id quum paullo conſideres adcuratius, duplici uia plerosque labi poſſe, luculenter animaduertes. aut enim uoces adhibent, ignotas antiquorum (2) ſermonibus, ferrea demum aut aenea excogitatas aetate; aut uocabula, recta illa quidem et probata, peregrino tamen ſenſu uſurpant; qua in re, quam putares, ſaepius errant eruditi.

(1) celeberrimus THOMAS BANGIVS *libr. II. obſeruat. philologicar. p.* 1380. ita definit: *barbarismus eſt uſus dictionis, aut omnino barbarae et peregrinae, nec uſu latinorum recteue loquentium adprobatae, aut latinae quidem, ſed uitioſe, uel ſcriptae, uel pronuntiatae, uel formatae per caſus, genera, tempora.* ſubiecit deinde p. 1388. ſeqq. copioſam diſquiſitionem de origine huius uocis, atque tandem arabiam iſti patriam adſignat. adde etiam SOSIPAT. CHARISIVM *lib. IV. p. m.* 287. *I. edit.* BASIL. MDLI. 8. et VOSSIVM *de uitiis ſermonis, falſoque ſuſpectis*, p. 1. ed. in fol.

(2) aut etiam uoces aliarum gentium. ſic enim FABIVS *inſtit. orat.* lib. I. cap. IX. p. 24. *barbarismum plurimis modis accipimus. unum gente, quale ſit, ſi quis afrum uel hiſpanum latinae orationi inſerit. ut ferrum, quo rotae uinciuntur, dici ſo-*

let

let cantbus, *quamquam eo*, *tamquam recepto*, *utitur PERSIVS*.

§. XXXVI.

AD primam claſſem referimus eas uoces, quae poſt auream aetatem efficta e ſunt: quippe circa quod tempus maxime floruit latinus ſermo, ut regulam ſequuturis merito porrigeret. non iniuſte hinc fecerunt, poſt renatas litteras, eruditi, qui, ne hiſce nos ſordibus inquinaremus, ſtudioſe cauerunt, diligenterque hoc augiae ſtabulum repurgarunt. huc pertinent GERARD. IO. VOSSIVS libro (1), ſupra iam laudato, de *uitiis ſermonis*; CAROLVS du FRESNE in *gloſſario mediae et infimae latinitatis*, (2) IO. LVDOVIC. PRASCHIVS (3) de *barbarismis*, CHRISTOPH. CELLARIVS in *antibarbaro* et *curis poſterioribus*, (4) GOCLENIVS in *obſeruationibus latinae linguae*, qui p. 364. *integram barbarismorum ſyluam* exhibet. IO. VORSTIVS de *latinitate merito ſuſpecta*. MORHOFIVS de *pura dictione*. *p.* 134 *ſeqq.* VOIGTIVS in *indicibus latinitatis*. *p.* 10. *ſeqq.* IENSIVS in *collectaneis*. *p.* 74. *ſeqq.* HEINECCIVS in *fundamentis ſtili cultioris*. *p.* 46. *ſeqq.* IO. FRIDER. NOLTENIVS in *lexico antibarbaro*. *p.* 242. *ſeqq.* APINVS in

lexi-

lexico grammaticali. quibus adiungi merentur IOACH. LANGIVS in *hodego* (5) *latini ſermonis cap. VI. p.* 78. *ſeqq.* IO. GEORG. WALCHIVS in *hiſtoria critica linguae latinae p.* 178. *ſeqq.* IANI *lexicon philologicum* et HALLBAVERVS *in der einleitung zu den nützlichſten übungen des lateiniſchen ſtili p.* 290. *ſeqq.*

(1) decem libris comprehenſum eſt opus hoc utilisſimum, quorum I. agit. capitib. XXVI. prioribus de *uocibus peregrinis*, *qua ſingulas orationis partes;* et reliquis *capitibus IX. de ſignificatibus peregrinis eodem ordine.* lib. II. denuo de *uocibus barbaris ſequioris praeſertim aeui* exponit *capitibus XXI.* easque cum *uocibus romanis* permutat, ſecundum litterarum ordinem. reliqua capita VI. continent *uocabula ipſa origine peregrina* eodem ordine lib. III. ſecundum litterarum ordinem *uocabula latino barbara recenſet*, non *quidem barbarae originis*, *ſed latinae*, uel *graecae*, et permutantur cum genuinis, capitib. LVII. lib. IV. ut praecedens *nomina*, ſic *hicce*, *uerba* capitibus XXX. et reliquis VI. *particulas* recenſet. libri V. pars *prior* agit de *nominibus ortu barbaris* praetermisſis libro II. pars *poſterior* continet *uocabula latinae aut graecae originis*, ſed *non uſu recepta*, ordine litterarum. lib. VI. complectitur *uoces in aliena poſitis ſignificatione.* lib. VII. de *uocibus falſo ſuſpectis barbarismi.* lib. VIII. de *uocibus latinis falſae ſignificationis ſuſpectis.* lib. IX. agit de *uocibus coniunctis.* idque

que capit. XIX. ſunt hi quaſi fontes, ex quibus riuulos ſuos deriuarunt plerique, et quo minus ſentiretur, coeperunt eum uituperare.

(2) prodiit LVTET. PARIS. MDCLXXVIII. fol. tom. II.

(3) prod. IENAE MDCCIV. 12. cura KRIEGKII.

(4) *antibarbarus* prod. IEN. MDCLXXII. 12. et *curae poſteriores* IEN. MDCLXXXVII. 12. hiſtoriam horum libellorum lege apud HALLBAVERVM *inſtit. ſtili p.* 286 *ſeqq.*

(5) prod. BEROL. MDCCXII. 8.

§. XXXVII.

DABIMVS et nos barbariſmorum id genus recenſum quemdam, ut, quid uitandum ſit in ſermone noſtro, adpareat.

BARBARA,	PVRA.
ad oculum demonſtrare,	clariſſime demonſtrare.
aeternaliter,	aeternum, ab omni aeuo.
a longe,	e longinquo.
a nouo,	denuo, de integro.
ad inuicem,	inter ſe.
ad minimum,	ſaltim.
agibilis uir,	induſtrius.
aliqualis,	aliquis.
aliqualiter,	aliquo modo.
amittere praelium,	uinci.
annihilare,	ad nihilum redigere.

BAR-

BARBARA,	PVRA.
aſſeuerare uultum,	corrugare uultum.
apotheca,	pharmacopolium.
auctoriſare,	auctoritatem dare alicui.
aqua benedicta,	aqua conſecrata.
benedicere aliquem,	bene precari alicui.
bona opera,	actiones piae, ſtudium pietatis.
bouinus, a, um,	bubulus.
burſa,	crumena.
calculare,	computare.
capiſtrare,	capiſtrum iniicere.
certiorare,	certiorem reddere.
certitudo,	certa rei ueritas, certum, indubitatum.
comparere alicui,	uideri.
conſortare,	robuſtum reddere et ualidum.
conciuis,	ciuis.
confrater,	frater, collega.
conſodalis,	ſodalis.
conſulere alicui,	alicui auctorem eſſe.
coadiutor,	adiutor.
concomitanter,	conſequenter.
conſiliare,	deliberare.
copulator,	conciliator amoris.
creatura,	res creata
deauratus, a, um,	inauratus, a, um.
degradare,	de dignitatis gradu deturbare.
deliberato animo,	conſulto.
dietim,	quotidie.
diffamia,	ignominia.
domicella,	uirgo inluſtris.
affectionatus,	animo fauens.
epitomare,	in compendium mittere.
euaginare,	diſtringere.
exceſſiue,	extra modum.
extrinſece,	extrinſecus.
fundamentaliter,	exquiſite.
gratitudo.	gratus animus.

BAR-

BARBARA,	PVRA.
idoneitas,	habilitas.
illibenter,	non libenter.
ingratitudo,	ingrata mens.
iniuriari,	facere iniuriam.
irregiſtrare,	referre in tabulas publicas.
in genere,	generatim.
in ſpecie,	ſpeciatim
intentum,	finis, inſtitutum.
intimior,	amicior, familiarior exquiſitior.
irrationabilis,	rationis expers.
iuramentum,	ius iurandum, ſacramentum.
litteraliter,	ad litteram.
liga,	fedus.
longanimis,	lenis.
locumtenens,	ducis legatus.
lymphatum uinum,	uinum aqua temperatum.
magnalia,	magna et miranda geſta, res magnae et inluſtres.
matricula,	album, commentarius, catalogus, index nominum.
memoriale,	liber memorialis, libellus, in quem memoriae cauſſa aliquid inſcribitur. interdum ſunt litterae ſupplices.
mortualia,	funeralia, iuſta ſuprema.
miſſalia,	libri rituales.
modernus, a, um,	recentior, us.
moleſtare aliquem,	moleſtiam alicui creare.
nullatenus,	neutiquam, minime.
nullibi,	nusquam.
nuspiam,	nusquam.
officiales,	miniſtri magiſtratus.
ordinarie,	more ſolito.
paſſus,	commeatus, litterae publicae.
particularis,	peculiaris.
peccamen,	peccatum.
perfectionaliter,	perfecte.

BAR-

BARBARA.	PVRA.
peruerſor,	euerſor.
pompoſus,	ſplendidus, magnificus.
praeciſe,	diſerte.
praenominatus,	ſupra dictus.
praeprimis,	in primis.
prolongare,	prorogare.
promanare,	emanare, profluere.
priuilegiare,	priuilegio donare.
quantocius,	quam primum.
querelosus,	querulus,
recompenſare,	rependere.
recommendare,	commendare,
religioſitas,	pietas erga deum.
reſpectiue,	comparate.
reuolutio,	conuerſio.
rigoroſe,	ſeuere.
rubedo,	rubor.
ſaepicule,	crebro.
ſanctificans,	ſanctum reddens,
ſcandalum,	offendiculum.
ſcibile,	quod ſciri poteſt,
ſcortatio,	ſtuprum.
ſcrutinium,	ſcrutatio.
ſemote,	remotis arbitris,
ſeptimana,	hebdomas.
ſerioſus,	ſerio agens,
ſignanter,	diſerte.
ſituatio,	ſitus.
ſordities,	ſordes.
ſubhaſtare,	haſtae ſubiicere.
ſubitanee,	ſubito.
ſubneruare,	eneruare,
ſubſannare,	illudere.
ſuccurſus,	ſuppetiae.
ſuperioritas,	principatus.
ſupernaturalis,	naturam ſuperans.
tenebrare,	tenebras inducere.
terrefacio,	terreo.

BARBARA	PVRA.
tremulare,	tremere.
tumba,	buſtum.
uariabilis,	mutabilis.
uerifico,	probo.
ultimato,	nouisſime.
unire,	coniungere.

§. XXXVII.

ALTERA *barbariſmi* ſpecies ea eſt, qua probatis auctorum uocibus, *peregrinas* adſcribimus *ſignificationes.* haud raro enim accidit, ut in ſcriptis antiquorum interpretandis male intelligantur uoces, quas deinde explicationes oſcitanter ſequuntur alii, atque ſic barbariſmo uiam aperiunt. quos ita loquentes quum neque CICERO neque CAESAR, ſi redirent, intellecturi eſſent; peregrinum quid, et inconditum, iſtorum olere ſermonem, merito credendum eſt. dabimus (*) et heic quasdam, inluſtrandae rei cauſſa, obſeruationes, de quibus, qui §. praecedenti, auctores conſulendi ſunt.

(*) ADVOCARE, pro *cauſſam agere*, barbarum eſt, antiquis idem erat, quod *uocare*, uel patronos aduocare.

ADFECTVS *animi*, ſi denotat *motus mentis*, barbare fit, pro quo CICERO *perturbationes mentis*

mentis aut *animi* habet; *indolem animi* recte ſignificat; ita CIC. *tuſcul. V.* 16.

ABSCONDITVS *verſteckt*, *verborgen* recte dicitur, ſed ſi notet *occultum gebeim* barbare adhibetur.

ACCIPERE *male*, pro *indigne ferre* a non nullis peregrine; ſed de hominibus non *prolixe ſuſceptis* recte dicitur.

CAVSSARI haud raro pro *efficere* barbare ſumitur, quum latinis idem ſit, quod *cauſſam adferre.*

COMMVNITER crebro ponitur pro *uulgo*, *plerumque*, ſed barbare: latinis enim id ſignificat, quod *plurimis commune* eſt.

COMPILARE plerisque denotat *congerere*, *conligere*, male! antiqui enim in *furandi* notione adhibebant.

CONCIONATOREM hodie non nulli *uerbi diuini praeconem* dicunt, quem antiqui uel *captantem auram popularem*, uel *ſeditioſum* nominabant.

CONGREDI de *ſermone*, recte; male uero de *itinere*, dicitur.

CONFICERE eſt ad *finem perducere*, non *una facere.*

COLLATIO de *comparatione* antique; de *coenula* uero *conlatitia* peregrine adhibetur.

CONFVNDERE eſt *commiſcere*, non *pudorem iniicere.*

COPIA quid ſit, omnibus notum eſt; pro *exemplo* tamen (*copey*) barbare ſumitur.

DECORARE pro *celebrare* bonum eſt: pro *faciem exornare* dedecens.

DEVOTVS antiquis pro *deſtinato* et *conſecrato* erat: recentiores pro *religioſo* barbare utuntur.

DOCILIS ſi referatur ad *praeceptorem* barbarum eſt: ſi ad *diſcipulum* rite ſe habet.

DIMITTVNTVR *captiui*, remittuntur poenae.

EQVIDEM a CICERONE numquam cum uerbo tertiae perſonae, ſed ſemper primae ſingularis iunctum fuit; quoniam idem aſt ac *ego quidem:* cum tertia tamen perſona, ſi recte impreſſum fuit, ſemel habet NEPOS in *uita* ATTICI c. XII. et SALLVSTIVS in *bello catalinar.* aliquoties.

FESTIVITAS male non nullis ſignificat *dies feſtos* homines enim *faceti* et *iucundi* gaudebant *feſtiuitate.*

GRATIOSVS eſt cliens, non *patronus* aut *princeps*, qui *clemens* dicitur: in quo hodie plerique labuntur.

GRATIS pro *fruſtra* barbarum, dum opponitur *pretio*, purum.

INDIGITARE ueteribus erat *inuocare*, non quod noſtris *nominare*, aut *indicare.*

INFRACTVS ſaepe pro *forti* et *generoſo* legitur, ſed pesſime: eſt enim latinis *ualde fractus.* quod eſt ab *infringo.*

INFVCATVS, male dicitur, *non fucatus.* eſt enim *ualde fucatus*, quum ſit ab *infucare.*

INTERCESSIO noſtris eſt, *eine vorbitte:* anti-

tiquis erat intercedere, *ſenatus decreta impedire.*

IVXTA CARTESIVM pro *ſecundum* CARTESIVM, aut *ex ſententia* CARTESII, non tolerandum. *iuxta uiam* (*neben*) aut *pertum* dicebant ueteres.

LINEA pro *uerſu* barbare; pro *linea mathematica* recte dicitur. qui ad IVSTINVM prouocant, aetates auctorum non diſcernunt.

LICENTIA pro *abuſu libertatis* adhibuerunt ueteres: hodie male pro *facultate* ſuſcipiendi aliquid legitur, aut pro ipſa *libertate.*

MEMORARE dum dicunt ueteres, idem eſt, quod *commemorare*, *narrare:* perperam ergo a nonnullis pro *memoriae inſigere* adhibetur.

OFFICIVM male noſtri dicunt, quod antiquis *munus publicum* erat. adminiſtrabant antiqui *rem publicam*; noſtri *officium:* imo et *praefecturam* hoc nomine peſſime inſigniunt.

POTARE eſt *bibere*, non *potum* praebere.

PRAECISE idem eſt, quod *breuiter*, non *diſertis uerbis.*

PROLIXVS CICERONI eſt *liberalis* uel *largus.* ſermo ei eſt *copioſus*, *longus*, *multus*; ſed recentiores in omnia alia eunt.

PRO TEMPORE olim erat pro *temporum conditione: prout nunc ſunt tempora:* hinc adparet, quam eleganter nonnulli ſe dicant *pro tempore rectores*, *paſtores* cet.

QVOAD pro *quouſque* aut *quamdiu* latinum eſt, pro *qua corpus* aut *quod* ad *corpus adtinet*, omnino barbarum eſt.

QVANDOQVE recte ſignificat *quandocumque*, aut *aliquando*; pro *interdum* inſolens uox eſt.

REATVS eſt *obligatio* ad *poenam*, non *culpa*.

REPVTATIO pro rerum conſideratione, quod GELLIVS et PLINIVS adhibent, tolerari poteſt: ſed pro *exiſtimatione* plane barbarum eſt.

SALTIM pro *tantum* barbariſmum ſapit; ueteribus, *certe*, *minimum*, *zum wenigſten*, ſignificabat.

SEMEL pro *aduerbio numerali* recte ſolet adhiberi; turpe uero pro aduerbio temporis.

TERMINVS pro *fine* antiquis adhibebatur, pro *artis uocabulo* recentioribus ſollemne eſt.

VERSIO ſi adhibetur de eo, quod agricolae ſolent facere, dum boues, emenſis agris, uertunt, recte fit: dum uero *translationem*, aut *interpretationem* ſignificat, omnino barbarum eſt.

VOTVM pro *ſuffragio* inſolens et ruſticum eſt: antiquis erat *promiſſio numini facta*.

§. XXXIX.

PVGNANT etiam cum ſermonis latini caſtu atque integritate *ſoloeciſmi*. quod barbariſmi in *ſingulis* uocibus, id ſoloeciſmi (1) ſunt in *coniunctis*. itaque quoties nexus quidam uerborum occurrit, qui abſonus, qui agreſtis, qui inconditus, qui peregrinus: toties *σολοικίζειν* (2) ſcriptores recte dicuntur. in originem uocis inquiſiuit IO. G. WALCHI-

CHIVS in *hiſt. critic. lat. ling.* p. 182. ſeqq. quod uero tot hodie ſoloecismi legantur in eruditorum ſcriptis, minus mirabitur is, qui fata linguae latinae conſiderauerit. quum enim, a plerisque ſane gentibus, uniuerſo eruditorum conſenſu, recepta ſit: a ſingulis ſordium aliquid adtraxit, quod ad patrii ſermonis genium propius accederet. ſtudendum ergo ſedulo eſt, ut, detectis ſoloecismis, planam, quae ad latium ducat, eo facilius ſequi uiam posſimus. (3)

(1) ita CHARISIVS *lib.* IV. p. m. 288. inter barbarismum, *inquit*, et ſoloecismum hoc intereſt, quod barbarismus in ſingulis uerbis fit, in quocumque modo contra morem latinitatis, ſoloecismus autem, quando diſcrepantes inter ſe aut inconſequentes dictiones habet.

(2) conf. CELLARIVM ad CVRTII *cap. VII. libri III. p. m.* 53. *edit.* LIPS. MDCLXXXXI. 12. adiunge etiam THOMAE BANGII *obſeru. philolog. lib. II.* p. 1413. ſq. ubi EVSTATHII deriuationem quaſi ſit ὁ τȣ̃ σόȣ λόγȣ ἄικισμος recte refellit, et ad noſtrum ſenſum erudite diſputat.

(3) quos ſupra recenſuimus, hic quoque cum fructu conſulendi auctores ſunt, RVDOLPH. GOCLENIVS *obſeru. lat. ling. p.* 25. *ſeqq.* VORSTIVS in *latinitate merito ſuſpecta* pasſim. MORHOFIVS de *puritate p.* 132. *ſeqq.* VOIGTIVS in *indicibus lat. ling. p.* 96. *ſeqq.*

IEN-

IENSIVS in *collectaneis p.* 154. NOLTENIVS in *lexico antibarbaro p.* 706. *ſeqq.* CELLARIVS in *antibarbaro cap.* 4. *et* 5. *p.* 222. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 327. *ſeqq.*

§. XL.

DIVIDIMVS cum GOCLENIO, (*) hunc latinae loquutionis abuſum in *ſoloeciſmum uerum* et *adparentem.* ad illum recte referimus falſam quorumdam uocabulorum iuncturam et inſolentem nexum. ad hoc autem quidquid ſpeciem habet inſolentiae, excuſari tamen poteſt: quo in numero habendae etiam ſunt loquutiones, quae falſo ſuſpectae ſunt ob ſuam cum *patria lingua* conuenientiam. ſequemur nos hunc ordinem atque inluſtrandae rei gratia partim falſos uerborum nexus oſtendemus, partim germaniſmos aliquot, falſo ita nominatos, a uitii ſuſpicione liberabimus.

(*) p. 225. *probl. grammat. lib. IV.* quod etiam facit eruditisſimus VOSSIVS de *uitiis ſermonis lib. IX. cap. XIX. pag.* 319. et THOMAS BANGIVS *obſeru. philolog. lib. II. p.* 1415.

§. XLI.

ITAQVE primo loco eas conlocabimus dicendi formulas, quae *uitioſi nexus* iure poſtulantur.

VITI-

VITIOSVM,	RECTVM.
an, an,	utrùm, an, ſiccine, an.
adtinet me,	adtinet ad me.
ad minimum,	ſaltim, minimum.
benedicere aliquem,	benedicere alicui.
ita comparatum eſt cum hac re,	ita comparata haec res.
condolere alicui,	dolorem ſuum alicui declarare.
conſilium in rem dare,	exequi conſilium.
cum tempore,	proceſſu temporis.
damnare ad mortem,	capitis damnare.
dare fidem,	credere.
de die in diem,	in dies.
de uerbo ad uerbum,	ad uerbum.
dico, quod ita ſit,	ita aio eſſe.
dico, non ita eſſe,	nego.
dignoſcere curui et recti diſcrimen,	dignoſcere curuum recto.
erubeſcere alicuius,	aliquo, aliquem.
erupit in haec uerba,	inquit.
euaſit in uirum doctum,	euaſit uir bonus.
explicare imperium,	proferre fines imperii.
habeo quaedam dicere,	oportet me dicere.
idem cum illo ſentio,	idem, quod ille, ſentio.
implicat hoc contradictionem,	non cohaerent haec: diſſentiunt haec a ſe: contrariantur haec ſibi.
incumbere litteris,	in, uel ad litteras.
irridere alicui,	aliquem.
materna lingua,	patria lingua; item uernacula.
nec autem,	neque uero.
ius patronatus,	ius uocandi miniſtrum uerbi diuini.
perſuaderi ſe patitur,	ſibi patitur.
propria manu,	ſua manu.
pro et contra,	in utramque partem.
proſterni in genua,	procumbere in genua.
qualis, qualis demum ſit,	qualiscumque.
rebellare ab aliquo,	deficere ab aliquo.
rebus ſic ſtantibus,	ſic ſe habentibus.

VITIOSVM,	RECTVM.
referre cauſſam in aliquem,	transferre culpam.
res ita ſe habet cum illo,	res ita ſe habet.
rogare ex aliquo,	rogare aliquem.
ſaluus conductus,	fides publica, commeatus,
ſuſpenſus ab officio,	iuſſus abſtinere munere.
uerba ita ſonant,	haec ſunt, inquit.
uergit in honorem,	uertit, pertinet, ualet in, ad, honorem.

§. XLII.

SEQVVNTVR nunc loquutiones non nullae, quas ex gallica, graeca, hebraea, germanica, linguis temere in latium adſcitas, fugere ſummopere decet.

VITIOSA,	GENVINA.
accipere perſonam,	reſpicere aliquem.
adhuc ſemel,	repetita uice, iterum.
ad magnam meamfortunam,	ſorte fortuna, opportune, commodum accidit,
a mea longisſima memoria,	quoad longisſime mens mea reſpicit ſpatium praeteriti temporis, CIC. pro ARCH.
actum eſt mecum,	actum eſt de me.
ad inuicem uerberant,	inter ſe uerberant.
arridere aliquem,	alicui.
bene uellem illum uidere,	optarem mihi, aliquem dari.
communiter ſolet euenire,	plerumque accidit, uulgo fit.
habeo liberos cum illa,	ex illa.
loquitur ſecum ipſo,	ſecum ipſe.
diutius eſt quam ſex menſes,	amplius ſunt ſex menſes.
cum ad huc domi eſſem,	domi, nondum egreſſus paterna domo.
elige ex his duobus unum, quod uis.	elige utrum libet.
eligere ad amicum,	ſine praepoſit.

VITIOSA,	GENVINA.
facere alicui reuerentiam,	honore aliquem afficere, conuenire aliquem ſalutandi cauſſa,
habeo pro nihilo,	gratis accepi,
hoc ei non manebit tacitum,	hoc non feret tacitum.
uirtutem patris hereditare,	hereditate poſſidere.
iecit me luto,	conſperſit me luto.
hoc eſt nullius importantiae,	nullius momenti,
ſcripta ponderoſa,	grauia, ſolida.
tantiſper ualeas,	tam diu ualeas.
innaturale uidetur eſſe,	abhorret a natura.
male incurrere,	impingere.
manifeſtare alicui cor ſuum,	aperire ſe alicui.
poſuit me in malam gratiam,	inuidiam mihi concitauit.
clamare poſt aliquem,	clamoribus aliquem perſequi.
tantum pro hac uice,	tantum eſt: haec hactenus: haec dicta ſufficiant.
pro fallendo longo tempore,	ad fallendum longi temporis taedium.
pro meo poſſe,	pro facultate mea.
pro tunc,	ut tum erant tempora.
quid tibi deficit,	quis te angit dolor?
quod me concernit,	quod ad me adtinet.
in nulla eſt reputatione,	nulla eſt eius exiſtimatio.
ſine uadere ſicut uadit,	ne te interpone; teneant res curſum ſuum.
ſuadeo ad pacem,	ſuadeo pacem.

§. XLIII.

SVPEREST, ut quaſdam *dicendi formulas*, quae *falſo in peregrinis habitae* ſunt, aut haberi etiamnum queant, a germaniſmi labe uindicemus. quem ad modum enim non facile datur lingua, quae non aliquam ſaltim cum aliis habeat conuenientiam: ita in noſtra etiam uernacula eſſe

eſſe quasdam loquutiones, quae latinis reſpondeant, nemo temere negauerit. multa iam dedit CHRISTOPH. ARNOLDVS mantiſſa I. *ad linguae latinae ornatum p.* 399. *ſeqq.* qui CX. regulis conuenientiam uernaculae cum latina incluſit, et quae ſuſpecta poſſent eſſe, indicauit. nos notamus, quae ſequuntur.

accipere uulnus, CIC. ad *diuerſos IV.* 12. NEPOS MILTIAD. *c. VII.*

ad ſe redire *wieder zu ſich ſelbſten kommen* TERENT. *ſaepe.*

adferre detrimentum NEPOS. ATTIC. II.

adferre utilitatem CIC. de *officiis ſaepe.*

altus amor *hohe liebe* CATVLLVS *epigramm. LXIX.*

alta uoce *mit hoher ſtimme*, *idem epigramm. LXIII.*

non hoc tibi ſic abibit, *idem epigramm. XIV.*

amittere cauſſam. CIC. in *oratore* LIGARIVS meliorem habet cauſſam, quam tu. CIC. pro LIGAR. *cap. X.*

libello aliquem citare PLAVT. CVRCVL. I. III. 6.

nequeo durare *ich kann nicht dauren* PLAVT. CVRCVL. I. III. 6. *mil. glor.* IV. VI. 34. *mercat.* III. IV. 59. *menechm.* V. II. 31.

quid tibi eſt? PLAVTVS CVRCVL. II. I. 21. II. III. 30. *ciſtell.* I. I. 59.

uentum facis, *id.* CVRCVL. II. III. 35. CASIN. *prol.* 37.

quid

quid tu mihi facies? *was wilſt du mir wohl thun?* CAS. I. 29.

nemo alienus hic eſt, *es iſt niemand fremdes hier. ciſtell.* I, I. 26.

inſanum magnum, *entſetzlich groſs.* BACCHID. IV. v. I. *moſtell.* III. III. 5.

bene emtum tibi dare hoc uerbum uolo, *ich will dir dieſes wort guten kaufs geben, moſtell.* I. III. 140.

da cito cantharum circum, *gieb die kanne geſchwind herum, moſtell.* I. IV. 38.

fenus hic, fenus illic, *wucher hier, wucher da, moſtell.* III. I. 76.

intimum ſe apud aliquem facere, *mil. glor.* II. I. 30.

mittis me, an non mittis? *läſſeſt du mich geben oder nicht? mil. glor.* II. v. 29.

commemini meam partem tacere, *mil. glor.* III. I. 51.

ego me tua cauſſa non rupturus ſum. *ich will mich deinentwegen nicht zerreiſſen, captiu. prol.* 14.

habe modo bonum animum. *pſeud.* III. II. 77.

ora nocturna. *nachtgeſichter. poenul.* I. II. 107.

tu abi tacitus tuam uiam, *gehe du ſtillſchweigends deiner wege. rud.* IV. III. 88.

dormias ſine omni cura, *ſchlafe ohne alle ſorgen. trinumm.* III. I. 20.

habeo in memoria TERENT. *and.* I. I. 13.

haec non cohaerent, *das hänget nicht zuſammen,* TERENT. *and.* II. II. 24.

transferet culpam in te, *er wird die ſchuld auf dich weltzen,* TERENT. *and.* II. III. 5.

im-

PART. I.

CAP. II.

DE LATINAE LINGVAE PERSPICVITATE.

DICENDORVM ORDO.

perſpicuitate in dicendo opus eſt, in quo illa conſiſtat. §. I.

remouenda ſunt obſtacula dilucidae orationis, quaenam iſta ſint, docetur ex CICERONE §. II.

1. neglectio ordinis adcurati in ipſis rebus, auctores boni ordinis §. III.

etiam in uerbis obſeruandus eſt aliquis ordo §. IV.

2. obſtat troporum longe petitorum coaceruatio. proprietas uocum eſt neceſſaria. §. V.

quibus auxiliis ad uerborum proprietatem perueniatur, quinam auctores ex ueteribus huc ſpectent. §. VI.

quinam ex recentioribus in ſubſidium uocandi §. VII.

3. obſtant amphiboliae et homonymiae. quomodo uitandae §. VIII.

4. obſtant obſoleta, peregrina et nouata uocabula. exempla obſoletorum ex PLAVTO et LVCRETIO §. IX.

5. obſtat nimia membrorum breuitas. unde haec oriatur, quinam heic peccauerint. §. X.

6. obſtat nimia uerborum copia. quomodo illa reſecanda §. XI.

7. obſtant etiam perſpicuitati parentheſes. ratio uitandi hanc obſcuritatem §. XII.

8. obſtat neglectus particularum connectendi. genuinus illarum uſus unde diſcendus? auctores huc ſpectantes §. XIII.

9. obſtant ſigna diſtinctionum minus recte poſita. de ueterum ſignis diſceptatio. unde diſcenda? §. XIV.

recentiorum cogitata de notis diſtinctionum. §. XV.

auctoris ratio interpungendi §. XVI.

§. I.

Omnis ſermo noſter, ſcribendique ratio, ſuſcipitur eum in finem, ut alteri

teri mentis noſtrae ſenſa poſſimus aperire. hunc qui conſequi cupit, mediis eo ducentibus utatur, neceſſe eſt. non occurrit uero facilius ullum, quam *perſpicuus dilucidus* et clarus *ſermo*. quo propius enim ſigna, quibus noſtras cogitationes exprimimus, ad rerum naturam accedunt; quo notiores ſunt loquendi formulae; quo magis (*) propria uocabula; quoue diligentius ab ambiguis, uel uocibus, uel phraſibus, abſtinemus: eo magis a nobis haec ſtili uirtus excoletur.

(*) ita etiam FABIVS noſter *inſtit. orat. lib. VIII. cap. II. p.* 434. *ed.* BASIL. MDLXXXI. 8. *nobis prima ſit uirtus perſpicuitatis, propria uerba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio, nihil neque deſit, neque ſuperfluat. ita ſermo et doctis probabilis et planus imperitis erit.*

§. II.

VTI uero non expeditius iter ingrediuntur, quam qui remouent obſtacula, uiaeque difficultates: ita perſpicuitatis iter nemo felicius ſuſcipiet, quam, qui, quae huic uirtuti obſtant, impedimenta (*) remouet cum cura, ſeparatque a ſcribendi conſuetudine. detegemus hos ſcopulos, qui perſpicuitatem remorantur, atque ſimul reiiciemus.

 (*)

(*) complexus eſt haec, quae perſpicuitati obſtant, CICERO *de oratore lib. III, p.* 519. neque uero, *inquit*, in illo altero diutius commoremur, ut ea, quae dicamus, intelligantur: latine ſcilicet dicendo, uerbis uſitatis, ac proprie demonſtrantibus ea, quae ſignificari, ac declarari uolemus. ſine ambiguo uerbo, aut ſermone, non nimis longa continuatione uerborum, non ualde productis iis, quae ſimilitudinis cauſſa ex aliis rebus transferuntur, non diſcerptis ſententiis, non praepoſteris temporibus, non confuſis perſonis, non perturbato ordine.

§. III.

PRIMVM quod opponitur, eſt *ordinis adcurati neglectio*. qui enim promiſcue loquuntur, nulla uiae, quam natura praeſcribit, ratione habita; qui concluſiones praemittunt ſuis principiis; aut ea prorſus exſulare iubent; qui propoſitiones nullo inter ſe nexu iunctas, cumulant: eos tenebras ſuis ſermonibus inducere, uel TIRESIA caecior agnoſcat. ſingulares nimirum etſi facile concipiamus dicendi formulas: nexum tamen illarum inter ſe ignoramus, et, quem in finem adiectae ſint, prorſus nos latet. itaque maxime commendanda eſt ſtili cultoribus logices ſanioris cognitio, qua, quam natura praeſcribit, cogitandi differendique

que uia et ſeries luculentisſime producitur. conſulendi hunc in finem ſunt WOLFFIVS (1), MARQVARDVS, (2) REVSCHIVS (3), et BAVMEISTERVS (4), qui lucem clarisſimam hac in diſciplina diſcentibus accenderunt.

(1) complexus eſt magnus hic philoſophus, cuius doctrinam plurimi facio, ſcientiam omnem capitibus XVI. quae non ſine fructu euoluentur ab omnibus. prodierunt *eius vernünftige gedanken von den kräften des menſchlichen verſtandes* ſextum. HALAE MDCCXXXI. 8.

(2) eius *philoſophia rationalis methodo naturali digeſta* prodiit REGIOMONT. MDCCXXXIII. 8. ut uſus huius libelli pateat, dabo recenſionem capitum. diſtribuit auctor in *ſectiones duas* totum laborem, quarum *prior theoriam logices comprehendit* et cap. I. de *logica in genere*, cap. II. de *notionibus earumque diuerſitate formali*, cap. III. de *materiali notionum diuerſitate et de definitionibus*, cap. IV. de *iudiciis et propoſitionibus*, cap. V. de *ratiociniis et ſyllogiſmis*, cap. VI. de *falſitate et ueritate ac utriusque criteriis*, cap. VII. de *ſcientia, probabilibus, fide, opinionibus, erroribus et praeiudiciis* agit. *poſterior* logicae expendens adplicationem cap. I. tractat de *meditatione inſtituenda*. cap. II. de *ueritate inueniendα*. cap. III. de *ueritate diiudicanda*. cap. IV. de *communicanda ueritate*. cap. V. de *ueritate uindicanda*. non male etiam uerſatus eſt in hoc ſtudio IO. IACOBVS SCHILLINGIVS, profeſſor duisburg. cuius *inſtitutiones philoſophiae rationalis* prodie-

runt DVISBVRGI MDCCXXXI. 8. niſi quod ipſe fateatur, *ſe plurima in primis ea, quae ad logicam practicam, ut heuriſticam, hermeneuticam et didacticam pertinent, penitus omiſiſſe.* in *praef.*

(3) optimi huius uiri, et philoſophiae profeſſoris apud ienenſes digniſſimi, *ſyſtema logicum antiquiorum atque recentiorum, item propria praecepta exhibens* lucem uidit IEN. MDCCXXXIV. 8. in tractationis propaedeumaticae cap. I. agit de *operationibus animae atque eiusdem facultatibus ratione cognitionis.* cap. II. de *philoſophia atque eruditione eiusque partibus.* cap. III. de *logica ſpeciatim.* ſequitur opus ipſum: cuius cap. I. tractat de *conuenientia et diuerſitate idearum.* cap. II. de *ſubordinatione idearum.* cap. III. de *claritate idearum analytica et ſynthetica.* cap. IV. de *uſu cognitionis ſymbolicae.* cap. V. de *definitione et diuiſione.* cap. VI. de *iudicio et propoſitione.* cap. VII. de *propoſitionum determinationibus et affectionibus.* cap. VIII. de *ratiocinatione et ſyllogiſmo ordinario.* cap. IX. de *ſyllogiſmis minus ordinariis et conſequentiis immediatis.* cap. X. de *ueritatis criterio, cognitione a poſteriori et priori.* cap. XI. de *demonſtratione et probabilitate.* cap. XII. de *ſpeciebus probabilitatis.* cap. XIII. de *errore, fallacia et praeiudicio.* cap. XIV. de *ſtilo philoſophico, methodo et meditatione.* cap. XV. de *libris conſcribendis, diiudicandis et legendis.* cap. XVI. de *conuictione, refutatione, diſputatione et methodo docendi.* cap. XVII. de *aeſtimandis uiribus, ad uerum diiudicandum et inueniendum requiſitis.*

(4) uir hic elegantiſſimus, deque iuuentute

tute praeclariſſime promeritus, id egregii habet, quod recentiorem ita coluit philoſophiam, ut antiquiorem non plane reiecerit: proinde eius logica cum primis commendari meretur. prodiit illa octauum uitembergae MDCCXLIV. 8. hac ornata inſcriptione: *FRID. CHRISTIANI BAVMEISTERI phil. mag. et auguſti gymn. gorlicenſis RECTORIS inſtitutiones philoſophiae rationalis, methodo WOLFII conſcriptae*, dabimus et huius libelli optimi recenſum aliquem. caput praeliminare I. agit de *philoſophia in genere*. II. de *partibus et diuiſione philoſophiae*. ſequntur logicae *prolegomena*, in quibus *natura et indoles logices* exponitur, opus ipſum diuiditur in logicam theoreticam et practicam. logicae *theoreticae* caput I. agit de *notionibus*, *ſiue ideis*. cap. II. de *uſu uocum*, *ſiue terminorum circa notiones*. cap. III. de *definitionibus*. cap. IV. de *diuiſionibus*. cap. V. de *iudiciis et propoſitionibus*. cap. VI. de *ratiocinatione et ſyllogismis*. cap. VII. de *ſyllogismis minus ordinariis*, *itemque de conſequentiis immediatis*. *logicae practicae* cap. I. de *ueritate in genere*. cap. II. de *oppoſitis ueritatis*, *falſitate*, *errore*, *praeiudiciis et fallaciis*. cap. III. de *ueritate certa*, *et uariis modis ad eam perueniendi*. cap. IV. de *ueritate probabili*. cap. V. de *meditatione legitime inſtituenda*, *et ueritate per eam inueſtiganda*. cap. VI. de *modo libros legendi et diiudicandi*. cap. VII. de *modo alios conuincendi*. cap. VIII. de *modo alios confutandi*. cap. IX. de *modo ſeſe defendendi*. cap. X. de *modo diſputandi*. quo commodior libellus eſt, qui in ſcholis praelegatur: eo magis dolendum, errores, a typographo in prima

 edi-

editione commiſſos, ne in VIII. quidem editione ſublatos eſſe, quod bibliopolae tribuendum eſt negligentiae.

§. IV.

OBSERVANDVS etiam in ipſo uerborum poſitu quidam ordo. quamuis enim ad ſeruilem ſtructurae grammaticae (1) ordinem non adſtringamur, liberiorique uti queamus uerborum fluxu; non tamen adeo ad libidinem transiicere uoces et miſcere licet, ut delphico coniectore, ad euoluendum ſenſum, (2) opus ſit.

(1) quibus aures ſunt lectione CICERONIS, CAESARIS, aliorumque, probe ſubactae, illis ſeruilis illa collocandi ratio, qua ad germanorum conſuetudinem reuocamus formulas, barbarum quid, et ieiunum ſonabit. quamquam enim in quibusdam utrique linguae conueniat: ſunt tamen non pauca, in quibus prorſus a ſe diſſentiunt. qui uerum expiſcari cupiat, diſſoluat circumductam aliquam uerborum continuationem, eamque ad uernaculae poſitum linguae reuocet: nae! prorſus agreſtis ſit, niſi quam diffluat oratio, et omnem ſuauitatem amittat, ſentire poſſit. pertinent huc regulae, quas infra de grammaticis dabimus elegantiis cap. IV. ſect. I. adde STREBAEVM de *uerborum collocatione*, et CHRIST. HENR. WEISSIVM de ſtilo lib. V. cap. II. FABIVM lib. IX. cap. IV.

(2)

(2) docent hoc, quas CICERO nobis et FABIVS de collocatione reliquerunt, regulae: quas qui obſeruauerit, et omnem adhibebit numerum, nec obſcurus tamen euadet. ſic plena ſunt omnia, quum haec CICERONIS uerba legis: *augebat etiam moleſtiam, quod magna ſapientium ciuium, bonorumque penuria, uir egregius, coniunctisſimusque mecum, conſiliorum omnium ſocietate, alienisſimo reipublicae tempore exſtinctus, et auctoritatis et prudentiae ſuae triſte nobis deſiderium reliquerat: dolebamque, quod non, ut plerique putabant, aduerſarium, aut obtrectatorem laudum mearum, ſed ſocium potius et conſortem glorioſi laboris amiſeram.* ſed traiiciamus quaeſo eadem et ita diſcerpamus: *moleſtiam etiam, quod egregius uir, et mecum ſocietate omnium coniunctisſimum conſiliorum, tempore rei alienisſimo publicae, penuria ſapientium magna bonorumque ciuium, exſtinctus, triſte nobis et auctoritatis et prudentiae deſiderium reliquerat ſuae, augebat: et, quod non aduerſarium, plerique ut putabant, ſed laboris potius amiſeram ſocium glorioſi et conſortem, dolebam.* nonne fracta haec omnia et obſcura cuiuis uidentur, cui ſanius paullo aurium dederunt iudicium muſae?

§. V.

OBESSE porro perſpicuae dicendi rationi *troporum* longius paullo petitorum *coaceruationem* (1), ſatis res ipſa loquitur. non enim omnes ea ſunt ingenii uirtute, ut, quae ſit inter uoces iſtas ſi-

militudo, perſpiciant, figuratamque ſignificationem ſtatim hariolentur et capiant. itaque multum conferet ad perſpicuitatem, uocis in natiua ſua notione uſurpatio. non negandum quidem eſt, uel decem ſaepe uni uocabulorum competere ſignificationes, quas ſcire uniuerſas noſtra omnino intereſt: nihilo tamen minus unica tantum eſſe propria uocis ſignificatio debet, reliquis ob ſimilitudinem modo, quae inter propriam notionem et res ſignificatas intercedit, conceptis. iſtam quaerere praecipue iuuat, (2) quamquam reliquae non ſint reiiciendae, ſi modice adhibeantur.

(1) CICERO de *oratore* lib. III. p. m. 549. deinde uidendum eſt, ne longe ſimile ſit ductum. *ſyrtim patrimonii*, *ſcopulum libentius dixerim: charybdim bonorum*, *uoraginem potius.* facilius ad ea, quae uiſa, quam ad illa, quae audita ſunt, mentis oculi feruntur. add. p. 550. *eſt hoc magnum ornamentum orationis, in quo obſcuritas fugienda eſt. etenim ex hoc genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata.*

(2) immo FABIVS noſter recte iudicat, dari *translata*, quae, quum aliter res nequeant ſignari, *propriorum uicem uocabulorum* recte ſuſtineant. en eius uerba: *non tamen, quidquid non erit proprium, protinus et improprii uitio laborabit. quia primum omnium multa ſunt, et graece, et latine non nominata. nam et qui iaculum emittit,*

ia-

iaculari dicitur. qui pilam aut ſudem, adpellatione priuatim ſibi adſignata caret, et ut, lapidare quid ſit, manifeſtum eſt: ita glebarum teſtarumque iactus non habet nomen. unde abuſio, quae κατάχρησις dicitur, neceſſaria. —— —— —— etiam, quae bene translata ſunt, propria dici ſolent. p. 431. *edit. cit.*

§. VI.

NEQVE mediis deſtituimur, ad inueniendas uerborum ſignificationes proprias, perquam perſpicuis. quando enim uerba cum re ſignificata nexu gaudent neceſſario; atque ab auctoribus, qui data opera rem aliquam pertractarunt, crebro ſunt adhibita; nec minus ipſa uocis deriuatio ſignificatum (1) defendit: tum demum, neſcio quis, proprium eſſe eius rei deſignandae uocabulum, negauerit. ex antiquis proprietatis laudem cum primis meruerunt PHAEDRVS, NEPOS, CAESAR (2).

(1) confer, ſi placet celeberrimi REINHARDI *inſtitutiones ſtili latini cap. I. ſect. II. §. III. p.* 19. (27)

(2) proprietatis linguae latinae amantibus accenſet etiam APVLEIVM excellentisſimus HEINECCIVS, in *fundament. ſtili cultioris part. III. cap. I. p.* 241. quamquam non diffiteatur, monſtroſae ac tumidae latinitatis auctorem eum-

dem eſſe, ut, eum rudere cum aſino ſuo, lepide iudicauerit MELANCHTHON.

§. VII.

NEC deſunt ex recentioribus, qui uiam nobis ad hanc rem faciliorem, aperuerunt. praecipuus eſt BARNABAS BRISSONIVS (1), quem exceperunt AVSONIVS POPMA (2) IO. VORSTIVS (3) et BASILIVS FABER (4)

(1) qui *peculiarem* de *formulis et ſolemnibus populi romani uerbis* librum PARISIIS MDLXXXIII. fol. edidit, quae hodie rariſſima eſt editio; in quo libro, quaecumque uocabula aut uſus ſacer, aut profanus, in iudiciis, in foro, in curia, in caſtris, ſolemnia fecerat, atque maxime propria, conlegit ſummo ſtudio, atque nobiscum communicauit. prodiit deinde in germania quoque, in primis MOGVNTII CIↃIↃCXLIX. 4. et recentiſſime HELMST. MDCCXXXII. fol.

(2) eo enim ipſo, quod ſcripſit de *uerborum differentiis*, proprium cuiusuis uocabuli ſenſum adnotare debuit. confer ſupra part. I. cap. I. §. IV. *p.* 30.

(3) de *latinitate ſelecta uulgo uero neglecta*, qui ſeptem capitibus prioribus omnium orationis partium ſignificationes ſelectas pertractauit, uocumque proprietatem exhibuit. conf. ſupra part. I. cap. I. §. VI. *p.* 32. ſeqq.

(4) huc facit eius *theſaurus eruditionis ſcholaſticae* ex editione GESNERI. MDCCXXVI. in fol.

fol. qui, quod neglexerat STVBELIVS in praecedentibus libri editionibus, adcuratius emendauit.

§. VIII.

INTERDVM ex incuria fieri ſolet, ut eius generis, aut uocabula, aut dicendi formulas, inmiſceamus recte cogitatis, quibus uarius ſenſus indicatur: quod qui committit, obſcurus necesſario euadit. alterum *amphiboliae*, *homonymiae* alterum nomine deſignatur. qui deuitare uitium hoc deſiderat, cum cura ſingulas uoces illarumque nexum, ne dubius exſiſtat ſenſus, perpendat, phraſesque ambiguas omni modo iubeat exſulare. ſi quis exempli cauſa (1) *gallum*, aut *taurum*, promittat alteri, aut *lupum*, nimis uerſutus ſit, qui recte capiat: quum romanorum ſenſu uariis hae uoces notionibus ſint inſignitae. recte hinc ad *homonymiam* referuntur. qui porro (2) duo nomina, quorum alterum agendi, alterum patiendi ſenſu ueniat, adcuſandi caſu iungit: *amphiboliam* deuitare non poterit. ſic *gallos uiciſſe germanos*, *fama eſt*, in ambiguis loquendi formulis merito numeratur.

(1) praecipit hac de re FABIVS etiam *libro VIII, cap. II, p.* 432. *ed, cit*, fallunt etiam uerba, uel

uel regionibus quibusdam magis familiaria, uel artium propria, ut *atabulus uentus*, et nauis *ſaccaria*, et in *malacho* fanum, quae uel uitanda apud iudicem ignarum ſignificationum earum, uel interpretanda ſunt, *ſicut in his, quae homonyma dicuntur, ut taurus animal ſit? an mons? an ſignum in caelo? an nomen hominis? an radix arboris? niſi diſtinctum, non intelligitur.*

(2) ſic idem docet FABIVS *l. c. p.* 433. uitanda in primis *ambiguitas*, non haec ſolum; de cuius genere ſupra dictum eſt, quae incertum intellectum facit: ut, CHREMETEM *audiui percusſiſſe* DEMEAM, ſed illa quoque, quae, etiamſi turbare non poteſt ſenſum, in idem tamen uerborum uitium incidit, ut ſi quis dicat, *uiſum a ſe hominem librum ſcribentem.* nam etiam ſi librum ab homine ſcribi pateat, male tamen compoſuerat, feceratque ambiguum, quantum in ipſo fuit.

§. IX.

SIC etiam, qui perſpicuitatis laude cupit inſigniri, *obſoletis* (1), *peregrinis*, (2) et *nouiter inuentis* (3), uocibus abſtineat neceſſe eſt. ſi quis ex uerbis obſoletis hanc periodum componeret: *meddices topper hemerodromos uiennam miſſunt, petuntes, ut rem endo andro de curminificis et mercatoribus non montent, ſed confectent*: quotus quisque intelligeret eam, niſi EVANDRI mater, aut aborigines? quod de uerbis

dixi-

diximus, idem de antiquata conſtruendi ratione uolumus intellectum. hac enim maxime perturbatur naturalis ordo, et ſermo redditur obſcuriſſimus. id quod et PERSII (4) et PLAVTI et LVCRETII exempla ſatis probant. uti enim PERSIVS ad remotas nimis fabulas adluſit: ita PLAVTVS (5) et LVCRETIVS (6) obſoletis ſuis uocibus rem maxime obſcurarunt. qui leuiter hos auctores inſpexit, ſatis, credo, conuictus erit, ut exemplorum heic copia facile queam ſuperſedere.

(1) lege iterum QVINCTILIAN. *l. c. p.* 432. et obſcuritas fit etiam in uerbis ab uſu remotis, ut ſi commentarios quis pontificum, et uetuſtiſſima federa, et exoletos ſcrutatus auctores, idipſum petat ex his, ut, quae inde contraxerit, non intelligantur. *hinc enim aliqui famam eruditionis adfectant, ut quaedam ſoli ſcire uideantur.*

(2) peregrinas uoces ſermonem obſcurare, uel inde patet, quod uel origo latet, uel ignotae ſunt latinis auribus. confer ſupra *cap. I.* §. *XLIV.* *p.* 94.

(3) confer ſupra *cap. I.* §. *XXII. ſeqq.*

(4) multam tamen lucem huic auctori, praeter infra memorandos, accendit NICODEMVS FRISCHLINVS in *paraphraſi ſua*, cuius recenſionem dedi in *uita* FRISCHLINI cap. III. §. 3.

3. p. 93. et cap. I. §. XXI. p. 25. not. f. prodiit praeter ea haec paraphraſis cum ipſo textu et notis VOLSCI, ENGENTINI et FOQVELINI, BASIL. MDXXCII. 4.

(5) pauca huc referam. AMPHITR. *prol.* 70. *quoiquam* pro *cuiquam.* I. 1. 23. *potiuit* pro *potitus eſt.* I. 1. 28. *occillet* pro *contundit.* I. 1. 34. *duello* pro *bello.* I. 1. 55. *expugnaſſere* pro *expugnaturum eſſe.* II. 1. 79. *nugas blatis* pro *blateras.* II. 1. 84. *ſimitu* pro *ſimul.* II. II. 16. *uir belli clueat* pro *audiat.* II. II. 41. *creduis* pro *credideris.* II. II. 46. *rumificant* pro *euehunt.* II. II. 84. *tetuli* pro *tuli.* II. II. 97. *implicíſcier* pro *implicari.* III. II. 19. *oſa ſum* pro *odi.* III. IV. 2. *fuat* pro *fuerit.* III. IV. 17. *ciſpellam* pro *depellam.*

(4) multa, quum in LVCRETIO occurrant, ex eius initio pauca dabo. lib. I. u. 19. *frundiferasque domos auium* pro *nidos* u. 30. *militiai* pro *militiae.* 84. *endogredi* pro *ingredi.* 180. *grandeſcere* pro *creſcere.* 194. *de nilo* pro *nihilo.* 222. *conſumſe* pro *conſumſiſſe.* 229. *endopedita* pro *impedita.* 252. *alid* pro *aliud.* 290. *tuimur* pro *intuemur.* 291. *fuemus* pro *fueuimus.* 296. *fereſcunt* pro *ſiccantur.* 376. *fuuat*, *posſidat* pro *fuerit*, *posſideat.* 412. *deliquat* pro *liquet.* 419. *ſupera* pro *ſupra.* 438. *apiſci* pro *adipiſci.* 602. *eſcit* pro *erit* 647. *muſſant* pro *tacent.* 656. *ſtingui* pro *diſtingui.* 671. *poſitura* pro *poſitu.* 705. *anima* pro *aere.* 824. *ſanguen* pro *ſanguinem.*

§. X.

NEQVE minus perſpicuitatem impedit *membrorum nimia breuitas.* recte nimirum

rum HORATIVS: *breuis eſſe laboro, obſcurus fio.* delectantur non nulli, qui ſapientiae laudem in ea ponunt, conciſa dictione (1), quae, quot uerba, tot pondera ſimulat; uoces ad complendum ſenſum neceſſarias omittit; atque id genus ellipſes inducit, quae pro ipſa re ſphynges, aenigmata, oracula, connectunt. habere ſuauitatis et elegantiae multum ellipſes, non negamus. ſed, uti omne, quod nimium eſt, in uitium uertitur: ita, et nos ab hoc uitio ut abſtineamus, naturae leges poſtulant. peccarunt in hanc regulam ex antiquis PERSIVS, qui merito ob unam hanc cauſſam in obſcuriſſimis habendus eſt, uti nec TACITVS, SENECA, PLINIVS, ubique ab hoc crimine puri ſunt. ex recentioribus maxime huc ſpectat LIPSIVS, cuius epiſtolae, poſtquam coeperat ellipticum (2) illud dicendi genus ſequi, obſcuritate maxima laborant. ſequitur eum CRVCIVS (3).

(1) alii breuitatis aemuli, neceſſaria quoque orationi ſubtrahunt uerba; et, uelut ſatis ſit, ſcire ipſos, quae dicere uelint, quantum ad alios pertineat, nihil putant. at ego otioſum ſermonem dixerim, quem auditor ſuo ingenio non intelligit. quidam emutatis in peruerſum dictis, de figuris idem uitium con-

conſequuntur. peſſima uero ſunt *ἀδιανόητα*, hoc eſt, quae uerbis aperta, occultos ſenſus habent, ut *conductus eſt caecus, ſecus uiam ſtare, et qui ſuos artus morſu laceraſſet, fingitur in ſcholis ſupra ſe cubaſſe.* ingenioſa haec et fortia, ut ex ancipiti diſerta credantur, perficiunt. *at peruaſit quidem iam multos iſta perſuaſio, ut id iam demum eleganter, atque exquiſite, dictum putent, quod interpretandum ſit. ſed auditoribus etiam non nullis grata ſunt haec, quae quum intellexerint, acumine ſuo delectantur et gaudent, non quaſi adiuuerint, ſed quaſi inuenerint.* FABIVS *lib. VIII. cap.* II. *p.* 434.

(2) longe aliter ſcripſerat antea; et elegantiſſime quidem CICERONEM imitatus erat: quod oſtendit celeberrimus KROMAIERVS, cuius praematuram mortem dolemus ex animo, academiae et litterarum cauſſa, in orationibus LIPSII IENAE editis. MDCCXXVI. 8.

(3) eius epiſtolas qui umquam legit, neque abruptum, et conciſum dicendi genus auerſatus ſit, a muſis abhorreat, neceſſe eſt. prodierunt in aliis amſtelod. 12. hac inſcriptione ornatae *I. CRVCI mercurius batauus, ſiue epiſtolarum libri V. opus ſtili et oratoriae ſtudioſis apprime utile, inter alia uitae monita complectens ethica, politica, oeconomica. ex officina ianſſonia* CIↃIↃCXLII. repetita eſt haec editio lubecae, impenſis ALBERTI HACKELMANN ſine conſule et die.

§. XI.

SED CAVE credas *copioſum et diffuſum dicendi*

cendi genus omnibus modis ſectandum eſſe. poteſt et illud obſcuram reddere (*) ſermonis naturam. ſunt, qui ſibimet ipſi plaudunt magnopere, quando unius ambitus filum in alteram trahere paginam didicerunt. quem ad modum autem e memoria iam ante effluxerunt, quae in propoſitione dicta ſunt, quam redditionis initium ceperis: ſic facile patet, quaenam perſpicuitas ab his hominibus poſſit exſpectari. qui, ſi didicerint, propoſitionum, quas cumulant, naturam et ordinem examinare: facile ex una obſcura tres componere perſpicuas poſſent comprehenſiones. medium ergo et heic tenere, prudentisſimum eſt. ſed ſi ipſe mentis noſtrae habitus, in dicendoque motus, longiorem requirat continuationem: ita inſtruenda ea eſt, ut, quamuis ſingula membra ſingulatim queant intelligi, iuſtum tamen nexum inter ſe cuncta retineant.

(*) conſentientem heic habes QVINCTILIANVM qui *l. c. p.* 433. ita: eſt etiam, *inquit*, in quibusdam turba inanium uerborum: qui dum communem loquendi morem reformidant, ducti ſpecie nitoris, *circumeunt omnia copioſa loquacitate*, quae dicere uolunt; ipſam deinde illam ſeriem cum alia ſimili iungentes, miſcentesque ultra, quam ullus ſpiritus durare poſſit, extendunt.

§. XII.

NON defuerunt etiam ullo tempore homines, qui, quae coniecerunt in chartam, tot *parentheſibus*, ceu uallo, communiuerunt, (*) ut maximam inde ſermoni ſuo adtraxerint maculam obſcuritatis. non omnem quidem proſcribimus interiectionis uſum, ſi modeſtus ſit, et raro occurrat: credimus tamen haud immerito, ſuauiorem eſſe orationem omnem, quae ſine parentheſibus pura fluat et ingenua. multorum ſcripta non ex alia magis cauſſa ſunt obſcura, quam quod auctores uſi ſunt tot parentheſibus. ſed ni me omnia fallunt, abſtinebunt iis munimentis facile omnes, qui recte et ſecundum ſanioris logices praecepta cogitare didicerunt. illi enim cogitationum ordinem ita obſeruant, ut nihil dicant in ſequentibus, niſi, quod ex antecedentibus fluat ſua ſponte. ſimiles uidentur parentheſes freno, quo equos, extra uiam proſilientes, in regiam reducimus: ſi cauebimus, ne proſiliant equi, freno iſto haud opus erit.

(*) meminit et huius uitii QVINCTILIANVS. *qui l. c. p.* 433. hunc in modum diſſerit: *etiam interiectione, qua et oratores et hiſtorici frequenter utuntur, ut medio ſermone aliquem inſe-*

rant

rant ſenſum, impediri ſolet intellectus, niſi, quod interponitur, breue eſt. nam VIRGILIVS *illo loco, quo pullum equinum deſcribit, quum dixiſſet:*

nec uanos horret ſtrepitus — —

compluribus inſertis, alia figura quinto demum uerſu redit:

— — ſi qua ſonum procul arma dedere,
ſtare loco neſcit. georg. libr. VIII.

§. XIII.

INVENIVNTVR quoque haud pauci, qui gallorum morem imitati, nimium abſtinent a particulis connectendi, tamquam orationis uinculis quibusdam ac neruis, ueteribus tam ſollerter excusſis, ut maxima elegantiae pars in illarum genuino uſu fuerit conlocata. ſed uero quem ad modum hac ratione ieiuna redditur atque ficulnea interdum oratio: ita haud raro difficilior etiam (1) efficitur. qui aberrare noluerit, CICERONIS cum cura periodos luſtret, notetque uoces, quibus, tamquam nodis et uinculis, partim membra intra ſe, partim integras periodos coniungit. eleganti nobis ſubſidio erunt HORATII TVRSELLINI (2), GEORG. DITER. BOHMII (3), et STEWECHII (4) de *particulis linguae latinae libri*, ſi ſtudioſius paullo, quam fieri ſolet, legantur. difficilior quidem, ſed fructuoſiſſimus

 mus

mus labor eſſet, ſiquis ipſe CICERONIS orationes (5) ſingulas ſtudioſe perlegeret, et particulas iſtas ad ſuas quasque claſſes referret. ita eſſet certisſimus, et elegantisſime iis uteretur.

(1) quum enim nodi ſint atque nerui particulae, quibus oratio noſtra debet conſtringi: facile ex falſo nexu impediri poteſt intellectus. quippe dum, quae habent uim ſeiungendi, aut inferendi, permiſcentur cum iis, quae coniungunt: non poteſt non obſcura reddi oratio. maxime illud conſiderandum in particulis eſt, quod illarum ſenſus genuinus multis eſt incognitus. plurimi aut uulgaribus fidunt lexicis, aut recentiorum ſcriptis inhaerent. hi quum negligant auctorum perluſtrationem adcuratam: falluntur et fallunt alios. quorum deinde ſcripta ſi perlegantur ab eruditis rerum intelligentibus, alium hi longe, ac intendit auctor, ſenſum ſibi effingunt.

(2) eius *particulae latinae orationis* elegantisſime prodierunt cura SCHWARTZII LIPSIAE MDCCXIX. 8. hiſtoriam huius libri, item lites, quas mouit eruditisſimo SCHWARTZIO FACCIOLATVS, recenſet uenerabilis WALCHIVS *in hiſtoria crit. lat. linguae p.* 388. *ſeqq.*

(3) edidit *commentarium von den particulis und einigen andern wörtern der deutſchen und lateiniſchen ſprache cum praefatione C. A. HEVMANNI* FRANCOFVRT. MDCCXVIII. 8. qui liber, ſi duce praeceptoris legatur cum cura, dici non poteſt,

eſt, quantum praecipue germanos noſtros in deuitandis homonymiis adiuuare poſſit.

(4) GODESCALCI STEWECHII husdani de *particulis linguae latinae* liber prod. COLON. MDCXVII. 8. qui ſane multum adhibuit operae in conligendis iis, quae ſibi reſpondent, particulis.

(5) conatus ego ſum tyrocinium huius laboris exhibere in *doctrina de periodis* infra *p. I. cap. IV. ſect. III. §. XXV. ſeqq.*

§. XIV.

DENIQVE per *minus recte poſita* ſigna, quibus membrum ab membro, inciſum ab inciſo, ſeparari ſolet, obſcuritas haud raro exoritur maxima. incognita quidem erant ueteribus romanis noſtrae diſtinguendi notae: at eo difficilior etiam legendi labor; ut in eruditis iam haberetur, qui codicem ignotum debito modo pronuntiaret. ſatis id docet AVLVS GELLIVS *noct. attic. lib. XIII. cap. XXX* (1). ſcribebant uoces maiuſculas indiſtincta, et non interrupta, litterarum ſerie: deinceps ſeparatim quidem ponebant uoces, nullo tamen diſtinguendi ſignoadpoſito. denique poſt ſingulas uoces, cum primis in lapidibus, punctum conlocabant, quo, quum ſpatium eſſet arctum nimis, uocum ſeparatio indicaretur. quod

patet partim ex HVMPHREDI PRIDEAVX (2) *marmoribus oxonienſibus*; partim ex NORISII *tabula piſana* (3). adde CELLARII *orthographiam p.* 70. et *orthographiae rationem* ab ALDO MANVTIO, PAVLI filio, conlectam (4) paſſim.

(1) dabimus ipſa uerba, p. 476. edit. LONGOL. *curiae regnitianae* MDCCXLI. 8. laudabat, uenditabatque ſe nuper quispiam, in libraria ſedens, homo inepte glorioſus, tamquam unus eſſet ſub omni caelo ſatirarum M. VARRONIS enarrator; quas partim cynicas., alii menippaeas adpellant, et iaciebat inde quaedam non ad modum difficilia: ad quae coniicienda adſpirare poſſe neminem, dicebat. tum forte ego eum librum, ex iisdem ſatiris, ferebam, qui ὑδροκύων inſcriptus eſt. propius igitur acceſſi: et noſti, inquam, magiſter uerbum illud ſcilicet e graecia uetus; muſicam, quae ſit abſcondita, eam eſſe nulli rei? *oro ergo te, legas hos uerſus pauculos*, et prouerbii iſtius, quod in his uerſibus eſt, ſententiam dicas mihi. *lege*, inquit, *tu mihi potius, quae non intelligis, ut ea tibi ego enarrem. quonam* inquam, *pacto legere ego poſſum, quae aeque non adſequor? indiſtincta namque et confuſa fient, quae legero, et tuam quoque impedient intentionem.* tunc aliis etiam, qui ibi aderant, comprobantibus deſiderantibusque, accepit a me librum ueterem, fidei ſpectatae, luculente ſcriptum. accepit autem inconſtantisſimo uultu et moeſtisſimo. ſed quid deinde dicam? non au-

audeo hercle poſtulare, ut id credatur mihi. *pueri in ludo rudes, ſi eum librum accepiſſent, non ii magis in legendo deridiculi fuiſſent: ita et ſententias intercidebat, et uerba corrupte pronuntiabat,* cet.

(2) prod. OXONII. MDCLXXVI. fol.

(3) edita eſt in aliis WITEBERG. MDCCVII. 8.

(4) prodiit VENETIIS MDXCI. 8.

§. XV.

RECENTIORES grammatici plures inuenerunt diſtinguendi characteres: neque male. ſic enim ad ſenſum auctoris plene percipiendum, planisſimus aperitur trames. neque tamen omnes eadem ratione ſigna haec conlocant: aliis hanc, aliis iſtam ſequutis rationem. non deſunt etiam uiri (*) praecellentes, qui in ſcriptis ſuis diſtinguendi normam ſedulo docuerunt.

(*) praeter eos enim, quos adduxit LAVRENTIVS REINHARDVS in *inſtitut. ſtil. cap.* I. *ſect.* 2. *p.* 24. referri huc merentur CHRIST. WEISSIVS in *den curioſen gedanken von deutſchen briefen: ubi pag.* 238. peculiare caput de *interpunctione* habet, et recte procedit. porro CASP. DORNAVIVS, qui ſuo *de periodis* libello et hanc materiam inmiſcuit. IOACH. item LANGIVS, qui in ſuis *ſtili latini inſtitutionibus caput V.* huic negotio conſecrauit, uid. *p.* 77. THOMAS BANGIVS *exercit. philolog. lib. II. p.* 1431 *ſeqq.*

qui erudite prorſus differit. paucis etiam hanc rem attigerunt, uir humaniſſimus IO. CHRIST. GOTTSCHED in *der vernunft-mäſsigen rede-kunſt p.* 78. FREYERVS in *orthograph. p.* 168. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 222, et uir. clariſſimus, GEORG. VENZKIVS, qui p. 12. *der proſaiſchen accentuation der hebreer*, germanorum quoque diſtinguendi modum adducit.

§. XVI.

AD MEAM uoces diſtinguendi rationem quod adtinet: naturae ſequor uiam, atque ordinem. et quo ſunt maiora membra, quae a ſe diſtinguuntur: eo maiori utor diſtinctionis ſigno. hinc quum poſt periodos, puncto ſeiungendas, propoſitionis a conſequutione maxima ſit ſeparatio: colon pono, maximae diſtinctionis poſt punctum characterem. membra deinde, quae, uel in propoſitione, uel conſequutione, forte occurrunt, ſemicolo ſeiungo. denique propoſitiones, quae ab aliis incidentibus diſſecantur quaſi, nec non diuerſa ſubiecta, commate ſeparo. figuras exclamandi, admirandi, interrogandi, ſigno, cuiuis conuenienti, deſcribo.

PART.

PART. I.

CAP. III.

DE SVAVITATE LINGVAE LATINAE.

ORDO DICENDORVM.

quid ſuauitas linguae latinae ſit? ISOCRATES, DEMOSTHENES et CICERO iſtius ſuauitatis auctores ſunt praecipui §. I.

aures ad hanc ſuauitatem ſunt adſueſcendae crebra et clara pronuntiatione. §. II.

ad tria reſpiciendum eſt in ſuauitate, ad litteras, ſyllabas, uoces § III.

litterarum natura diuerſa eſt. diuiduntur in uocales et conſonantes §. IV.

ſuauitas in conſonantibus poſita. inluſtratur exemplis §. V.

uocalium diuerſa ſuauitas, cauendum ne illarum poſitu os modo diſtrahatur, modo contrabatur §. VI.

cauendus aſper uocalium concurſus et hiatus. §. VII.

ſyllabarum apte poſitarum ſuauitas, quantitas illarum apte miſcenda. §. VIII.

cauendum heic, ne extrema uerba cum ſequentibus primis obſcenum quid conſtituant §. IX.

cauendum, ne finis ultimae uocis ſit initium ſubſequentis. §. X.

ſuauitas eſt etiam in ipſa uocum compoſitione §. XI.

cum primis in numero oratorio. quid ſit numerus oratorius? §. XII.

a quibus auctoribus hic diſcendus ſit numerus. §. XIII.

obſeruationes huc ſpectantes ex CICERONE producuntur. quaeritur, utrum numerus in toto ambitu tenendus ſit? §. XIV.

pedes medii latere aliquando poſſunt §. XV.

quid in primis numeris exordiente periodo, tenendum? illud exemplis declaratur §. XVI.

quid in mediis numeris notandum? §. XVII.

quid in finiendo ambitu? uariandi ſunt numeri. exemplorum ſylloge §. XVIII.

regulae de numero generales. numerus ne ſemper ſit idem. uerſus ſunt cauendi. exemplis hoc inluſtratur. §. XIX.

quaedam per ſe ſunt numeroſa, et quaenam? §. XX.

quidnam in omni fugiendum numero. §. XXI.
quinam auctores fuerint numeroſiſſimi ? §. XXII.
ſuauitas ſermonis eſt etiam in commutata ratione dicendi. cauenda eiusdem uocis et phraſeos iterata repetitio. auctores commutatae dicendi rationis §. XXIII.
ſuaultas ex particulis haurienda cum ratione ſignificationis §. XXIV.

§. I.

In eo linguae latinae ponitur ſuauitas omnis ac dulcedo, ut in litterarum, uerborum, et totius orationis ambitu, is ordo fluat et poſitus, qui aures delectet, et mirifica ſua dulcedine capiat. haec uirtus CICERONEM in tanta conlocauit luce, ut oratorum et lumen et decus merito nominetur. didicit eam a graecorum ſummo DEMOSTHENE (1), atque in ſuis orationibus id exemplum reliquit, quod omnem emendationem reſpuit (2).

(1) primus hanc deguſtauit ſuauitatem ISOCRATES, de quo ipſo CICERO de *oratore lib. III. p.* 552. *idque*, inquit, *princeps ISOCRATES inſtituiſſe fertur, ut inconditam antiquorum dicendi conſuetudinem, delectationis, atque aurium cauſſa (quem ad modum ſcribit diſcipulus eius NAVCRATES) numeris adſtringeret.* atque in BRVTO p. 576. *ante hunc uerborum quaſi ſtructura et quaedam ad numerum concluſio nulla erat. aut, ſi quando erat, non adparebat, eam dedita opera eſſe quaeſitam: quae forſitan laus ſit: uerum tamen, natura magis*

gis tum, caſuque non numquam; quam aut ratione aliqua, aut obſeruatione fiebat. denique DEMOSTHENES fuit, qui omnem in ſuauitate numerum impleuit. pulcre iterum ipſe CICERO in BVRTO p. 576. *nam plane quidem perfectum, et cui nihil ad modum deſit, DEMOSTHENEM facile dixeris. nihil acute inueniri potuit in eis cauſſis, quas ſcripſit, nihil, ut ita dicam, ſubdole, nihil uerſute, quod ille non uiderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſſit aliquid limatius: nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, uel uerborum grauitate, uel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius.* quo et referas eius *oratorem* p. 659. *ſed ego idem, qui in illo ſermone noſtro, qui eſt expoſitus in BRVTO, multum tribuerim latinis, uel ut hortarer alios, uel quod amarem meos, recordor longe omnibus unum anteferre DEMOSTHENEM, qui uim adcommodarit ad eam, quam ſentiam, eloquentiam, non ad eam, quam in aliquo ipſe cognouerim. hoc nec grauior exſtitit quiſquam, nec callidior, nec temperatior. itaque nobis monendi ſunt ii, quorum ſermo imperitus increbruit, qui aut dici ſe deſiderant atticos, aut ipſi attice uolunt dicere, ut mirentur hunc maxime, quo ne athenas quidem ipſas magis credo fuiſſe atticas.* ſane quod is exemplum commendauit aliis, quin ipſe ſequutus ſit, minime eſt dubitandum: quid quod unus quisque id luculenter animaduertat, qui huius cum illius ſermonibus contendere uoluerit.

(2) uel illud ſolum argumento eſt, quod ad unum omnes, qui ſuauem dicendi rationem, probant

bant et extollunt, huic uni primas deferant. omnium loco ſit FABIVS inſtitut. orat. *lib. XII, cap. X, p.* 711. at M. TVLLIVM, *non illum habemus EVPHRANOREM circa plurium artium ſpecies praeſtantem, ſed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentisſimum.*

§. II.

NON prius autem ſentiemus ſuauitatem iſtam, quam communibus infixa ſenſibus erit aurium menſura, quarum acerrimum eſt iudicium (1). adſueſcenda ea eſt ipſa ſermonum clara pronuntiatione, quae nec intermiſſa ſit, nec ſordida; ſed ipſam uerborum indolem, uim, concitationem, represſionem, uehementiam, remisſionem, linguae modulatione ſuauiter aemuletur. ſumendae cum primis ſunt CICERONIS orationes, cum quibus CAESARIS (2) commentarios haud iniuſte coniunxeris.

(1) uid. CICERON. de *oratore lib. III, p.* 477.

(2) auctore IO. GVILIEL. BERGERO.

§. III.

QVI ſuauitatis iſtius ſenſu perfuſus eſt, is facile largietur, *tria* omnino eſſe, quae dulcedinem hanc promoueant, litterarum et ſyllabarum diligentem et ua-

uariam conlocationem ; uocum amoenum et aequabilem poſitum ; concentum denique totius conuerſionis numeroſum, exponemus ſingula ſeorſum.

§. IV.

LITTERARVM naturam a ſe diuerſam eſſe, uariamque harum in uocibus conligationem aemulari certas hominum actiones, nemo negauerit, qui presſius paullo, uel poetarum ſcripta, uel oratorum monumenta praeſtantisſimorum, hunc in finem perſcrutatus ſit. diuiſio iſtarum in conſonantes et uocales notisſima eſt : quaelibet tamen harum, ſuo poſitae modo, ſuauisſimum efficiunt concentum, naturaeque linguam exprimunt elegantisſime.

§. V.

AD conſonantes quod adtinet litteram L. quae molle quid contineat, eſſe *adulatorum* ; litteram M. ut duriorem inſeruire *magnificis et rebus grandibus* ; N. *tinnulum ſonare*. R. *litteram caninam* rebus aſperis et horridis exprimendis commodam eſſe, S. ſibilum concitare, recte iamdudum notatum eſt grammaticis (1). hinc curam uel his minutiis adhibendam eſſe

eſſe, facile concedet, qui ſuauitate (2) ſua hominum animos occupare uoluerit.

(1) uide in aliis QVINCTILIANVM *inſtitut. orator. l. IX. cap. IV. p.* 538. copioſius rem omnem expoſuit IACOBVS LODOICVS STREBAEVS *de uerborum electione et collocatione oratoria lib. I. cap. XIX. p.* 120 *ſeqq. edit.* BASIL. MDXXXIX. 8. adde GEORG. TRAPEZVNTIVM *rhetor. lib. IV. p.* 471. it. BERGERVM de *naturali pulcritudine orationis p.* 262. 294. 305.

(2) VIRGILIVS omnium loco nobis eſſe poteſt. quis equorum tolutantium motum ſuauius expreſſerit hiſce uerſibus? AEN. *IV. u.* 596.

quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum,

GEORGIC. *III.* 88.

tellurem et ſolido grauiter ſonat ungula cornu;

AENEID. *l.* 875.

quadrupedumque putrem curſu quatit ungula campum.

numquam certe ſic adficerent aures, niſi conſonantium pariter ac uocalium rationem habuerit. fabrorum laborem eadem felicitate VIRGILIVS expreſſit GEORG. *V.* 174.

illi inter ſeſe magna ui brachia tollunt
in numerum, uerſantque tenaci forcipe ferrum.

§.

§. VI.

HABENT et uocales peculiarem ſibi proprietatem ſingulae, A. terrendi, E. querendi, notas continent: I. rerum eſt exilium: O. magnarum, ſubtilium, inexſpectatarum, V. obſcurarum et occultarum (1). quo plures ergo eiusdem generis cumulantur uocales: eo plenior ſonat in prudentium auribus ſermo. ſi quis uero congerat uocales, quibus os modo contrahitur, modo diſtrahitur, non ſane ſuauis, ſed horrida, ſed inculta, ſed barbara efficitur oratio. (2) audi quaeſo et adplaude! *uberum matrum ingenua ubertas proponitur.* uel *omnia ea uitia auaritia habet.*

(1) plura de uocalium natura et ſono expoſuit STREBAEVS *l. c. p.* 110. item IO. GVIL. BERGERVS de *naturali pulcritudine ſermonis p.* 301.

(2) confer FABIVM *inſtitut. orat. IX.* IV. *p.* 587. *ſeq.*

§. VII.

AEQVE minus ſuauiter fluit dicendi genus, ubi aſper eſt uocalium concurſus, aut hiulca redditur oratio. (1) quod quidem latina lingua ſic cauet, nemo ut tam ruſticus ſit, quin uocales nolit

lit coniungere. romanis enim, ipſo teſte CICERONE, qui magnus nobis auctor eſt, (2) ne ſi cupiant quidem, diſtrahere uoces conceditur.

(1) de *oratore lib. III. p. 551.* conlocationis eſt componere, et ſtruere uerba, ſic, ut neue aſper eorum concurſus, neue hiulcus ſit, ſed quodam modo coagmentatus et *laeuis*. item paucis interpoſitis: *p. 552. ſed eſt* tamen haec conlocatio conſeruanda uerborum, de qua loquor, quae iunctam orationem efficit, quae cohaerentem, quae lenem, quae aequabiliter fluentem. *id adſequemini, ſi uerba extrema, cum conſequentibus primis ita iungetis, ne aſpere concurrant, neue uaſtius diducantur.*

(2) in *oratore p.* 691. àddatur *auctor ad* HERENNIVM *p.* 82. ea (uerborum conſtructio) conſeruabitur, ſi fugiemus crebras uocalium concurſiones, quae uaſtam atque hiantem orationem reddunt, ut hoc eſt: *baccae aeneae amoeniſſimae impendebant.*

§. VIII.

MAGNA etiam ſuauitas latet in ſyllabarum iuſta compoſitione, mixturaque. ubi monoſyllaba (1) regnant, ſalit ſtilus. breues ſyllabae continuatae uelocius quaſi uolant. ſi uero litterarum comprehenſiones pleraeque ſint longae, colligitur inde neſcio quid tardi et remiſſi. prudenter agit, aureſque blandi-

ter

ter afficit, qui, pro rerum natura (2), modo breuibus ac concitatis, modo longis ac demiſsis incedit ſyllabis.

(1) etiam monoſyllaba plura male continuabuntur, quia neceſſe eſt, ut compoſitio, multis clauſulis conciſa, ſubſultet. ideoque etiam breuium uerborum ac nominum uitanda continuatio, et ex diuerſo, quoque longorum. adferunt enim quamdam dicendi tarditatem. FABIVS *inſtit. orat.* IX. IV. *p.* 539.

(2) quo magis enim, uel ſyllabarum uelocitate uel tarditate res imitamur, eo ſuauior fluit numerus et exprimitur natura. cum primis conferendus eſt QVINCTILIANVS *libr. IX. cap. IV. p.* 556. *ſeqq.*

§. IX.

CAVENDVM ergo eſt, ne miſcendo ſtudioſe litterarum comprehenſiones in alia procidamus uitia. ſaepius enim fieri ſolet, ut extrema uerba cum conſequentibus primis obſcenum quid conſtituant. hinc eſt, quod ueteres ſollicite curarunt, ne *cum me*, *cum nobis*, *quamuis ſit*, cetera, ponerent. (*)

(*) uide ſis CICERONIS *oratorem p.* 692. quid illud? non olet, unde ſit, quod dicitur *cum illis? cum* autem *nobis* non dicitur, ſed *nobiſcum*, quia ſi ita diceretur, obſcenius concurrerent litterae, ut etiam modo, niſi *autem* interpoſuiſſem, concurriſſent. ex eo eſt *mecum*

 et

et *tecum:* non *cum me* et *cum te*, ut eſſet ſimile illis *uobiſcum* atque *nobiſcum*.

§. X.

CAVENDVM porro uidetur, ne finis ultimae uocis initium ſit ſubſequentis, aut eiusdem ſyllabae frequens occurrat iteratio (*), quem ad modum ſimiliter cadentia uerba, eiusdem uocis adſiduitas nimia, fugienda uidetur. quae omnia ſuauitatem, iſtam, qua noſtrum ſermonem commendamus, impediunt.

(*) ſpectant huc uerba *auctoris* ad *HERENNIVM libr. IV. p.* 183. ea conſeruabitur —— —— ſi uitabimus *eiusdem litterae nimiam adſiduitatem:* cui uitio uerſus hic erit exemplo: nam hic nihil prohibet in uitiis, alienis exemplis uti. *o TITE, tute TATI, tibi tanta tyranne tuliſti;* et hic eiusdem poëtae: *quidquam quisquam cuiquam quod conueniat, neget.* et ſi *eiusdem uerbi adſiduitatem nimiam* fugiemus. ea eſt huiusmodi. *nam cuius rationis ratio non exſtet, ei rationi, ratio non eſt, fidem habere.* et, ſi non utemur continenter *ſimiliter cadentibus* uerbis, hoc modo: *flentes, plorantes, lacrymantes, obteſtantes.*

§. XI.

SVAVISSIMA denique in ipſa uocum compoſitione conſpicitur dulcedo. ea gaudet romanorum lingua uerborum ubertate, uarietateque proloquendi, ut certare

tare poſſit cum qualibet, et uel centies rem eamdem, uariatis dicendi formulis, proferre. itaque uoces ſemper ſeligendae ſunt ad aurium, quod acerrimum ſolet eſſe, iudicium, quas rerum naturae, concentu ſuo ſuauisſimo, iudicaueris conuenire. has ſi duces rite ſequaris: compoſita praeferes ſimplicibus, et *comparatiuos* digniores *poſitiuis*, illis *ſuperlatiuos* eſſe, facile animaduertes. qua in re, quod §. X. iam monitum fuit, a uocibus ſimiliter cadentibus prorſus abſtinendum eſt.

§. XII.

TOTIVS ad extremum ſermonis conſtructio nexusque concentum illum ſuauisſimum requirit, quem *numerum oratorium* (1) dicere, moris eſt. non plane conuenit inter eruditos, quid hac uoce deſignent. et quamquam conueniret: tot tamen et contrariis ſaepe regulis rem, aurium iudicio (2) relinquendam, impediunt, ut, quo te uertas, aut, quid ſequaris potisſimum, haud ſatis conſtet. mihi denotat *numerus oratorius* eam ſyllabarum ac uocum non anxie quaeſitam illam, ſed quae ſua ſponte fluat, in una orationis conuerſione conſen-

ſionem, quae aures concentu ſuauisſimo demulceat. quum in ueteribus praecipue conſpiciatur hoc artificium; ut eos ſedulo legamus, harmoniamque in illorum ſcriptis leniter regnantem imitemur, ipſa rei natura ſuadet atque hortatur.

(1) conferendus cum primis eſt CICERO de *oratore lib. III. p.* 553 *ſeqq. FABIVS lib. IX. cap. IV. p.* 540. *ARISTOTELES lib. III. cap.* 8. *p.* 345. *HERMOGENES* περὶ ἰδεῶν *tom. I.* reliqui, quos auctores uide apud celeberrimum WALCHIVM *hiſt. crit. lat. ling. p.* 198. *HALLBAVERVM inſtitut. ſtili p.* 377.

(2) *FABIVS IX. cap. IV. p.* 553. optime autem de illa iudicant aures, quae et plena ſentiunt, et parum expleta deſiderant, et fragoſis offenduntur, et lenibus mulcentur, et contortis excitantur, et ſtabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia et nimia faſtidiunt.

§. XIII.

VTI graecos inter primus hanc uocum harmoniam animaduertit, et cum fructu adhibuit ad uſus ſuos ISOCRATES (1): ita quamquam non primus, princeps tamen CICERO (2), graecorum auctoritatem atque artificium ſequutus, ſuauisſimum illum modulantis ſtructurae concentum, in latium intro-

troduxit non tantum, ſed et regulis incluſit, quas ipſe in orationibus ſuis ſollertisſime expresſit (3). ſiquis ergo multum proficere in hac arte quaeſierit: nae! illum oportet peritisſime orationes integras recitare, crebra repetitione ad numerum hunc aures adſueſcere, adſuetasque adhibere in iudicium: ita diſcet ſecernere ſonantia languidis; duris mollia; conferetque uerba cum rerum propoſitarum natura, ut numeros, qui cuilibet mentis motui peculiares ſunt, non diſcat modo, ſed et imitari ſuo ſciat tempore.

(1) conf. §. I. not. 1.

(2) lege BRVTVM, ſiue de *claris oratoribus*, ubi CRASSI, ANTONII, aliorumque ante ſe meminit.

(3) uide eius *oratorem* pasſim.

§. XIV.

Adivvabimvs tamen hoc aurium, acre alias, iudicium, regulis quibusdam ex auctorum obſeruatione praeſtantisſimorum hauſtis. ſolet autem ante omnia quaeri (*) totone in ambitu uerborum numeri tenendi ſint, an in primis partibus atque in extremis? plerique enim cenſent, cadere tantum numeroſe

meroſe oportere, terminarique ſententiam. eſt autem, ut id maxime deceat, non id ſolum. ponendus enim ille ambitus, non abiiciendus; qua re quum aures extremum ſemper exſpectent, in eoque adquieſcant, id uacare numero non oportet; ſed ad hunc exitum tamen fieri debet uerborum illa comprehenſio, et tota a capite ita fluere, ut ad extremum ueniens ipſa conſiſtat.

(*) CICERO in oratore. p. 706.

§. XV.

NON tamen eo in ſingulis uerbis ſtudio deferimur ad numerum, ut in primis ultimisque non efficacius quid, et rotundius, occurrat. et, ſi primi (*) et poſtremi illi pedes ſunt hac ratione ſeruati, medii poſſunt latere, modo ne circuitus ipſe uerborum ſit aut breuior, quam aures exſpectent, aut longior, quam uires atque anima patiatur. dabimus nunc operam, ut, quid in primis, quid in mediis, quid in ultimis ambitus uerbis obſeruandum ſit, paucis indicemus.

(*) uerba ſunt CICERONIS de *oratore lib.* III. *p.* 557.

§. XVI.

QVVM in ſermone ad prima cuiuslibet ambitus uerba non ſecus adtendatur ac ad ultima: pedum etiam ratio in iis habenda eſt ſedulo. quo productiores erunt uoces primae: eo grauior erit numerus. fiat ergo exordium, aut a *moloſſo* (1) aut *ab epitrito quarto* (2). nec male ſonat breuiorum ſyllabarum congeries; quo in numero ſunt, *paean primus* (3), *paean quartus* (4), *anapaeſtus* (5), et *tribrachis* (6).

(1) ita CICERO pro QVINCTIO, p. 3. *qūae rēs īn* ciuitate duae plurimum poſſunt: eae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, ſumma gratia et eloquentia.

(2) CICERO pro ROSCIO AMERINO p. 38. *ādcūſānt ĭi*, qui in fortunas huius inuaſerunt.

(3) pro ROSCIO p. 34. *crēdŏ ĕgŏ*, uos iudices mirari, quid ſit? quod, quum tot ſummi oratores, hominesque nobilisſimi ſedeant, ego potisſimum ſurrexerim, cet.

(4) *l. c. p.* 37. *pĕtĭmŭs ābs te* MARCE VANNI, a uobisque iudices, ut quam acerrime maleficia uindicetis.

(5) *loc. cit. p.* 41. *ĕtĕnīm* multa ſimul ante oculos uerſabantur.

(6) *loc. cit. p.* 44. *chrȳſŏgŏnus* autem is,

qui plurimum poteſt, potentia pugnat. ita in VERREM *act.* I. *p.* 119. *quod erat optandum* maxime, iudices! et quod unum ad inuidiam ueſtri ordinis infamiamque iudiciorum ſedandam maxime pertinebat, cetera.

§. XVII.

AD mediam quod ambitus partem adtinet, dictum iam nobis ſuperius eſt (1), tantam in ea, quantam in reliquis, curam non requiri. non penitus reiicitur ſuauitas; ne tamen ieiuna aut languida fiat ex nimio cultu oratio: ſufficit, breuium longarumque ſyllabarum eam eſſe mixturam, quae non prorſus ingrata eſt auribus. atque uti naturam merito imitamur: ita res graues et tardiores requirunt *ſpondaeos* atque moloſſos, leuiores et concitatae *iambos* cum *trochaeis* (2).

(1) §. XIV.

(2) lege omnino QVINCTILIANVM *inſtit. orat. lib. IX. cap. IV. p.* 536. *ſeq.* 538. *ſeqq.* adde uerba p. 548. occurrentia. plurimum igitur auctoritatis, ut dixi, et ponderis habent longae, celeritatis breues: quae ſi miſcentur quibusdam longis, currunt: ſi continuantur, exultant: acres, quae ex breuioribus ad longas inſurgunt, leniores, quae a longis in breues deſcendunt.

§. XVIII.

SED finiendus etiam eſt ambitus iſte uerborum, quem periodum graeci nominant, eleganter et numeroſe. etenim in oratione prima pauci cernunt, poſtrema plerique. quae quoniam adparent et intelliguntur, uarianda ſaepe ſunt, ne aut animorum iudiciis repudientur, aut aurium ſatietate. duo enim aut tres ſunt fere extremi ſeruandi et notandi pedes (1). hos uero aut *dichoreos* (2), aut *antiſpaſtos* (3), aut *paeanas tertios* (4), aut *ionicos* (5), aut denique *creticos* (6) eſſe, oportebit.

(1) uideatur CICERO de *oratore lib. III. p.* 477.

(2) CICERO pro QVINCTIO *p.* 3. eloquentia QVINCTI HORTENSII ne me dicendo impediat, non nihil commoueor. gratia SEXTI NAEVII ne P. QVINCTIO noceat, id uero *non mediocriter pĕrtimēſcŏ.*

(3) CICERO *loc. cit. p.* 18. quid ad haec NAEVIVS? ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in uita ſua rationem ſummi officii deſideremus, et inſtituta bonorum *uirorum rĕquīrāmŭs.*

(4) CICERO in VERREM *act. ſecunda p.* 138. eſt idem VERRES, qui fuit ſemper - - - ne hoc quidem ſibi reliqui facit, ut in rebus turpisſimis, quum manifeſto teneatur; ſi re-

ticeat et abſit, tamen impudentiae ſuae pudentem exitum *quaeſiſſe uidĕātŭr.*

(5) *loco cit.* neque enim hoc a uobis populus romanus exſpectat : neque eo poteſt eſſe contentus, ſi condemnatus ſit is, qui adeſſe noluerit, et ſi fortes fueritis in eo, quem nemo *ſit auſus dēfĕndĕrĕ.* item pro M. FONTEIO *p.* 481. cognoſcite nunc de crimine uinario, quod illi inuidioſisſimum et maximum *eſſe uŏlŭĕrūnt.*

(6) commendat hunc pedem ipſe CICERO *in oratore p.* 711. eſt quidem (paean) ut inter omnes conſtat antiquos, ARISTOTELEM, THEOPHRASTVM, THEODECTEN, EPHORVM, unus aptisſimus orationi, uel orienti, uel mediae : putant illi etiam cadenti, quo loco mihi uidetur aptior *creticus.*

§. XIX.

QVEM ad modum uero pulcerrima quaeque, ſi quotidiana fiant, uileſcere ſolent : ita in orationis numero nihil eſt tam uitioſum, quam ſi ſemper ſit idem (1), aut imprudenter in uerſum deſinat (2). quo magis ergo implent aures quidam pedes, eo etiam ſatietas formidanda eſt magis. primum enim numerus agnoſcitur; deinde ſatiat; poſt ea cognita facilitate contemnitur.

(1) confer. CICERO in *oratore p.* 709.

(2) incidere uero omnes in orationem, etiam ex hoc intelligi poteſt, quod uerſus ſaepe in oratione per imprudentiam ducimus, quod uehementer eſt uitioſum. ſic ipſe CICERO in *oratore p.* 703. neque potuit egregie doctus ipſemet effugere hoc uitium. de *oratore lib. III. p.* 512. integrum habet diſtinchon.

complexi, plus multo etiam uidiſſe uidentur,
quam quantum noſtrorum ingeniorum acies,

LIVIVS hiſtoriam ſuam ita orditur:

facturusne operae pretium ſim.

SALLVSTIVS ita:

bellum ſcripturus ſum, quod populus romanus.

lege FABIVM *lib. IX. c. IV. p.* 545. *ARNOLDI ornatum adpend. III. p.* 588. *edit.* NORIMBERG. MDCLXVIII. 12.

§. XX.

SVNT deinde formae quaedam orationis, in quibus ea concinnitas ineſt, ut ſequatur numerus neceſſario. nam quum aut par pari refertur; aut contrarium contrario opponitur; aut, quae ſimiliter cadunt uerba, uerbis comparantur. quidquid ita concluditur, plerumque fit, ut numeroſe cadat (*).

(*) ita CICERO in *oratore p.* 711. idemque prorſus, mutatis quibusdam uerbis, habet. p. 696. ubi ſimul ad orationem pro MILONE prouocat, atque exemplo inluſtrat.

§.

§. XXI.

DENIQVE ſi haec uitia fugeris, ut, neque uerbum ita (*) traiicias, ut id de induſtria factum intelligatur; neque inferciens uerba, quaſi rimas expleas; nec minutos numeros ſequens concidas, delumbesque ſententias; nec ſine ulla commutatione, in eodem ſemper uerſeris genere numerorum: tum omnia fere uitia uitaueris.

(*) adi ſis CICERONEM in *oratore p.* 711.

§. XXII.

NEMINEM temere numeri ſtudioſiorem fuiſſe, CICERONE, latini ſermonis ſtatore ſummo, ſupra iam nobis demonſtratum eſt (1). hinc eius quoque ſcripta commendanda ſunt ſingulis, qui hanc numerorum ſuauitatem addiſcere atque imitari contendunt. poterant eius ſcripta, melle dulciora, ſi ſonum ſpectes, rebus conuenientem, ſufficere ſtudioſis eloquentiae, niſi inluſtris BERGERI (2) iudicio, CAESARIS commentarios uelis adiicere.

(1) §. I. et XIII. huius capitis.

(2) *commentario de naturali pulcritudine ſermonis p.* 79. 80.

§.

§. XXIII.

MAGNA etiam ſermonis ſuauitas in *commutata dicendi ratione* conſpicitur: ubi non tantum eiusdem uocis (1) odioſa repetitio cauetur cum cura; ſed integrae ſimul formulae loquendi apte uariantur (2). ridetur enim et merito ridetur, qui eadem ſemper oberrat chorda cytharoedus; neque quidquam eſt luculentius, quam, ſi auribus blandiendo, non tantum quid dicendum ſit, ſed et quot modis dici debeat (3), cogitaueris. non male proin de noſtro ſtudio promeritus eſt ERASMVS ROTERODAMVS (4), qui de *copia uerborum* opuſculum reliquit. referendus huc eſt praeter ea SCHOENSLEDERVS in *adparatu eloquentiae* (5), FRANCISCVS CLEMENS (6) in *aduerbiis ciceronianis*, imo ex GABRIELIS LERMEII ſententia, ipſe CICERO (7), qui ſynonyma ipſi uidetur edidiſſe. maxime tamen conferendus eſt AVGVSTVS BVCHNERVS, libello (8) de *commutata ratione dicendi*, *edito* LIPSIAE MDCLXXX. 12. quo, quaecumque ad uariandam orationem aliquo modo pertinere uidebantur, exactisſime pertractata ſunt. quibus adiungi etiam meretur HVBERTI SVSANNAEI (9) *connubium aduerbiorum* CICERONIS.

(1)

(1) copioſius hoc declaratum eſt ſupra §. X.

(2) conf. §. XI. capit. praeſentis, ubi hanc rem iam expoſuimus.

(3) ſpectant huc uariationes iſtae per ſynonyma, per caſus, per modos, per tropos, per ſchemata, et figuras, quas tamen ſcholis uel grammaticis, uel rhetoricis relinquendas eſſe cenſemus. docet hoc planisſime, quanta uerborum habenda ſit cura, quamque uocum copia et ſuppellex neceſſario comparanda ſit eloquentiae ſtudioſo.

(4) duplicem conſcripſit librum ERASMVS *de copia uerborum ac rerum.* primus liber CCVI. capitibus omnem uariandae orationis copiam exhauſit. alter XXXIX. capitibus rerum ſuppellectilem indicauit. prodiit praeter editiones baſilienſes, IENAE in 12. ſine mentione anni.

(5) exiit in aliis MONACHII MDCXXX. 8. et cum praefatione CELLARII LIPS. MDCCX. confer etiam WALCHIVM in *hiſtoria critica. lat. ling. cap. V. p.* 182.

(6) index opuſculi is eſt: CICERONIS *ἐπιῤῥηματικὸν ὄργανον, hoc eſt, latinae elegantiae inſtrumentum aduerbiale, ad quod pueri ſermonem ſuum dirigant, qui latine pure et attice uolunt dicere. cura et opera FRANCISCI CLEMENTIS in tabulae formam digeſtum.* LOND. MDLXXXII. 12. non contemnendum opuſculum eſt, modo copioſius eſſet et auctoris locis inſtructum.

(7) conf. celeberrimi FABRICII *bibl. latin. tom. I. p.* 139. *tom. II. p.* 155. praeter editiones ibi

ibi adlegatas poſſideo ego ſequentem : M. TVLLII CICERONIS ad L. VETVRIVM *ſynonymorum liber e tenebris nuper effoſſus.* PARISIIS *apud* HERONYMVM de MARNEF, et uiduam GVLIELMI CANELLAT ſub pellicano monte D. HILARII, MDLXXXIV. 12. cum praefatione GABRIELIS LERMEI.

(8) inſtitutum ſequutus ERASMI, duobus etiam libris tractauit de mutato dicendi genere. liber I. qui de uerbis agit, cap. I de *uerborum commutatione.* cap. II. de *metaphora.* cap. III. de *metalepſi.* cap. IV. de *metonymia.* cap. V. de *ſynecdoche.* cap. VI. de *ἰσοδυναμία.* cap. VII. de *enallage.* cap. VIII. de *gloſſa.* cap. IX. de *nouatis et antiquatis.* cap. X. de *ἀντονομασία.* cap. XI. de *catachreſi.* cap. XII. de *μειώσει, αὐξήσει et ὑπερβολῇ.* cap. XIII. de *epitheto.* cap. XIV. de *ſynonymia* et *exergaſia.* cap. XV. de *periphraſi.* cap. XVI. de *hyperbole.* cap. XVII. de *allegoria.* cap. XVIII. de *conſtructione.* cap. XIX. de *graecismo.* cap. XX. de *archaismo.* cap. XXI. de *μακρολογία.* cap. XXII. de *contractione.* cap. XXIII. de *commutato ſermonis habitu* praecipit. liber II. conſiderat, cap. I. *commutationem ſententiarum.* II. de *rerum locis.* III. de *definitione.* IV. de *enumeratione partium.* V. de *notatione.* VI. de *coniugatis.* VII. de *genere et ſpecie.* VIII. de *ſimili.* IX. de *differentia.* X. de *contrariis.* XI. de *coniunctis.* XII. de *antecedentibus, conſequentibus, repugnantibus.* XIII. de *cauſſis.* XIV. de *effectis.* XV. de *comparatis.* XVI. de *locis externis.* XVII.

de

de *exemplis.* XIIX. de *proſopopoeia.* XIX. de *auctoritatibus.* cap. XX. concluſionem operis continet.

(9) index libri hic eſt: *connubium aduerbiorum ciceronianorum, ſiue elegans aduerbiorum adplicatio, et mirificus uſus, ex omnibus* M. T. C. *operibus locorum adſignatione, ſumma cura ac methodo, optimo hoc ordine alphabetico demonſtratus HVBERTO SVSANNAEO in iuuentutis ſtudioſae gratiam ac commodum, conlectore* LVGD. MDXLVIII. et MDXXCIII. 8. in praefatione promittit epitheta ciceroniana, quae utrum prodierint, ignoro. exierunt quaedam, ſine auctoris nomine, MAGDEB. MDCIV. 8. uti et NVNNESIVS id genus epitheta ex CICERONE conlegit; quae in aliis lucem uiderunt COLONIAE MDLXXI. 8.

§. XXIV.

In ipsis denique ſermonis latini *particulis*, ſi recte conlocentur, occurrit ſuauitas et aptitudo. ſi quid umquam eſt, quod elegantem reddit hanc linguam, genuinus eſt harum particularum uſus. ſed difficilis quoque labor eſt. *ac*, *et*, *atque* nodi ſunt, quibus oratio conſtringitur, notisſimi: CAESAR tamen atque CICERO ante uocalem numquam *ac* conlocant, ſi uel quater ſubiungendum eſſet, *atque* (1). ſic particulam *adhuc*, quae de tempore praeſenti tantum adhibenda eſt, notione intendendi ponunt plu-

plurimi; alii cum altera particula *hactenus* confundunt. nec minor in numerandi uocibus error occurrit, quum paucisſimi ordinem uocum, *primum*, *deinde*, *poſtea*, *tum*, *poſt*, *inde*, *porro*, *nec minus*, *ad extremum*, *denique*, recte (2) obſeruent.

(1) egregie rem iſtam inluſtrat celeberrimus BERGERVS *opere ſaepe excitato p.* 294. 295.

(2) quarum uocum naturam et uſum eleganter explicat MORHOFIVS de *pura dictione cap. XIII. p.* 214. addatur hanc in rem memoratus TVRSELLINVS et STEWECHIVS, cum primis FRANCISCVS SYLVIVS in *progymnaſmatibus lat. ling. centuria III. cap. XLI. p.* 320. edit. AMSTEL. MDCLIII. 8.

PART. I.

CAP. IV.

DE ORNATV LINGVAE LATINAE.

SECTIO I.

DE ORNATV GRAMMATICO.

DICENDORVM ORDO.

ornatus in quolibet ſermone requiritur. alius eſt grammaticus, alius rhetoricus, quo et referuntur periodi §. I.

in ornatu grammatico reſpicitur ad elegantias, quae maxime concinna uocabulorum conlocatione abſoluuntur. auctores

ctores qui de iis conferendi §. II. duodecim regulis hoc negotium conficitur. I. de genuino *uocandi caſus* loco. §. III.
II. de *obliquorum* caſuum ſitu. §. IV.
III. IV. de propoſitionum incidentium conlocatione §. V. VI.
V. de formularum inſinuandi ordine §. VII.
VI. de participiorum poſitu. §. VIII.
VII. de uerborum et rectorum et regentium ſitu §. IX.
VIII. de ordinata graduum conſtitutione §. X.
IX. de pronominum quodam ſingulari ordine §. XI.
X. de coniunctionum iuſta conlocatione. §. XII.
XI. de praepoſitionum ordine §. XIII.
XII. de ſingulari conſtructione particularum; *tantum abeſt, ut.* §. XIV.

§. I.

Nondvm ſane ſufficit, ut pura ſit, ut perſpicua, ut ſuauis, quam quaerimus, oratio. neceſſe eſt, ut et illa uirtus accedat, quam dignum orationis *cultum* et ornatum rhetores latini nominant (*). quidquid igitur ſermonem ornat et cultiorem reddit; quidquid eum a plebis oratione ſeiungit et ſplendida ueſte circumdat: iuſtisſime omnium huc referetur. grammatici nobis ornatum conſtruendarum uocum morem, rhetores troporum figurarumque decora ſuppeditant, et uerborum ſuauisſimam conuerſionem, quam *ambitum* aut *periodum* dicere conſueuerunt, adiungunt: quo et ornatam ſermonis per particulas, tamquam nodos et neruos, conſtringendi rationem rectisſime retuleris. quod

quod eſt in homine cultu ueſtis elegans et bene ſedens; quod ſunt in pratis flores; quod eſt in uirginibus modeſtus capitis cultus: id in romanorum lingua *ornatus* non male uocabitur. ſingula haec ſingulatim perſcrutari animus eſt.

(*) pertractauit hanc rem elegantisſime CICERO de *oratore lib. III. p.* 545. *ſeqq.* ad finem.

§. II.

QVOD ad ornatam *uoces iungendi* rationem adtinet: multos eſſe, qui, barbariem et rus olentes, neſcio quas tamen et *elegantias* et quos ornatus crepent, nemo facile negauerit. fuiſſe tamen ſemper, et eſſe hodienum, uiros huius diſciplinae peritisſimos, ipſa, rerum omnium teſtis, experientia conteſtatur. celeberrimus nuperi temporis criticus CHRISTOPHORVS CELLARIVS libello ſuo, quem *probae* atque *exercitae linguae latinae librum memorialem* inſcripſit, grammaticam adiecit, quae non contemnendas ornatae dictionis regulas continet: quo et IO. LANGII *hodegum lat. ling.* iure ſuo referas (*). et quamquam propriae obſeruationi plurima laus debeatur: dabimus tamen regulas paucas, a praeſtantisſimis grammaticis propoſitas, easque

exemplis inluſtrabimus, quae plurimum obſeruationes adaugebunt.

(*) immo peculiari ſtudio in hac palaeſtra deſudauerunt uiri ornatisſimi, FRANCISCVS SYLVIVS, qui *progymnasmatum in artem oratoriam* edidit *centurias tres*, plenas bonae frugis, et multum elegantiae continentes. ſubiungi ſolent operi NIZOLIANO et ſeorſum prodierunt AMSTELOD. MDCLIII. 8. porro ANDREAS REYHERVS, inluſtris gymnaſii gothani rector, cuius *regulae ſermonis latini elegantioris generales*, quintum exierunt GOTHAE MDCLXIV. 8. CHRISTOPH. ARNOLDVS in *ornatu latinae linguae*, NORIMB. MDCLXVIII. 12. edito. item M. GEORGIVS VOGELMANNVS, cuius *elegantias latini ſermonis* ſaepius editas denuo prelo ſubiecit IOA. IACOB. de BRINCKEN LVNEB. MDCCXXX. 8. minoris tamen momenti ſunt M. ADAMI ERDMANNI MIRI *elegantiae latinitatis*, tam *uerbales*, quam *reales* editae LIPS. MDCXCI. 8.

§. III.

PRIMA regula haec eſto (1): qui ſtudent elegantiae, dent operam, ut *uocandi caſus* uel mediae, uel finienti uerborum comprehenſioni, interſerantur (2).

(1) confer HEINECCII *fundamenta ſtili cultioris* p. 24. ANDREAE REYHERI *elegantias*, *regula X.* p. 9. FRANCISCVM SYLVIVM *centuria II*, cap. LXIV. p. 207.

(2)

(2) CICERO *ad diuerſ. l.* IX. p. 17. ego me, LENTVLE, initio rerum atque actionum tuarum non ſolum meis, ſed etiam rei publicae, reſtitutum putabam.

IV. VI. p. 90. ego uero, SERVI, uellem, ut ſcribis, in meo grauisſimo caſu adfuiſſes.

lib. I. de *natura deorum* ineunte: quum multae res in philoſophia nequaquam ſatis adhuc explicatae ſunt, tum perdifficilis, BRVTE, quod tu minime ignoras, et perobſcura quaeſtio eſt, de natura deorum.

§. IV.

ALTERA regula eſt (1): commendatur et illa oratio, quae ab obliquis caſibus, aut qui natura ſunt poſteriores, ſumit initium. (2)

(1) HEINECCIVS *loco cit. p.* 24. REYHERVS regula I. p. 6. VOGELMANNVS *cap. VII.* p. 14.

(2) CICERO in VERREM *act. II. p.* 193. nam quum *omnium ſociorum*, *prouinciarumque* rationem diligenter habere debetis, tum praecipue ſiciliae, *iudices*, plurimis iuſtisſimisque de cauſſis.

ad *diuerſ.* IX. XXV. p. 237. *ſummum* me *ducem litterae tuae* reddidere.

it. XI. II. p. 310. *eodem exemplo* a te mihi *litterae* redditae ſunt, quo pueri mei adtulerunt.

it. XI. xxv. p. 321. *exſpectanti* mihi *tuas* quotidie *litteras* LVPVS noſter ſubito denuntiauit, ut ad te ſcriberem, ſi quid uellem.

§. V.

III. HVC ſpectat (1): illae propoſitiones, quae aut rem explicant, aut probant, uel inter adiectiuum et ſubſtantiuum, quod explicant, uel poſt nomen, quod inluſtrant, ſcite conlocantur (2).

(1) confer REYHERVM *reg.* 13. HEINECCIVM *p.* 25. VOGELMANNVM cap. VI. p. 12. it. cap. III. p. 69.

(2) ita CICERO in L. PISONEM, *num.* 86. p. 1228. edit. ERNEST. in 8. quid auaritiae, *quae criminibus infinitis implicata* eſt, ſummam nunc explicem?

ad *diuerſ.* XIII. IV. p. 366. eorum ego domicilia, ſedes, rem, fortunas, *quae a diis immortalibus et a praeſtantiſſimis in noſtra re publica ciuibus ſummo S. P. Q. R. ſtudio conſeruatae ſunt*, tuae fidei, iuſtitiae, bonitatique commendo.

lib. XIII. v. *p.* 367. non moleſte fero, eam neceſſitudinem, *quae mihi tecum eſt*, notam eſſe quam plurimis; neque tamen ob eam cauſſam, *quod tu optime exiſtimare potes*, te impedio, quo minus ſuſceptum negotium, *pro tua fide et diligentia*, ex uoluntate *CAESARIS*, *qui tibi rem magnam difficilemque commiſit*, gerere poſſis.

§.

§. VI.

IV. IDEM (1) etiam obſeruabis in ea propoſitione, quae ſequitur *uerba comparandi*, aut uoces *malo* et *praeſtat*, ſi ſtudioſum te praeſtare cupis elegantiae. (2)

(1) confer VOGELMANNVM cap. XXII. p. 31. HEINECC. p. 25. FRANCISC. SYLVIVM *cent.* I *cap.* LVI. *p.* 66.

(2) CICERO VI. ad *diuerſ. epiſt.* X. p. 156. id re, *quam uerbis*, faciam libentius.

lib. 1. *de offic. cap.* XXII. *n.* 75. *p.* 729. quamuis enim THEMISTOCLES iure laudetur, et ſit eius nomen, *quam* SOLONIS, inluſtrius.

de *oratore lib. II. p.* 419. qui actor in imitanda, *quam orator in ſuſcipienda*, ueritate iucundior.

SALLVST. de *bell. catil.* c. VII. regibus boni, *quam mali*, ſuſpectiores ſunt: ſemper his aliena uirtus formidoloſa eſt.

CICER. lib. VI. ad *diuerſ.* ep. XI. *p.* 156. qua in re tibi gratulor ita uehementer, ut te quoque mihi gratulari, *quam gratias agere*, malim.

ep. XIV. *eiusdem lib. p.* 161. ſed quae faciam, fecerimque pro te, ex illorum te litteris, *quam ex meis*, malo cognoſcere.

§. VII.

V. MVLTAE (1) ſunt latinis formulae, quae inſinuandi cauſſa, quaſi per parenthesin,

theſin, eleganter inſeruntur (2). huc referas: *mihi crede* (3): *qui meus in te amor eſt* (4): *pro tua prudentia* (5): *pro eo ac debui*: *quae mea negligentia eſt* (6): *pro ratione temporum* (7): *ut tum erant tempora.* (8)

(1) HEINECCIVS *l. c. p.* 25. FRANCISCVS SYLVIVS *cent. I. cap. XCIX. p.* 120.

(2) SERVIVS apud CICERONEM ad *diuerſ.* IV. v. *p.* 870. poſtea quam mihi renuntiatum eſt de obitu TVLLIAE, filiae tuae, *ſane quam, pro eo ac debui*, grauiter moleſteque tuli.

(3) V. v. *p.* 110. ſed reliqua, *mihi crede*, multo maius meum ſtudium, maioremque grauitatem et laborem deſiderant.

VI. xvii. *p.* 162. quum ceterarum rerum cauſſa cupio eſſe rem publicam conſtitutam, tum uelim, *mihi credas*, accidere id etiam, quo magis expetam promiſſum tuum, quo in litteris uteris.

(4) VII. ii. *p.* 171. quod ſi mihi permiſiſſes, *qui meus in te amor eſt*, confeciſſem cum coherédibus.

(5) VI. vii. *p.* 152. tu *pro tua prudentia*, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur CAESAR, tenes: a te omnia proficiſcantur, et per te ad exitum perducantur, neceſſe eſt.

(6) VIII. iii. *p.* 202. et qui, *quae mea negligentia eſt*, multos ſaepe dies ad te, quum hic eras, non accedebam, nunc quotidie non eſſe te, ad quem curſitem, diſcrucior.

(7)

(7) VI. XII. *p.* 157. quod ſi mihi pro me efficiendum fuiſſet, non me poeniteret, *pro ratione temporum*, ita eſſe molitum.

(8) NEPOS in *uita* ATTIC. cap. I. patre uſus diligente, indulgente, et, *ut tum erant tempora*, diti.

§. VIII.

VI. EADEM (1) in participiis elegantia eſt, ſi per uoces non nullas a uerbo ſubſtantiuo diuellantur (2).

(1) VOGELMANN. *c. XVII.* REYHERVS *regul. XV.* HEINEC. p. 26. SYLVIVS *cent.* I. cap. XLIII. p. 48.

(2) CICER. ad *diuerſ.* XV. VI. *p.* 447. nam ad meum ſenſum et ad illud ſincerum ac ſubtile iudicium, nihil poteſt eſſe laudabilius, quam tua oratio, quae *eſt* ad me *perſcripta* a meis neceſſariis.

pro MILONE num. XVI. p. 1241. nihil de eius morte populus conſultus, nulla quaeſtio *decreta* a ſenatu *eſt.*

ibidem num. XVIII. p. 1242. itaque in eadem iſta appia uia, quum ornatisſimum equitem romanum M. PAPYRIVM occidiſſet, non *fuit* illud facinus *puniendum.*

ibid. num XIX. l. c. niſi forte, quia *perfecta* res non *eſt*, non fuit punienda. *ibid. eod. num.* tota ciuitas *confecta* ſenio *eſt.*

ibid. num. XLVIII. p. 1253. ne CLODIVS quidem de inſidiis cogitauit, quoniam *fuit* in albano *manſurus*, ſi quidem *exiturus* ad caedem e uilla non *fuiſſet.*

§. IX.

VII. IDEM (1) dicendum de uerbis, quorum alterum ab altero regitur, quibus ornatiſsime uoces quasdam inſerueris, ſi ueteres ſequaris (2).

(1) uideatur HEINECC. p. 26.

(2) CICERO pro MILONE n. 41. p. 1250. quid comitiis in campo, quoties poteſtas fuit? quum ille ui in ſepta inruiſſet, gladios diſtringendos, lapides iaciendos, curaſset? deinde ſubito uultu MILONIS perterritus fugeret ad tiberim, uos et omnes boni uota faceretis, ut MILONI *uti* uirtute ſua *liberet*.

ibid. n. 47. *p.* 1253. iacent ſuis teſtibus ii, qui CLODIVM *negant*, eo die ROMAM, niſi de CYRO audiſſet, *fuiſſe rediturum.*

ibid. n. 50. *p.* 1253. nemo ei neganti non crediſſet, quem *eſſe* omnes ſaluum etiam confitentem, *uolunt.*

§. X.

VIII. COMPREHENSIONEM uocum aut ambitum finiemus elegantiſsime *comparatiuis* (1) et *ſuperlatiuis* (2), porro uocibus *omnis* (3), *nihil* (4), *nemo* (5), *uerbisque longioribus* (6).

(1) confer VOGELMANN. cap. X. p. 18. *REYHER. reg. XXII. SYLVIVM cent.* I. *c.* XXX. et XXXII. *HEINECC. p.* 26.

ſic *CICERO* ad *diuerſ.* XIII. XIX. p. 381. familia-

liaritas tanta nullo cum hoſpite: et ea quum officiis eius multis, tum etiam conſuetudine quotidiana ſic eſt aucta, ut nihil ſit *familiaritate noſtra coniunctius.*

VII. XXIII. p. 190. TV et ad omnia reſcribes, et, quando te exſpectem, facies me, ſi tibi uidetur, *certiorem.*

III. XIII. p. 79. eo breuior eſt haec epiſtola, et, ut aduerſus magiſtrum morum, *modeſtior.*

XVI. XXII. p. 478. etſi enim et audio te et uideo libenter: tamen hoc multo erit, ſi ualebis, *iucundius.*

(2) confer *SYLVIVM cent. I. cap. XXXII. p.* 36. *REYHERVM*, *HEINECCIVM* et *VOGELMANN. adlegato iam loco.* ſic *CICERO* ad *diuerſ. XVI.* XXI. *p.* 475. quum uehementer tabellarios exſpectarem quotidie, aliquando uenerunt poſt diem quadrageſimum et ſextum, quam a nobis diſceſſerant, quorum mihi fuit aduentus *adoptatiſſimus.*

ibid. p. 476. *CRATIPPO* me ſcito, non ut diſcipulum, ſed ut filium, *eſſe coniunctiſſimum.*

XVI. XXII. p. 478. ego hic ceſſo, quia ipſe nihil ſcribo; lego autem *libentiſſime.*

(3) *VOGELMANN.* cap. III. et X. *REYHER. reg. XXI. SYLVIVS cent. I. cap. XXXIV.* et *XXXVI. p.* 38. 40. ſic *CICERO* de *finibus lib. I. c. 6. n.* 17. p. 94. ille atomos, quas adpellat, id eſt, corpora indiuidua, propter ſoliditatem cenſet in infinito inani, in quo nec ſummum, nec medium, nec infimum, nec ultimum, nec extremum ſit, ita ferri, et concurſionibus inter

ſe

ſe cohaereſcant : ex quo efficiantur ea, quae ſint, quaeque cernantur, *omnia*.

(4) ad *ATTIC.* IV. XVI. *p.* 436. de me nihil timueris : ſed tamen promitto *nihil.*
ad. *diu.* IX. IV. p. 229. ſi hortum in bibliotheca habes, deerit *nihil.*

(5) ad *diuerſ.* VI. XVII. *p.* 162. nam ſic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus ualuerunt, aut ualeant, coniunctiores tecum eſſe, quam me, neceſſitudine, *neminem.*

(6) uide ſis *VOGELMANN.* cap. VIII. *REYHER.* *reg.* *XXIII.* *SYLVIVM cent.* I. *cap.* *XXXVIII.* *p.* 42.
CICERO ad *diuerſ. lib. XV.* XX. *p.* 459. oratorem meum, ſic enim inſcripſi, ſobrino tuo *commendaui.*
pro *ROSCIO AMERINO n.* 16. *p.* 38. etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos *numerabatur.*
it. n. 18. *p.* 39. uerum id, quod adhuc eſt ſuſpicioſum, niſi perſpicuum res ipſa fecerit, hunc adfinem culpae *iudicatote.*

§. XI.

IX. NON minor elegantia eſt, (1) quae in pronominum ordine ac poſitu conſpicitur : quippe quae, quotquot adſunt, eleganter coniunguntur omnia (2).

(1) lege plura in *SYLVIO cent. I. cap. LXXIX.*

LXXIX. p. 95. REYHERO reg. XI. add. *ARNOLDI ornatum linguae latinae p. 9. ſeq. 91 ſeqq.*

(2) *CICER.* ad *diuerſ. VI.* XIV. *p.* 161. quid autem ſperem, aut confidam, et exploratum habeam de ſalute *tua*, *id tibi a me* declarari uolo.

item III. x. p. 72. atque *in ec ipſo me* non perſeueraſſe, teſtes ſunt rationes ciuitatum.

ibid. quererer tecum atque expoſtularem, ni, ut ſupra ſcripſi, purgare *me tibi*, *hoc tuo* tempore, quam adcuſare te, mallem.

ibid. p. 74. quo ſtudio prouidit, ne *quae me illius* temporis inuidia adtingeret.

TERENTIVS IV. I. 11. uin *tibi me iſtud*, etſi incredibile eſt, credere?

§. XII.

X. CONIVNCTIONES (1) *ſi*, *niſi*, *ut*, *ne*, *quum*, nec non aduerbia, *poſtquam*, *ubi*, ornatius quibusdam uocibus periodi poſtponuntur, aut eleganter ad uerbum conlocantur (2).

(1) *VOGELMANN, cap. XXV. IOACH. LANGIVS* in *inſtitut. ſtili cap. IV.* de *elegantiis ling. latin. membro* VII. num. 2. p. 76. *SYLVIVS* cent. III. cap. LXXXII. *ſeqq.* p. 360. *ſeqq.*

(2) *CICERO* ad *diuerſ.* XVI. XII. *p.* 471. id ille *ſi* fecerit; ſpes eſt pacis non honeſtae.

de *oratore lib. III. p.* 563. quid fuit in *GRACCHO*, quem tu, *CATVLE*, melius meminiſti, *quod* me puero tanto praeferretur? quo me miſer

ſer conferam ? quo uertam ? in capitoliumne? at fratris ſanguine redundat: an donum ? matremne *ut* miſeram lamentantemque uideam et abiectam ? quae ſic ab illo acta eſſe conſtabat, oculis, uoce, geſtu, inimici lacrymas *ut* tenere non poſſent.

ad *diuerſ.* XVI. IV. *p.* 464. illud, mi *TYRO*, te rogo; ſumtui *ne* parcas ulla in re, quod ad ualetudinem opus ſit.

item. XV. IV. *p* 439. quibus in oppidis *quum* magni conuentus fuiſſent, multas ciuitates acerbiſſimis tributis et grauiſſimis uſuris et falſo aere alieno liberaui.

ad ATTICVM XII. I. *p.* 808. undecimo die *poſtquam* a te diſceſſeram, hoc litterularum exaraui.

PLAVTVS *amphit.* I. I. 61. haec *ubi* legati pertulere, AMPHITRVO caſtris illico producit omnem exercitum.

§. XIII.

XI. ET illud (1) in elegantioris ſcripturae norma merito habetur, ſi praepoſitionum non nullas, ſuo, quem regunt, caſui poſtponas (2).

(1) *VOGELMANN.* cap. XXVII. p. 37. *REYHER. reg. VI. LANGIVS loc. cit. membro VI. num. 1. p.* 73.

(2) *CICERO* ad *ATTIC. XIII.* IX. p. 845. *TREBATIVM nobiſcum* habemus.

it. XIII. x. p. 846. ſunt enim, qui loquuntur etiam *mecum.* ſed haec ipſe optime, praeſertim ſi etiam *tecum* loquetur. *TE-*

TERENT. hecyra. IV. I. 20. ego etiam illorum eſſe hanc culpam credidi, quae *te* eſt *penes.*

§. XIV.

XII. ELEGANTISSIMA denique (1) conſtruendi ratio eſt, qua comparationem, cui negatio ſubiungi debet, per *tantum abeſt ut, ut*, exponimus (2).

(1) lege *SYLVIVM cent. III. cap. XLVII. pag.* 330. *VOGELMANN. cap. XLVIII. p.* 64. *REYHER. reg. CLXIV. ſeqq.* barbare ſatis nuper in *programmate quodam* legebatur: *tantum abeſt quin, utpote.* confer etiam *BOHMIVM* de particulis p. 719.

(2) ſic *CIC.* ad ATTIC. VII. III. *p. 666. tantum abeſt, ut* meam ille ſententiam moueat, *ut* ualde ego ipſi, quod de ſua ſententia deceſſerit, poenitendum putem.

quaeſt. tuſcul. lib. II. pag. 322. pro academia autem, *inquit*, quae dicenda erant, ſatis adcurate in academicis quatuor libris explicata arbitramur: ſed *tamen tantum abeſt, ut* ſcribi contra nos nolimus, *ut* id, etiam maxime optemus.

LIVIVS hiſtor. VI. XV. *p.* 232. *edit.* GRVTER. 8. cui ego rei, *tantum abeſt, ut* impedimento ſim, *ut contra* te M. MANLI adhorter, liberes fenore plebem romanam.

PAR-

PARTIS I.
CAP. IV.
SECTIO II.
DE ORNATV RHETORICO, QVI IN TROPIS ET FIGVRIS CONSISTIT.

ORDO DICENDORVM.

qualem hic ornatum intelligamus? conſtat is tropis et figuris §. I.

troporum ſunt quatuor, metaphora, metonymia, ſynecdoche et ironia §. II.

definitur metaphora. illius origo et uſus §. III.

cautiones quaedam in metaphoris adhibendae. 1. disſimilia ne inter ſe conferuntor. §. IV.

2. ne adhibentor translationes frigidae. §. V.

3. translationes ne ducantor a re turpi. notantur poetae quidam § VI.

4. translationes durae uerbis interpoſitis emolliuntor. §. VII.

5. translationes etiam continuantor. §. VIII.

6. cauentor tamen aenigmata uel ſyrtes. notantur AMMIANVS MARCELLINVS, APOLLINARIS, et ENNODIVS §. IX.

metonymia quid ſit, et cui uſui? poetis maxime uindicanda §. X.

quaedam tamen oratoribus etiam probantur § XI.

ſynecdoche, quid ſit? poetis propria, ſed et oratoribus non ſpernenda §. XII.

ironia quid? §. XIII.

ſpectant etiam ad hunc ornatum figurae, ex quibus praecipuae producuntur. §. XIV.

1. ἐπίζευξις. exponitur et exemplis ornatur §. XV.

2. ἀνάφορα. deſcribitur et declaratur ex auctoribus §. XVI.

3. ἐπάνοδος quid? exempla illius §. XVII.

4. παρονομασία definitur et auctoribus confirmatur. §. XVIII.

5.

5. ἀντανάκλασις. expoſitio eius et exempla §. XIX.

6. ἐπανόρθωσις declaratur et exemplis inluſtratur §. XX.

7. περίφρασις quid ſit docetur, et ex antiquis producitur. §. XXI.

8. εἰκὼν quid? ſigna eius et exempla §. XXII.

9. παραδιαστολὴ finitur et exemplis docetur. §. XXIII.

10. ἀντίθητον quid indicet? inluſtratur exemplorum copia §. XXIV.

11. ἀντιμετάθεσις. eius deſcriptio et exempla. §. XXV.

12. ὀξύμωρον graecis et latinis exponitur locis. §. XXVI.

ad hunc ornatum referuntur etiam formulae ſollemnes antiquorum romanorum. laudantur BRISSONIVS, HEINECCIVS, BALBINVS. §. XXVII.

exempla quaedam iſtarum formularum producuntur. §. XXVIII.

ornatum conciliant etiam prouerbia. laudantur auctores, hanc in rem conferendi §. XXIX.

non minus etiam dictionem ornant inluſtres ueterum ſententiae. §. XXX.

§. I.

Sed ſatis de ornatu grammatico: nunc de rhetorico etiam quaedam ſubiiciamus. non id quaeritur, ut quaſi ſeſamo atque papauere condiamus ſermonem, mellitosque uerborum globulos orationi inmiſceamus: quippe quod meretricis eſſet, non honeſtae matronae, quacum comparare ſermonem, haud iniuſtum eſt. aliud certe agimus. utque matronae naturam ſequuntur, orisque uenuſtatem honeſto ornant decore: ſic naturali ſermonis pulchritudini adiungere

gere conabimur *ornatum ſimplicem*, ſed prudentia ſubſultum. conficietur hoc quum tropis, tum ſchematibus, quibus iuſta uerborum comprehenſio accedet in fine.

§. II.

AD *tropos* primo reſpiciamus. quatuor illorum numeramus, quos a graecis acceptos graeco etiam nomine cognoſcimus. ſunt uero *metaphora*, *metonymia*, *ſynecdoche*, et *ironia*. metaphoram uti primo neceſſitas inuexit, quum ſignorum numerus res ipſas nondum exaequaret: ſic deinde *ornatus gratia* retenta ea fuit a latinis ſcriptoribus (*). reliquae translationes poëſi magis propriae ſunt; in proſa uero, ſi quaedam uocabula excipias, ad palliandos ueterum errores adhibitae uidentur: quod et de figuris quibusdam *grammaticis* notandum eſt.

(*) CICERO de *orat. lib. III. p.* 547. tertius ille modus *transferendi uerbi* late patet, quem neceſſitas genuit, inopia coacta et anguſtiis: poſt autem delectatio iucunditasque celebrauit. nam ut ueſtis frigoris depellendi cauſſa reperta primo, poſt adhiberi coepta eſt ad ornatum etiam corporis, et dignitatem: ſic uerbi translatio inſtituta eſt inopiae cauſſa, frequentata delectationis.

§.

§. III.

METAPHORA, quam *tranſlationem* ipſe dixit CICERO, eſt, ad huius mentem, (1) *ſimilitudinis ad uerbum unum contracta breuitas.* quod uerbum in alieno loco, tamquam in ſuo, poſitum, ſi agnoſcitur, delectat: ſi ſimile nihil habet, repudiatur. quaedam ob neceſſitatem ita ſunt (2) uulgatae, ut nemo iis utatur. aliae, quod a ſenſibus plerumque deſumuntur (3), orationi adferunt etiam dulcedinem: quo referas *ira incendi* (4), pro *iraſci*; *aduolare*, pro *accedere*; *fortunam* eſſe *uitream*, pro *inconſtanti.*

(1) legatur CIC. de *oratore lib. III. p.* 547.

(2) ſic *gemmare uites*, ſic *luxuriem eſſe in herbis*; ſic *laetas ſegetes* omnes dicunt, quum declarari uix uerbo proprio poſſint. eadem ratione *oculus uitis*, *pes nauis*, *maris ſinus*, *diuortium in uxore*, *labi*, *errare*, *eruditio* retinentur, quum, quibus proprie deſignentur, uoces haud occurrant.

(3) CICERO *loc. cit. p.* 548.

(4) conferatur FABIVS QVINCTILIANVS in *inſtitut. orator. lib. VIII. cap. VI. p.* 466. iam *incenſum ira*, et *inflammatum cupiditate*, et *lapſum errore* ſignificationis gratia.

§. IV.

VT uero in transferendis uerbis ſo-

brie et caſte uerſemur, elegantemque non tumidam, aut ineptam, efficiamus orationem: cautionibus non nullis opus eſt, quas qui obſeruauerit, ornate queat dicere uideri. *cauendum autem I. ne, quae disſimilia ſunt, inter ſe conferamus.* quorum exempla, teſte QVINCTILIANO (1), nimium frequenter deprehendet, qui ſcierit, haec uitia eſſe. poëtis interdum, ob numeri leges, hoc (2) condonatur; ſed, qui in proſa oratione, quae hiſce uinculis innexa non eſt, idem committit, nae! frigidus is eſt (3) et plane inſulſus.

(1) *inſtitut. orat. lib.* VIII. *cap.* VI. p. 468.

(2) *FABIVS* l. c. p. 468. in illo uero plurimum erroris, quod ea, quae *poëtis*, qui et omnia ad uoluptatem referunt, et plurima uertere, etiam ipſa metri neceſſitare coguntur, permiſſa ſunt, conuenire quidam etiam proſae putant.

(3) ſic frigida ſunt illa: *menſarum uoragines* apud *AMMIANVM MARCELLINVM lib. XIV. cap. V. ſyrtis patrimonii, charybdis bonorum*, teſte *CICERONE* de *orat. lib.* III. *p.* 549. ſed ioci cauſſa comici non numquam audacius loquuntur. ita *PLAVTVS AMPHITR.* I. 1. *u.* 139. *dentes pruriunt u.* 160. *alia forma oportet eſſe, quem tu pugno legeris.* immo in tota hac ſcena frigidis translationibus *SOSIA* utitur, quod

quod pro ſeruo commode ſatis excogitatum eſt.

§. V.

SECVNDO notandum loco eſt in translationibus, *ne ad poëtarum tranſeamus caſtra, uel ad frigidas catachreſes delabamur.* ſolet hoc in FLORO et CVRTIO praecipue obſeruari. praeter ea, quae caſtigata iam ſunt BVCHNERO (1), recte et alia notari poſſe (2), uideo.

(1) de *commutata ratione dicendi cap.* II. §. VI. *p.* 28. *edit.* LIPS. MDCLXXX. 12.

(2) *FLORVS* in *praefatione p.* 45. *a CAESARE AVGVSTO* in ſeculum noſtrum haud multo minus anni ducenti, quibus *inertia* caeſarum quaſi *conſenuit* atque *decoxit.* II. VI. 35. *inſanorum* inmanitas *montium* lib. II. c. III. 15. tum acie conuerſa in orientem, ut, quod ex captiuis mox cognitum eſt, *ex ſplendore galearum ac repercuſſu quaſi ardere caelum uideretur.* nimis ſane hyperbolicum! libr. III. cap. V. 9. ipſamque urbem romam *regius terror adſlabat.* lib. IV. cap. XII. 37. adeo impatiens erat, ut ad *arceſſendos* eos *ardente uentis mari, nocte concubia* ſpeculatorio nauigio ſolus ire tentauerit. uix poëtis haec concedenda, ne dum hiſtoricis. cum primis huc pertinet ENNODIVS in *uita* EPIPHANII, cuius haec notari merentur: *ibi*, inquit, *profuſus in oratione, continuis fletibus exſortem pluuiarum ter-*

terram oculorum imbribus irrigabat. B. 5. edit. SCHOTTI TORNACI MDCX. 8.

§. VI.

TVM cauendum eſt, *ne translationes ducantur a re turpi, aut minus honeſta.* quoniam, ut recte obſeruat BVCHNERVS (1), honeſtas uocabuli partim in ſono, partim in re ſignificata, latet: ipſe CICERO (2) dum alteri cauet, ad alterum offendit. ceterum referenda huc ſunt multa CATVLLI, MARTIALIS, HORATII, OVIDII (3), quae inſerere orationi uelle, nimis laederet honeſtas aures. neque multum caſtior phraſis eſt, *cacare poëtas*, quam memini me alicubi legere.

(1) lib. II. p. 38. *de commutata ratione dicendi.*

(2) audiamus eius uerba, quae ſenſum noſtrum explanant, ita p. 549. de *orat. lib.* III. *et quoniam haec*, inquit, *uel ſumma laus eſt uerbi transferendi, ut ſenſum feriat id, quod translatum ſit: fugienda eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet ſimilitudo. nolo*, morte *dici* AFRICANI caſtratam eſſe rem publ. *nolo* ſtercus curiae *dici* GLAVCIAM. *quamuis ſit ſimile, tamen eſt in utroque deformis cogitatio ſimilitudinis.* haec ille. ſed quid? an non audis, in uocibus, *quamuis ſit*, ſonum pu-

putidum? nimis propinquum eſt ſono *τῶ uiſit*, a uiſire.

(3) plura lege confutata apud BVCHNERVM *loc. adleg. p.* 38. *ſeqq.* adde FABIVM *lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 468.

§. VII.

DEINDE *ſi quae duriores forte uideantur translationes in tuum irrepſiſſe ſermonem, fac eas uerbo quodam interpoſito emollias:* ad quam rem particulae *quaſi*, *ueluti*, *tanquam*, magno ſunt uſui (1). ſic ERASMVS ROTERODAMVS (2), qui plures eius generis excuſandi formulas adiecit. ſic quoque LACTANTIVS (3). *aiunt enim*, inquit, *multo eſſe praeclarius et homine dignius, caelum potius quam caelata intueri, et hoc pulcerrimum opus intermicantibus aſtrorum, luminibus*, tamquam floribus adornatum, *quam picta et ficta et gemmis diſtincta mirari* (4).

(1) ita CICERO de *orat. lib.* III. *p.* 549. praecipit. *atque ſi etiam uereare*, agnoſce eius uerba! *ne paullo durior translatio eſſe uideatur*, *mollienda eſt propoſito ſaepe uerbo. ut, ſi olim, M. CATONE mortuo*, pupillum *ſenatum quis relictum diceret*, *paullo durius*; *ſin* ut ita dicam pupillum, *aliquando mitius eſt. etenim uerecunda debet eſſe translatio*, ut *deducta eſſe in alienum locum*, *non irruiſſe*, atque ut precario, non ui, ueniſſe uideatur.

 (2

(2) de *copia uerborum lib.* I. *cap.* XI. *p.* 21. *CATO librorum belluo, ſi tamen eo uerbo fas eſt uti, in re tam praeclara.*

(3) *inſtitutionum diuinarum lib.* VI. *cap.* XX. *p.* 424. 8. edit. THYSII MDCLII. 8.

(4) praecepit iam hunc locum BVCHNERVS de *commutata ratione dicendi cap.* II. *p.* 53.

§. VIII.

PORRO *ſi qua translatio nomen occupauit, ut uerbum eidem quoque adcommodetur, neceſſe eſt* (1). continuanda proinde eſt oratio, ut coepta fuit, neque, quem de incendiis inſtituiſti ſermonem, in fluctibus maris exitum ille habeat. qua in re multorum, certe praeſtantisſimorum, error uirorum eſt. concederemus illud poëtis, quos tamen, haud fas eſt, ut furor extra naturae limites rapiat. at uero ſi in ſoluta oratione ſic miſcentur omnia: ferendum illud eo minus eſt. reiicienda ergo ſunt: *in calce capitis, fructum haurire, illotis manibus adgredi*, aut *illotis pedibus attingere* (2).

(1) QVINCTILIANVS *inſtitut. orat. lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 474. id quoque, *ait*, in primis eſt cuſtodiendum, et, quo ex genere coeperis translationis, hoc deſinas. multi autem quum initium a tempeſtate ſumſerunt, incendio aut ruina finiunt. adde CICERONEM de *oratore lib.* III. *p.* 549. *ſeqq.* (2)

(2) adnotauit haec iam GERHARD. IOA. VOSSIVS *oratoriarum inſtitutionum lib.* IV. *cap.* V. *num.* XIII. *p.* 107. *ſeqq.* et *AVGVSTVS BVCHNERVS* de *commutata ratione dicendi cap.* II. §. XI. p. 47. ſeqq. quos ſequutus eſt HEINECCIVS *in fundamentis ſtili pag.* 74.

§. IX.

IN *continuandis denique hiſce translationibus, danda eſt opera, ne ſyrtes et aenigmata proponamus: aut longe petitis metaphoris obſcuri fiamus et frigidi* (1). excellere in hoc uitiorum genere MARCELLINVM, APOLLINAREM, ENNODIVM, ſatis conſtat. neque APVLEIVS non inſignis eſt hiſce maculis. protulit exemplum ENNODII HEINECCIVS. ego ſuppeditabo aliud ex AMMIANO MARCELLINO (2). *nunc ludibriis*, inquit, *ignauiae torrentes exundant, perflabili ſono uocali et tinnitu fidium reſultantes.*

(1) HEINECCIVS in *fundamentis ſtili p.* 75.

(2) *hiſtoriarum lib.* XIV. *cap.* V. *p.* 16. dabo et quaedam alia ex ENNODIO ſpecimina. eius dicendi formulae ſunt in *uita* EPIPHANII: *neceſſariis bullis uuidi ſermonis amplificare.* A. 1. b. *ex liquido ingenuitatis fonte uenire* A. 2. *uox ſonora et ſucco uirilis elegantiae condita.* A. 3. b. item: *ſomnians uocitatur ager, qui in eo loco ſitus eſt, in quo terrenum marginem guloſus pa-*

dans gurgitis morſus adrodit, et flexuoſe ſerpens fluuius in compendio alterius, quod furatur ab altero, ſimulque fit lucrum finitimi aliena calamitas. A. 4. tali tamen narratione incipiens, *ianuam oris reſerauit.* B. 1. b. quem quum ille regum praeſtantiſſimus *cordis oculis inſpexiſſet*, et *ſolita iudicii ſui* ſacerdotem noſtrum *libra penſaret*, inuenit in eo pondus omnium conſtare uirtutum: cuius integritatem uelut *fabrilibus lineis* ad *perpendiculum mentis* emenſus eſt.

§. X.

AD *metonymiam* (1) progreſſuri, ſi pauca quaedam exempla excipias, ad palliandos ueterum lapſus, quam ornandam orationem, magis eam inuentam eſſe, in animum reuocamus. ligato ſermoni uindicari, ſupra diximus (2). quum, *gladium*, *uagina uacuum*, in urbe uiſum non fuiſſe, dicit CICERO (3); ſine controuerſia ingenii lapſus uocabitur: grammatici tamen, ornatum in errore comminiſcuntur, eſſe *metonymiam adiuncti pro ſubiecto* iudicantes. *proximus iam ardet VCALEGON* quis proprie dixerit? excuſat tamen mendacium metonymia. eſt enim *poſſeſſor*, *pro re poſſeſſa.* uel *centies hoc a me* dictum eſſe, nemo crediderit: ſed excuſant grammatici per *ſynecdochen:* eſt enim *numerus certus*, pro *incerto*.

(1)

(1) metonymiae ſpecies, nimirum *cauſſae*, *effecti*, *ſubiecti*, *adiuncti*, notantur in uulgaribus libellis rhetoricis, quum VOSSII, tum KIRCHMANNI, quos uide.

(2) ſupra §. II. id factum eſt.

(3) in oratione pro MARCELLO *cap. VI.*

§. XI.

DANTVR tamen non nullae huius generis loquutiones, quas iam ipſe CICERO (1) et QVINCTILIANVS (2) tamquam uſu receptas comprobarunt. ſic certe non pauca metonymiae exempla produxit ex aliis BVCHNERVS (3) et VOSSIVS (4), ex illisque eadem HEINECCIVS (5). huc referas: *uario marte pugnare: auerſum eſſe a muſis: ſilent muſae: comedere aliquem: martem uidere communem: linguam uitare hominum.*

(1) de *orat. lib.* III. *p.* 550. grauis eſt modus in oratione, et ſaepe ſumendus, ex quo genere haec ſunt, *martem belli eſſe communem; CERERΕΜ* pro *frugibus: LIBERVM* adpellare pro *uino: NEPTVNVM* pro *mari: curiam* pro *ſenatu: campum* pro *comitiis: togam* pro *pace: arma ac tela* pro *bello.* quo item in genere et *uirtutes* et *uitia* pro *ipſis*, in *quibus illa ſunt*, adpellantur. *luxuries quam* in *domum erupit*, et, *quo auaritia penetrauit*: aut, *fides ualuit*, *iuſtitia confecit.*

(2)

(2) *inſtitut. orator.* lib. VIII. cap. VI. p. 469. nec procul ab hoc genere diſcedit metonymia, *quae eſt nominis pro nomine poſitio, cuius uis eſt, pro eo, quod dicitur, cauſſam, propter quam dicitur, ponere.* ſed, ut ait CICERO, hypallagen rhetores dicunt. haec inuenta ab inuentore, et ſubiecta ab obtinentibus ſignificat, ut *CEREREM coruptam undis*, et *receptus terra NEPTVNVS, claſſes aquilonibus arcet*, quod fit retro durius. refert autem, in quantum dictus tropus oratorem ſequatur. nam, ut *VVLCANVM* pro *igne*, uulgo audiuimus; et *uario marte pugnatum*, eruditus eſt ſermo; et *uenerem*, quam coitum dixiſſe, magis decet: ita *LIBERVM* et *CEREREM* pro *uino* et *pane* licentius; quam ut fori ſeueritas ferat.

(3) de *commutata ratione dicendi cap.* IV. §. I. *ſeqq. p. 65. ſeqq.*

(4) *inſtit. orat. lib.* IV. *cap.* II. *p.* 115. *ſeqq.*

(5) in *fundamentis* ſtili p. 77.

§. XII.

PRORSVS idem de *ſynecdochicis* (1) quibusdam loquutionibus dicendum eſt. uti pleraque iſtius genera poëtis relinquenda ſunt: ſic ipſo CICERONE (2) ac QVINCTILIANO teſte (3), quaedam etiam oratoribus ſe probarunt, ut tuto illis uti poſſimus. eius farinae ſunt, *mucro* pro *gladio*; *tecta* pro *domibus*; *mortales*

tales pro *hominibus ; miles*, *eques*, *pedes*, pro *militibus*, *equitibus*, *peditibus ;* item *manus* pro *exercitu :* quo et referas, quando apud poëtas non tantum, ſed ſolutos etiam numeris ſcriptores, *pluralis* ponitur pro *ſingulari ;* non, quod hodie moris eſt, *iactantiae cauſſa :* ſed ad extenuandum ſermonem (3).

(1) latine dicitur *intellectio*, ſeu comprehenſio, et eſt etiam quadruplex, uel *partis*, uel *ſpeciei*, uel *totius*, uel *generis.* uide VOSSIVM, et KIRCHMANNVM : ubi ſingula explicantur exemplis.

(2) de *orat. lib.* III. *p.* 550. *ſeq.* uidetis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque uerbo res eadem enuntiatur, ornatius : cui ſunt finitima illa minus ornata, ſed tamen non ignoranda, quum intelligi uolumus aliquid, aut *ex parte totum*, ut, pro *aedificiis, quum parietes aut tecta dicimus :* aut *ex toto partem*, ut quum *unam turmam*, *equitatum populi romani dicimus.* aut *ex uno plures.*

at romanus homo tamen, etſi res bene geſta eſt,
corde ſuo trepidat.

aut quum ex *pluribus* intelligitur unum.

nos ſumu' romani, qui fuimus rutuli,

aut quocumque modo, non ut dictum eſt, in eo genere intelligitur, ſed ut ſenſum eſt.

(3) *orat. inſtitut. lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 468. haec uariare ſermonem poteſt, ut ex *uno plu-*

res

res intelligamus, *parte totum*, *ſpecie genus*, *praecedentibus ſequentia*, uel contra; omnia tamen liberiora poëtis, quam oratoribus. nam proſa, ut *mucronem* pro *gladio* et *tectum* pro *domo:* ita non *puppim* pro *naui*, nec *abietem* pro *tabulis*. et rurſus, ut pro *gladio ferrum*, ita non pro *equo quadrupedem*. maxime autem in ornando ualebit numerorum iſta libertas. nam et LIVIVS ſaepe ſic dicit, *romanus praelio uictor*, quum romanos uiciſſe ſignificat, et contra CICERO ad BRVTVM: *populo*, inquit, *impoſuimus:* quum de ſe tantum loqueretur. quod genus non orationes modo ornat, ſed etiam quotidiani ſermonis uſus recipit.

(3) ſic SERVIVS ad VIRGILII AENEIDOS II. 89-90. *nos*, *dixit*, ad *euitandam iactantiam*, *nam ſi ſingulari dixiſſet:* ego geſſi, *excluſiſſe ceteros uideretur*. ita haec uerba producit BVCHNERVS de *commutata ratione dicendi lib*. I. *cap*. V. §. 3. *p*. 86. et ex eo HEINECCIVS: paullo aliter TAVBMANNVS. is ad hunc locum p. 435. *nos dicit*, *multitudinis numero* ad *euitandam iactantiam uel nos*, *ſe et patrem dixit*. uellem, indicaſſent uiri eruditi editionem, qua uſi ſunt. ego aliter omnia. poſſideo editionem pariſienſem MDC. in fol. ex bibliotheca PETRI DANIELIS emiſſam, in qua p. 227. ita commentatur SERVIVS: *pluralis* pro *ſingulari*; *ut SALLVSTIVS*: *nos* in *tanta doctiſſimorum copia*. *an*, *nos*, *ſe et patrem dixit*, *ut PALAMEDES?*

§.

§. XIII.

NEC IRONIAM (*) quae in ſalibus ſpargendis, in aduerſariis irridendis, aut acrius paullo coercendis uerſatur, omnino reiicimus: modo neque acerba, neque frigida nimis ſit.

(*) contrarium ponitur eius, quod debet intelligi, ut apud TERENTIVM, *andria* V. II. 5. *ſalue bone uir! and.* I. II. 23. *bona uerba quaeſo!* et apud *VIRGILIVM* AENEID. *lib.* IV. u. 93.

egregiam uero laudem et ſpolia ampla tuliſtis,
tuque puerque tuus!

eius autem genera uti in omnibus occurrunt libellis rhetoricis: ſic conferendus ex iis cum primis eſt *GERHARDVS IO. VOSSIVS inſtitut. orat. lib.* III. *cap.* IX. *p.* 152. *ſeqq.*

§. XIV.

QVOD ſecundum eſt in ornatu rhetorico, conſiſtit in *figuris* aut *ſchematibus.* non omnem quidem iam figurarum adparatum huc uocabimus, in quibus amplificandis nimii ſaepe fuerunt rhetores. quae enim ad animi motus proferendos atque indicandos pertinent, eas quidem iam omittimus, quum rebus quidem, non aeque uerbis, ornatum concilient. illas producemus praecipue, in

terram oculorum imbribus irrigabat. B. 5. edit. SCHOTTI TORNACI MDCX. 8.

§. VI.

TVM cauendum eſt, *ne translationes ducantur a re turpi, aut minus honeſta.* quoniam, ut recte obſeruat BVCHNERVS (1), honeſtas uocabuli partim in ſono, partim in re ſignificata, latet: ipſe CICERO (2) dum alteri cauet, ad alterum offendit. ceterum referenda huc ſunt multa CATVLLI, MARTIALIS, HORATII, OVIDII (3), quae inſerere orationi uelle, nimis laederet honeſtas aures. neque multum caſtior phraſis eſt, *cacare poëtas*, quam memini me alicubi legere.

(1) lib. II. p. 38. *de commutata ratione dicendi.*

(2) audiamus eius uerba, quae ſenſum noſtrum explanant, ita p. 549. de *orat. lib.* III. *et quoniam haec*, inquit, *uel ſumma laus eſt uerbi transferendi, ut ſenſum feriat id, quod translatum ſit: fugienda eſt omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audiunt, trahet ſimilitudo. nolo*, morte *dici* AFRICANI caſtratam eſſe rem publ. *nolo* ſtercus curiae *dici* GLAVCIAM. *quamuis ſit ſimile, tamen eſt in utroque deformis cogitatio ſimilitudinis.* haec ille. ſed quid? an non audis, in uocibus, *quamuis ſit*, ſonum pu-

putidum? nimis propinquum eſt ſono *τῷ uiſit*, a uiſire.

(3) plura lege confutata apud BVCHNERVM *loc. adleg. p.* 38. *ſeqq.* adde FABIVM *lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 468.

§. VII.

DEINDE *ſi quae duriores forte uideantur translationes in tuum irrepſiſſe ſermonem, fac eas, uerbo quodam interpoſito emollias:* ad quam rem particulae *quaſi*, *ueluti*, *tanquam*, magno ſunt uſui (1). ſic ERASMVS ROTERODAMVS (2), qui plures eius generis excuſandi formulas adiecit. ſic quoque LACTANTIVS (3). *aiunt enim*, inquit, *multo eſſe praeclarius et homine dignius, caelum potius quam caelata intueri, et hoc pulcerrimum opus intermicantibus aſtrorum, luminibus*, tamquam floribus adornatum, *quam picta et ficta et gemmis diſtincta mirari* (4).

(1) ita CICERO de *orat. lib.* III. *p.* 549. praecipit. *atque ſi etiam uereare*, agnoſce eius uerba! *ne paullo durior translatio eſſe uideatur, mollienda eſt propoſito ſaepe uerbo. ut, ſi olim, M. CATONE mortuo*, pupillum *ſenatum quis relictum diceret, paullo durius*; *ſin* ut ita dicam pupillum, *aliquando mitius eſt. etenim uerecunda debet eſſe translatio*, ut *deducta eſſe in alienum locum, non irruiſſe*, atque ut precario, non ui, ueniſſe uideatur.

 (2

(2) de *copia uerborum lib.* I. *cap.* XI. *p.* 21. CATO *librorum belluo*, *ſi tamen eo uerbo fas eſt uti*, *in re tam praeclara.*

(3) *inſtitutionum diuinarum lib.* VI. *cap.* XX. *p.* 424. 8. edit. THYSII MDCLII. 8.

(4) praecepit iam hunc locum BVCHNERVS de *commutata ratione dicendi cap.* II. *p.* 53.

§. VIII.

PORRO *ſi qua translatio nomen occupauit*, *ut uerbum eidem quoque adcommodetur*, *neceſſe eſt* (1). continuanda proinde eſt oratio, ut coepta fuit, neque, quem de incendiis inſtituiſti ſermonem, in fluctibus maris exitum ille habeat. qua in re multorum, certe praeſtantisſimorum, error uirorum eſt. concederemus illud poëtis, quos tamen, haud fas eſt, ut furor extra naturae limites rapiat. at uero ſi in ſoluta oratione ſic miſcentur omnia: ferendum illud eo minus eſt. reiicienda ergo ſunt: *in calce capitis*, *fructum haurire*, *illotis manibus adgredi*, aut *illotis pedibus attingere* (2).

(1) QVINCTILIANVS *inſtitut. orat. lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 474. id quoque, *ait*, in primis eſt cuſtodiendum, et, quo ex genere coeperis translationis, hoc deſinas. multi autem quum initium a tempeſtate ſumſerunt, incendio aut ruina finiunt. adde CICERONEM de *oratore lib.* III. *p.* 549. *ſeqq.*

(2)

(2) adnotauit haec iam GERHARD. IOA. VOSSIVS *oratoriarum inſtitutionum lib.* IV. *cap.* V. *num.* XIII. *p.* 107. *ſeqq.* et *AVGVSTVS BVCHNERVS* de *commutata ratione dicendi cap.* II. §. XI. p. 47. ſeqq. quos ſequutus eſt HEINECCIVS *in fundamentu ſtili pag.* 74.

§. IX.

IN *continuandis denique hiſce translationibus, danda eſt opera, ne ſyrtes et aenigmata proponamus; aut longe petitis metaphoris obſcuri fiamus et frigidi* (1). excellere in hoc uitiorum genere MARCELLINVM, APOLLINAREM, ENNODIVM, ſatis conſtat. neque APVLEIVS non inſignis eſt hiſce maculis. protulit exemplum ENNODII HEINECCIVS. ego ſuppeditabo aliud ex AMMIANO MARCELLINO (2). *nunc ludibriis*, inquit, *ignauiae torrentes exundant, perflabili ſono uocali et tinnitu fidium reſultantes.*

(1) HEINECCIVS in *fundamentis ſtili p.* 75.

(2) *hiſtoriarum lib.* XIV. *cap.* V. *p.* 16. dabo et quaedam alia ex ENNODIO ſpecimina. eius dicendi formulae ſunt in *uita* EPIPHANII: *neceſſariis bullis uuidi ſermonis amplificare.* A. 1. b. *ex liquido ingenuitatis fonte uenire* A. 2. *uox ſonora et ſucco uirilis elegantiae condita.* A. 3. b. item: *ſomnians uocitatur ager, qui in eo loco ſitus eſt, in quo terrenum marginem guloſus pa-*

dans gurgitis morſus adredit, et flexuoſe ſerpens fluuius in compendio alterius, quod furatur ab altero, ſimulque fit lucrum finitimi aliena calamitas. A. 4. tali tamen narratione incipiens, *ianuam oris reſerauit.* B. 1. b. quem quum ille regum praeſtantiſsimus *cordis oculis inſpexiſſet*, et *ſolita iudicii ſui* ſacerdotem noſtrum *libra penſaret*, inuenit in eo pondus omnium conſtare uirtutum: cuius integritatem uelut *fabrilibus lineis* ad *perpendiculum mentis* emenſus eſt.

§. X.

AD *metonymiam* (1) progreſſuri, ſi pauca quaedam exempla excipias, ad palliandos ueterum lapſus, quam ornandam orationem, magis eam inuentam eſſe, in animum reuocamus. ligato ſermoni uindicari, ſupra diximus (2). quum, *gladium*, *uagina uacuum*, in urbe uiſum non fuiſſe, dicit CICERO (3); ſine controuerſia ingenii lapſus uocabitur: grammatici tamen, ornatum in errore comminiſcuntur, eſſe *metonymiam adiuncti pro ſubiecto* iudicantes. *proximus iam ardet VCALEGON* quis proprie dixerit? excuſat tamen mendacium metonymia. eſt enim *poſſeſſor*, *pro re poſſeſſa.* uel *centies hoc a me* dictum eſſe, nemo crediderit: ſed excuſant grammatici per *ſynecdochen:* eſt enim *numerus certus*, pro *incerto.*

(1)

(1) metonymiae ſpecies, nimirum *cauſſae*, *effecti*, *ſubiecti*, *adiuncti*, notantur in uulgaribus libellis rhetoricis, quum VOSSII, tum KIRCHMANNI, quos uide.

(2) ſupra §. II. id factum eſt.

(3) in oratione pro MARCELLO *cap. VI.*

§. XI.

DANTVR tamen non nullae huius generis loquutiones, quas iam ipſe CICERO (1) et QVINCTILIANVS (2) tamquam uſu receptas comprobarunt. ſic certe non pauca metonymiae exempla produxit ex aliis BVCHNERVS (3) et VOSSIVS (4), ex illisque eadem HEINECCIVS (5). huc referas: *uario marte pugnare: auerſum eſſe a muſis: ſilent muſae: comedere aliquem: martem uidere communem: linguam uitare hominum:*

(1) de *orat. lib.* III. *p.* 550. grauis eſt modus in oratione, et ſaepe ſumendus, ex quo genere haec ſunt, *martem belli eſſe communem; CERERE M* pro *frugibus: LIBERVM* adpellare pro *uino: NEPTVNVM* pro *mari: curiam* pro *ſenatu: campum* pro *comitiis: togam* pro *pace: arma ac tela* pro *bello.* quo item in genere et *uirtutes* et *uitia* pro *ipſis*, in *quibus illa ſunt*, adpellantur. *luxuries quam* in *domum erupit*, et, *quo auaritia penetrauit*: aut, *fides ualuit, iuſtitia confecit.*

(2)

(2) *inſtitut. orator.* lib. VIII. cap. VI. p. 469. nec procul ab hoc genere diſcedit metonymia, *quae eſt nominis pro nomine poſitio, cuius uis eſt, pro eo, quod dicitur, cauſſam, propter quam dicitur, ponere.* ſed, ut ait CICERO, hypallagen rhetores dicunt. haec inuenta ab inuentore, et ſubiecta ab obtinentibus ſignificat, ut *CEREREM coruptam undis*, et *receptus terra NEPTVNVS, claſſes aquilonibus arcet*, quod fit retro durius. refert autem, in quantum dictus tropus oratorem ſequatur. nam, ut *VVLCANVM* pro *igne*, uulgo audiuimus; et *uario marte pugnatum*, eruditus eſt ſermo; et *uenerem*, quam coitum dixiſſe, magis decet: ita *LIBERVM* et *CEREREM* pro *uino* et *pane* licentius; quam ut fori ſeueritas ferat.

(3) de *commutata ratione dicendi cap.* IV. §. I. *ſeqq. p.* 65. *ſeqq.*

(4) *inſtit. orat. lib.* IV. *cap.* II. *p.* 115. *ſeqq.*

(5) in *fundamentis* ſtili p. 77.

§. XII.

PRORSVS idem de *ſynecdochicis* (1) quibusdam loquutionibus dicendum eſt. uti pleraque iſtius genera poëtis relinquenda ſunt: ſic ipſo CICERONE (2) ac QVINCTILIANO teſte (3), quaedam etiam oratoribus ſe probarunt, ut tuto illis uti poſſimus. eius farinae ſunt, *mucro* pro *gladio*; *tecta* pro *domibus*; *mortales*

tales pro *hominibus ; miles, eques, pedes,* pro *militibus, equitibus, peditibus ;* item *manus* pro *exercitu :* quo et referas, quando apud poëtas non tantum, ſed ſolutos etiam numeris ſcriptores, *pluralis* ponitur pro *ſingulari ;* non, quod hodie moris eſt, *iactantiae cauſſa :* ſed ad extenuandum ſermonem (3).

(1) latine dicitur *intellectio*, ſeu comprehenſio, et eſt etiam quadruplex, uel *partis*, uel *ſpeciei*, uel *totius*, uel *generis.* uide VOSSIVM, et KIRCHMANNVM : ubi ſingula explicantur exemplis.

(2) de *orat. lib.* III. *p.* 550. *ſeq.* uidetis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque uerbo res eadem enuntiatur, ornatius : cui ſunt finitima illa minus ornata, ſed tamen non ignoranda, quum intelligi uolumus aliquid, aut *ex parte totum*, ut, pro *aedificiis, quum parietes aut tecta dicimus :* aut *ex toto partem*, ut quum *unam turmam, equitatum populi romani dicimus.* aut *ex uno plures.*

at romanus homo tamen, etſi res bene geſta eſt,
corde ſuo trepidat.

aut quum ex *pluribus* intelligitur unum.

nos ſumu' romani, qui fuimus rutuli.

aut quocumque modo, non ut dictum eſt, in eo genere intelligitur, ſed ut ſenſum eſt.

(3) *orat. inſtitut. lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 468. haec uariare ſermonem poteſt, ut ex *uno plu-*

res

res intelligamus, *parte totum*, *ſpecie genus*, *praecedentibus ſequentia*, uel contra; omnia tamen liberiora poëtis, quam oratoribus. nam proſa, ut *mucronem* pro *gladio* et *tectum* pro *domo*: ita non *puppim* pro *naui*, nec *abietem* pro *tabulis*. et rurſus, ut pro *gladio ferrum*, ita non pro *equo quadrupedem*. maxime autem in ornando ualebit numerorum iſta libertas. nam et LIVIVS ſaepe ſic dicit, *romanus praelio uictor*, quum romanos uiciſſe ſignificat, et contra CICERO ad BRVTVM: *populo*, inquit, *impoſuimus*: quum de ſe tantum loqueretur. quod genus non orationes modo ornat, ſed etiam quotidiani ſermonis uſus recipit.

(3) ſic SERVIVS ad VIRGILII AENEIDOS II. 89-90. *nos*, *dixit*, ad *euitandam iactantiam*, *nam ſi ſingulari dixiſſet*: ego geſſi, *excluſiſſe ceteros uideretur*. ita haec uerba producit BVCHNERVS de *commutata ratione dicendi lib*. I. *cap*. V. §. 3. *p*. 86. et ex eo HEINECCIVS: paullo aliter TAVBMANNVS. is ad hunc locum p. 435. *nos dicit*, *multitudinis numero ad euitandam iactantiam uel nos*, *ſe et patrem dixit*. uellem, indicaſſent uiri eruditi editionem, qua uſi ſunt. ego aliter omnia. poſſideo editionem pariſienſem MDC. in fol. ex bibliotheca PETRI DANIELIS emiſſam, in qua p. 227. ita commentatur SERVIVS: *pluralis* pro *ſingulari*; *ut SALLVSTIVS*: *nos* in *tanta doctiſſimorum copia*. *an*, *nos*, *ſe et patrem dixit*, *ut PALAMEDES*?

§.

§. XIII.

NEC IRONIAM (*) quae in ſalibus ſpargendis, in aduerſariis irridendis, aut acrius paullo coercendis uerſatur, omnino reiicimus: modo neque acerba, neque frigida nimis ſit.

(*) contrarium ponitur eius, quod debet intelligi, ut apud TERENTIVM, *andria* V. II. 5. *ſalue bone uir! and.* I. II. 23. *bona uerba quaeſo!* et apud *VIRGILIVM* AENEID. *lib.* IV. u. 93.

egregiam uero laudem et ſpolia ampla tuliſtis,
tuque puerque tuus!

eius autem genera uti in omnibus occurrunt libellis rhetoricis: ſic conferendus ex iis cum primis eſt *GERHARDVS IO. VOSSIVS inſtitut. orat. lib.* III. *cap.* IX. *p.* 152. *ſeqq.*

§. XIV.

QVOD ſecundum eſt in ornatu rhetorico, conſiſtit in *figuris* aut *ſchematibus*. non omnem quidem iam figurarum adparatum huc uocabimus, in quibus amplificandis nimii ſaepe fuerunt rhetores. quae enim ad animi motus proferendos atque indicandos pertinent, eas quidem iam omittimus, quum rebus quidem, non aeque uerbis, ornatum concilient. illas producemus praecipue, in

in quibus aliquis latet uerborum ornatus, nec illarum quidem omnes, ſed primarias.

§. XV.

PRINCEPS ſit ἐπίζευξις, quam *coniunctum*, aut *ſubiunctionem* (1) latini dicunt. eſt ea *uocis eiusdem in eodem membro uehemens* (2) *repetitio.*

(1) FABIVS etiam ἐπάνοδον dicit: ita enim: e *quibus primum ſit*, inquit, *quod ſit per adiectionem. plura ſunt genera. nam et uerba geminantur, uel amplificandi gratia, ut, occidi, occidi, non ſp. MELIVM cet. lib.* IX. *cap.* III. *p.* 517. *inſtitut. orator.*

(2) *CICERO* pro *MILONE n.* 84. *p.* 1266. *eſt*, *eſt* profecto illa uis *cet.*

item *num.* 91. *p.* 1268. *excitate*, *excitate* eum, ſi poteſtis, ab inferis.

porro num 93. p. 1269. *ualeant*, *ualeant*, inquit, ciues mei, ualeant: ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati.

et n. 101. p. 1272. *uos*, *uos*, adpello fortisſimi uiri.

item in *CATIL. I. n.* 3. p. 706. *fuit*, *fuit* iſta quondam in hac re publica uirtus, ut uiri fortes acrioribus ſuppliciis ciuem perniciosum, quam acerbisſimum hoſtem, coercerent.

item *pro lege manilia cap.* XII. *num.* 32. p. 539. *fuit* hoc quondam, *fuit* proprium populi romani, longe a domo bellare et propugnaculis imperii, ſociorum fortunas, non ſua tecta defendere.

§.

§. XVI.

PERQVAM ſuauis eſt et ornata figura ll. *ἀνάφορα*, quae *auctori* ad HERENNIVM (1) generatim *crebra ſuperioris cuiusque uerbi repetitio* dicitur. ea nimirum primam ſuperioris membri, aut inciſi, uocem in ſequentibus omnibus (2) eodem loco repetit.

(1) *lib. IV. p.* 83. *repetitio*, inquit, *eſt*, *quum continenter ab uno atque eodem uerbo in rebus ſimilibus et diuerſis principia ſumuntur, hoc modo: uobis* iſtud adtribuendum eſt, *uobis* gratia habenda, *uobis* res iſta erit honori *cet.* adde *VOSSIVM lib.* V. *inſtitut. orat. cap.* III. *num.* 1. *p.* 284. *ſeqq.* huc refer exempla *CIC.* pro *MIL. cap.* VII. *num.* 19. *p.* 1242. *cap.* XXVII. *num.* 72. *p.* 1261. ubi triplex anaphora occurrit. cap. XXXI. *num.* 85. *p.* 1267. XXXII. *num.* 32. *p.* 1267. XXXIV. *num.* 92. *p.* 1269. XXXVI. *num.* 100. *p.* 1271.

(2) CICERO pro MILONE cap. XXV. n. 67. p. 1259. *ſi* MILONEM times; *ſi* hunc de tua uita nefarie aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas; *ſi* italiae delectus, ut non nulli conquiſitores tui dictitant, *ſi* haec arma, *ſi* capitolinae cohortes, *ſi* excubiae, *ſi* uigiliae, *ſi* delecta iuuentus, quae tuum corpus domumque cuſtodit, contra MILONIS impetum armata eſt; atque illa omnia in hunc unum inſtituta, parata, intenta ſunt: magna in hoc certe uis et incredibilis animus, et non unius

M ui-

uiri uires atque opes indicantur; ſiquidem in hunc unum et praeſtantisſimus dux electus et tota res publica armata eſt.

§. XVII.

OB ornatum commendatur etiam ἐπάνοδος; FABIVS (1) *regresſionem* dicit. ſolemus per eam uerba ſententiae prioris aut inuerſo relegere (2) ordine, aut *mutata ſententia proponere.*

(1) *inſtit. orat. lib. IX. cap. III. p. 517. ſeq.* qui quindecim ἐπανόδου genera commemorat, quae tamen aliis inſigniuerunt nominibus rhetores alii. referri huc etiam poteſt CICERO pro MILONE cap. XXV. CVRTIVS IX. x. 30. adeo nec *luxuriae quidquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obſtat.*

(2) CICERO pro PLANCIO cap. XXVIII. *gratiam autem et qui refert, habet, et qui habet in eo ipſo, quod habet, refert.*

pro CAECINNA cap. III. n. 8. p. 496. uidete igitur, quam inique accidat, *quia res indigna ſit, ideo turpem exiſtimationem ſequi: quia turpis exiſtimatio ſequatur; ideo rem indignam non iudicari?*

pro lege manilia. cap. XI. n. 31. *p.* 539. hoc tantum bellum, tam turpe, tam uetus, tam late diuiſum, atque diſperſum, quis umquam arbitraretur, *aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici poſſe?*

et

et cap. XXIII. n. 67. p. 550. *ecquam putatis ciuitatem pacatam fuiſſe, quae locuples ſit: ecquam eſſe locupletem, quae iſtis pacata eſſe uideatur?*

§. XVIII.

SEQVITVR IV. παρονομασία, haec, quam *agnominationem* auctor ad HERENNIVM dicit (1), eſt, quum ad idem uerbum, et idem nomen, acceditur, commutatione unius litterae, aut litterarum, aut ſyllabae aut ſyllabarum: aut ad res disſimiles disſimilia uerba adcommodantur (2).

(1) *lib. IV. p.* 191. *ſeqq.* ubi et in uarias agnominationum rationes inquirit, ſingulasque ſuis exemplis ornate inluſtrat. conferendus quoque eſt QVINCTILIANVS *lib.* IX. *cap.* III. *p.* 524.

(2) TERENTIVS *andr.* I. III. 13. nam inceptio eſt *amentium*, haud *amantium*.

PLAVTVS in *menaechm.* II. I. 24. *dictum* faceſſas *doctum* et diſcaueas malo.

item *mercat.* II. III. 20. 21. igitur hoccine eſt *amare? arare* mauelim, quam ſic *amare*.

bacchid. I. I. 19. BACCHIS, *bacchas* metuo et *bacchanal* tuum.

item I. I. 21. magis *inlectum* tuum, quam *lectum* metuo.

CICERO ad QVINCTVM *fratrem lib.* II. *ep.* IX. tu uero, ut me et *adpelles* et *interpelles*, et *obloquare* et *conloquare*, uelim.

§. XIX.

VIDEAMVS quoque, quem V. *ἀνταναχλασις* aut *eiuſdem uerbi contraria ſignificatio* (1) ornatum ſermoni adferat. haec ſi ſobrie inſeratur, ut innata, quam arceſſita, magis eſſe uideatur, non leuiter adficit ſenſus, ornatque dictionem: quoniam diuerſa uocis ſignificatione adtentum reddit auditorem et ingenium excitat. dedit exempla auctor ad HERENNIVM ſequentia (2): cur eam rem tam ſtudioſe *curas?* quae multas tibi dabit *curas:* item *amari* iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit *amari:* item *ueniam* ad uos, ſi mihi ſenatus det *ueniam.*

(1) ita exponit QVINCTILIANVS *lib.* IX. *cap.* III. *p.* 525. cuius et illud exemplum eſt, productum a VOSSIO *inſtit. orat. lib.* V. *cap.* II. *p.* 253. quum PROCVLEIVS quereretur de filio, quod is mortem ſuam exſpectaret, et ille dixiſſet, ſe uero non exſpectare: immo inquit, rogo, exſpectes. addatur PLAVTVS in EPIDIC. V. 1. 13. ego te *ſeruabo.* EPIDIC. aedepol me illi *melius*, ſi nacti fuant.

(2) *lib.* IV. *p.* 185. qui hoc genus exercitationis dicit, quum *idem uerbum modo ponitur in hac*, *modo in altera re.*

§.

§. XX.

NON minoris momenti eſt VI. *ἐπανόρθωσις*, quam *correctionem* uocat *auctor* ad HERENNIVM (1). ea enim, uel uoces, uel ſententiam (2) prolatam, ita reuocamus, ut per illam correctionem audientium animi ſuauiter demulceantur (3).

(1) *lib.* IV. *p.* 196. *correctio* eſt, quae tollit id, quod dictum eſt, et pro eo id, quod magis idoneum uidetur, reponit, hoc pacto: quodſi iſte ſuos hoſpites rogaſſet, *imo ſi innuiſſet modo:* hoc facile perfici poſſet.

(2) ita CICERO pro MIL. c. XXVIII. 3. *p.* 105. *edit.* HEVMAN. a ueſtris *tectis*, *ueſtris pecuniis*, ueſtra tecta, ueſtras pecunias dico? *a liberis medius et coniugibus ueſtris numquam ille effrenatas ſuas libidines cobibuiſſet.*
item c. XXIV. *n.* 64. *p.* 1258. ed. ERNEST. quid? quae poſtea in eum ſunt coniecta, ut *ſuſtinuit? immo uero ut contemſit*, et pro nihilo putauit?
catilinar. cap. I. *num.* 2. *p.* 706. hic tamen *uiuit. uiuit?* immo uero etiam in ſenatum uenit, fit publici conſilii particeps, notat et deſignat oculis ad caedem unumquemque noſtrum.

(3) *auctor* ad *HERENNIVM loc. cit. p.* 196. *commouetur hoc genere animus auditoris, res enim, communi uerbo elata, tantum modo dicta uidetur, ea, poſt ipſius oratoris correctionem, magis idonea fit* pronuntiatione.

§. XXI.

MIRE ſermonem ornat VII. περίφρασις, qua rem (1) multis uerbis ambimus, ut uariae illius adtributiones pateant eo clarius, et ob oculos ſiſtantur (2). circuitionem dicit *auctor* ad HERENNIVM (3).

(1) audi FABIVM *lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 476. pluribus autem uerbis, quum id, quod uno, aut paucioribus certe, dici poteſt, explicatur, περίφρασιν uocant circuitum loquendi, qui non numquam neceſsſitatem habet, quoties dictu ſe deformia operit, ut SALLVSTIVS: ad requiſita naturae. interim ornatum petit ſolum, qui eſt apud poëtas frequentisſimus et apud oratores non rarus, ſemper tamen adſtrictior. quidquid enim ſignificari breuius poteſt, et cum ornatu latius oſtenditur, περίφρασις eſt, cui nomen latine dictum eſt, non ſane orationis uirtuti aptum, *circumloquutio.* uerum haec, ut quum decorem habet, periphraſis, ita quum in uitium cadit, περισσολογία dicitur.

(2) ſic MILONIS factum CICER. *cap.* X. *num.* 28. *p.* 1245. copioſe deſcripſit, ut geri, non legi, uideatur. ſic HORATIVS de *arte poëtica uerſus* 158. *ſeqq.* uarias hominum aetates illarumque mores elegantisſime depinxit. ſic etiam NEPOS prudentiam THEMISTOCLIS deſcripturus, his uerbis utitur: *celeriter, quae opus erant, reperiebat, neque minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis erat, quod*

et

et de inſtantibus, ut ait THVCIDIDES, uerisſime iudicabat, et de futuris calidiſſime coniiciebat, inuita THEMISTOCL., cap. I. *p.* 37; edit. LVGD. MDCLXXV. 8.

(3) *lib.* IV. *p.* 202. aliter deſcribit auctor: *circuitio eſt*, inquit, *oratio, rem ſimplicem adſumtam, circumſcribens eloquutione*, hoc pacto: *SCIPIONIS prouidentia CARTHAGINIS opes fregit. nam hic niſi ornandi ratio quaedam eſſet habita, SCIPIO potuit, et CARTHAGO ſimpliciter adpellari.* eleganter quoque hoc argumentum pertractat DIONYSIVS LONGINVS περὶ ὕψους *ſect.* XXVIII. *p.* 160. edit. VERON. MDCCXXXIII. in 4. qui et *ſectione* XXIX. *p.* 166. *abuſum huius figurae* κοῦφόν τι καὶ παχὺ redolere, recte docet.

§. XXII.

AD iſtum, quem quaerimus, ornatum pulchre facit VIII. *imago* (1), graecis εἰκὼν dicta. indicatur hac uoce conlatio quaedam rerum a ſe diuerſarum imperfecta, quae iuſta προτάσει et ἀποδόσει non terminatur (2). ſigna iſtius ſunt particulae, *quaſi*, *ueluti*, *tamquam*, *inſtar*.

(1) dolendum maxime eſt, praeceptiones, quas LONGINVS dedit ſectione XXXVII. eſſe deperditas: egregia tamen ſunt, quae habet ARISTOTELES *rhetoricorum lib.* III. *cap.* II.

(2) CICERO pro MARCELLO *cap.* I. *num.* 2. *p.* 1290. ad bene ſperandum de omni re publica *quaſi* ſignum aliquod ſuſtuliſti.

SALLVSTIVS *de bello catilinari, cap.* X. *p. m.* 43. poſt ubi contagio, *quaſi* peſtilentia, inuaſit, ciuitas immutata, imperiumque ex iuſtiſſimo atque optimo, crudele intolerandumque factum.

NEPOS in uita HANNIBALIS *cap.* I. p. 321. hic autem, *uelut* hereditate relictum, odium paternum erga romanos ſic confirmauit, ut prius animum, quam id, depoſuerit.

CICERO pro QVINCTIO *cap.* II. *n.* 8. *p.* 4. et ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, falſum crimen, *quaſi* uenenatum aliquod telum, iecerint: medicinae faciendae locus non erit.

§. XXIII.

AD ornatam dicendi formam pertinet IX. *παραδιαστολὴ*, qua, quae (1) confundi ſolent, atque uim habere eamdem uidentur, ſolemus disiungere (2).

(1) *definitionem* nominat hanc figuram *auctor* ad HERENNIVM lib. IV. p. 195. *diſtinctionem* autem, et forte rectius, QVINCTILIANVS *inſtit. orat. lib.* IX. cap. III.

(2) ſic CICERO *actione* III. *in VERREM*: non enim furem, ſed ereptorem, non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiae, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque in ueſtrum iudicium adduximus.

pro MILONE cap. XII. num. 33. p. 1247. quas ille leges, *ſi modo leges nominandae ſunt, ac non potius faces urbis ac peſtes rei publicae.*

pro

pro *lege manilia* cap. III. n. 8. p. 530. etenim adhuc ita ueſtri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab *illo inſignia uictoriae, non uictoriam*, reportarint.

de *officiis* lib. I. c. XIX. n. 63. p. 825. ſcientia, quae eſt remota a iuſtitia, *calliditas potius, quam ſapientia*, eſt adpellanda.

§. XXIV.

NEQVE uero reticenda figura eſt, quam X. ἀντίθητον nominant rhetores. conſiſtit (1) haec in eo, quum contraria contrariis opponuntur (2), ut rebus maior lux accendatur. quae figura quum in uerbis tum in ſententiis locum habet (3).

(1) *auctor* ad HERENNIVM *lib.* IV. *p.* 214. *contentionem* uocauit et *p.* 188. *contrarium.* quoniam ex rebus diuerſis duabus alteram breuiter et facile confirmat, hoc pacto: *nam qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum, quomodo alienis rebus amicum fore*, ſperes?

(2) ita definit *auctor* ad HERENN. *p.* 214. adde QVINCTILIANVM *lib.* IX. cap. III. *p.* 527. item CICERON. in *oratore p.* 696. ubi ad exemplum MILONIANAE *orationis ipſe* prouocat: eſt enim, iudices, haec non *ſcripta*, ſed *nata lex*, *quam* non *didicimus*, *uerum ex natura ipſa adripuimus*, *hauſimus*, *expresſimus*; ad *quam non docti*, *ſed facti*; *non inſtituti*, *ſed imbuti ſumus*. ita etiam pro *lege manilia* cap. X. 28.

p. 537. qui *ſaepius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertauit*; plura bella *gesſit*, quam ceteri *legerunt*; plures prouincias *confecit*, quam alii *concupiuerunt*; cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis *praeceptis*, ſed ſuis *imperiis*; non *offenſionibus* belli, ſed *uictoriis*; non *ſtipendiis*, ſed *triumphis* eſt traducta. item pro ARCHIA cap. IV. n. 8. p. 875. adeſt uir ſumma auctoritate et religione et fide, LVCVLLVS, qui ſe non *opinari*, ſed *ſcire*; non audiuiſſe ſed *uidiſſe*; non *interfuiſſe*, ſed *egiſſe*, dicit.

(3) digna ſunt uerba *auctoris* ad HERENNIVM, quae heic legantur. ita uero *lib.* IV. *p.* 214. contentio eſt, *inquit*, per quam contraria referuntur. ea eſt in *uerborum exornationibus*, ut ante docuimus, eius modi: *inimicis te placabilem, amicis inexorabilem* praebes. in *ſententiarum* huius modi: uos *huius incommodis lugetis, iſte rei publ. calamitate laetatur. uos ueſtris fortunis diffiditis: iſte ſolus ſuis eo magis confidit.* inter haec duo contentionum genera hoc intereſt. illud ex uerbis celeriter relatis conſtat: heic ſententiae contrariae ex comparatione referantur, oportet.

§. XXV.

XI. ἀντιμετάθεσις ſeu *commutatio* eſt (1), quum duae ſententiae inter ſe diſcrepantes ex transiectione ita efferuntur, ut a priore poſterior, contraria priori, proficiſcatur (2).

(1)

(1) uid. *auctor* ad *HERENNIVM lib.* IV. *p.* 198. *QVINCTILIANVS lib.* IX. *cap.* III. *p.* 715. *ſeqq.* qui hoc genus ad *ἐπανοδον* refert.

(2) eius modi ſunt: *eſſe oportet*, ut *uiuas*; non *uiuere*, ut *edas*.

item: ea re *poëmata* non *facio*, *quia*, *cuius modi* uolo, non poſſum; *cuius modi poſſum*, *nolo*.

item: *quae de illo dicuntur*, *dici non poſſunt*; *quae dici poſſunt*, *non dicuntur*.

item: ſi *poëma loquens pictura eſt*: *pictura tacitum poëma eſſe debet*.

item: *quia ſtultus es*, *ea re taces*: *non tamen*, *quia taces*, *ea re ſtultus es*.

iſta dedit exempla *auctor* ad *HERENN. p.* 99. qui et haec non male ſubiecit: *non poteſt dici*, *quin commode fiat*, *quum contrariae ſententiae translatione uerba quoque conuertantur. plura ſubiecimus exempla*, *ut*, *quoniam difficile eſt hoc genus exornationis inuentu*, *dilucidum eſſet*, *ut*, *quum bene eſſet intellectum*, *facilius in dicendo inueniretur.* idem obſeruamus in CICERONE quoque. nam de *officiis lib.* I. *cap.* XXXIX. *n.* 139. *p.* 850. non *domo dominus*, ſed *domino domus* honeſtanda eſt. pro *QVINCTIO cap.* III. *mors honeſta* ſaepe *uitam* quoque *turpem* exornat: *uita turpis* ne *morti* quidem *honeſtae* locum relinquit.

§. XXVI.

OMISISSEM fere *ὀξύμωρον* (1), quod eſt ſententia, prima facie inepta, quae uero, ſi rectius cogitetur, aculeos prodit:

dit: ſitque, quum de una re efferuntur contraria. haec niſi abundet nimis, mire (2) exornat orationem, et legentium animos demulcet.

(1) graeci, cum primis EVRIPIDES, eleganter uſi ſunt *ὀξυμώροις*. ita hic in HECVBA uerſ. 195. *δυσφήμους φάμας* uerſ. 948. *γάμους οὐ γάμους*. HIPPOLYT. 1144. *πότμον ἄποτμον*. HECVBA u. 612. *νύμφην ἄνυμφον*. in *ſupplic.* u. 32. *δέσμον ἄδεσμον*, in *phoeniſſis* u. 1054. *γάμους δυσγάμους* habet.

(2) CIC. eleganter hac forma utitur pro *lege manilia* cap. III. n. 8. p. 530. triumphauit L. SYLLA, triumphauit L. MVRAENA de MITHRIDATE, duo fortiſſimi uiri, et ſummi imperatores; ſed ita *triumpharunt*, *ut ille pulſus ſuperatusque regnaret*.

pro MILONE cap. XXVI. n. 70. p. 1260. quo uno uerſiculo *ſatis armati* ſemper conſules fuerunt, etiam *nullis armis datis*.

item cap. XXXV. n. 97. p. 1270. eſſe hanc unam, quae breuitatem uitae poſteritatis memoria conſolaretur, quae efficeret, ut *abſentes adeſſemus*, *mortui uiueremus*.

§. XXVII.

HAEC de ſchematum ornatu. non parum etiam ornant ſermonem *antiquorum formulae ſolemnes*, quibus uel in ſacris, uel profanis, prae aliis utebantur. iſtae nimirum ſi pari prudentia in eodem

loco

loco et re adhibeantur cum cautione, uix dici poteſt, quam inſigniter deceant orationem. abſit tamen omnis inſulſa uerborum adfectatio, et uſus nimium frequentatus. praeter BARNABAM BRISSONIVM relatu dignus eſt HEINECCIVS, celeberrimus halenſium iuris conſultus, cuius *antiquitates romanae, quae ad inluſtrandum ius ciuile faciunt*, formulas eiusmodi hinc inde concinne pertractant. his adde BOHVSLAVM BALBINVM *quaeſit. orator.* qu. XVII.

§. XXVIII.

EXEMPLA id genus formularum ſunt *I, licet, actum eſt: quisquis es, noſter eris: digna res, propter quam uadimonium deſeras: aurem alicui uellere: omne punctum ferre: nec tu aram tibi, nec deprecatorem pararis: cenſor uitio creatus: faſces ſubmittere: ſcriptores proletarii: capite cenſi: diuidere ſententiam* (*).

(*) uideatur HEINECCIVS in *fundamentis ſtili parte* I. *cap.* I. §. 33. *p.* 80. quibus adde, *intercedere.* CICERO ad *diuerſ. lib.* I. *ep.* I. *ſeceſſionem facere.* CAESAR de *bello ciuili lib.* I. *c.* XX. *manibus pedibusque in ſententiam alicuius ire*, CICERO ad *diuerſ. lib.* I. *ep.* I. *rogare conſules*, id eſt *creare*, LIVIVS *lib.* XXXVIII. *cap.* XLII.

re-

§. XIX.

VIDEAMVS quoque, quem V. *ἀντανακλάσις* aut *eiusdem uerbi contraria ſignificatio* (1) ornatum ſermoni adferat. haec ſi ſobrie inſeratur, ut innata, quam arceſſita, magis eſſe uideatur, non leuiter adficit ſenſus, ornatque dictionem: quoniam diuerſa uocis ſignificatione adtentum reddit auditorem et ingenium excitat. dedit exempla auctor ad HERENNIVM ſequentia (2): cur eam rem tam ſtudioſe *curas?* quae multas tibi dabit *curas:* item *amari* iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit *amari:* item *ueniam* ad uos, ſi mihi ſenatus det *ueniam.*

(1) ita exponit QVINCTILIANVS *lib.* IX. *cap.* III. *p.* 525. cuius et illud exemplum eſt, productum a VOSSIO *inſtit. orat. lib.* V. *cap.* II. *p.* 253. quum PROCVLEIVS quereretur de filio, quod is mortem ſuam exſpectaret, et ille dixiſſet, ſe uero non exſpectare: immo inquit, rogo, exſpectes. addatur PLAVTVS in EPIDIC. V. 1. 13. ego te *ſeruabo.* EPIDIC. aedepol me illi *melius*, ſi nacti fuant.

(2) *lib.* IV. *p.* 185. qui hoc genus exercitationis dicit, quum *idem uerbum modo ponitur in hac, modo in altera re.*

§. XX.

NON minoris momenti eſt VI. *ἐπανόρθωσις*, quam *correctionem* uocat *auctor* ad HERENNIVM (1). ea enim, uel uoces, uel ſententiam (2) prolatam, ita reuocamus, ut per illam correctionem audientium animi ſuauiter demulceantur (3).

(1) *lib.* IV. *p.* 196. *correctio* eſt, quae tollit id, quod dictum eſt, et pro eo id, quod magis idoneum uidetur, reponit, hoc pacto: quodſi iſte ſuos hoſpites rogaſſet, *imo ſi innuiſſet modo:* hoc facile perfici poſſet.

(2) ita CICERO pro MIL. c. XXVIII. 3. *p.* 105. *edit.* HEVMAN. a ueſtris *tectis, ueſtris pecuniis*, ueſtra tecta, ueſtras pecunias dico? *a liberis medius et coniugibus ueſtris numquam ille effrenatas ſuas libidines cobibuiſſet.*
item c. XXIV. *n.* 64. *p.* 1258. ed. ERNEST. quid? quae poſtea in eum ſunt coniecta, ut *ſuſtinuit? immo uero ut contemſit*, et pro nihilo putauit? *catilinar. cap.* I. *num.* 2. *p.* 706. hic tamen *uiuit. uiuit?* immo uero etiam in ſenatum uenit, fit publici conſilii particeps, notat et deſignat oculis ad caedem unumquemque noſtrum.

(3) *auctor* ad HERENNIVM *loc. cit. p.* 196. *commouetur hoc genere animus auditoris. res enim, communi uerbo elata, tantum modo dicta uidetur, ea, poſt ipſius oratoris correctionem, magis idonea fit* pronuntiatione.

§. XXI.

MIRE ſermonem ornat VII. περίφρασις, qua rem (1) multis uerbis ambimus, ut uariae illius adtributiones pateant eo clarius, et ob oculos ſiſtantur (2). circuitionem dicit *auctor* ad HERENNIVM (3).

(1) audi FABIVM *lib.* VIII. *cap.* VI. *p.* 476. pluribus autem uerbis, quum id, quod uno, aut paucioribus certe, dici poteſt, explicatur, περίφρασιν uocant circuitum loquendi, qui non numquam neceſſitatem habet, quoties dictu ſe deformia operit, ut SALLVSTIVS: ad requiſita naturae. interim ornatum petit ſolum, qui eſt apud poëtas frequentiſſimus et apud oratores non rarus, ſemper tamen adſtrictior. quidquid enim ſignificari breuius poteſt, et cum ornatu latius oſtenditur, περίφρασις eſt, cui nomen latine dictum eſt, non ſane orationis uirtuti aptum, *circumloquutio.* uerum haec, ut quum decorem habet, periphraſis, ita quum in uitium cadit, περισσολογία dicitur.

(2) ſic MILONIS factum CICER. *cap.* X. *num.* 28. *p.* 1245. copioſe deſcripſit, ut geri, non legi, uideatur. ſic HORATIVS de *arte poëtica uerſus* 158. *ſeqq.* uarias hominum aetates illarumque mores elegantiſſime depinxit. ſic etiam NEPOS prudentiam THEMISTOCLIS deſcripturus, his uerbis utitur: *celeriter, quae opus erant, reperiebat, neque minus in rebus gerendis promtus, quam excogitandis erat, quod*

et

et de inſtantibus, ut ait THVCIDIDES, *uerisſime iudicabat, et de futuris callidisſime coniiciebat*, *in uita* THEMISTOCL. *cap.* I. *p.* 37; edit. LVGD. MDCLXXV. 8.

(3) *lib.* IV. *p.* 202. aliter deſcribit auctor. *circuitio eſt*, inquit, *oratio, rem ſimplicem adſumtam, circumſcribens eloquutione*, hoc pacto: *SCIPIONIS prouidentia CARTHAGINIS opes fregit. nam hic niſi ornandi ratio quaedam eſſet habita, SCIPIO potuit, et CARTHAGO ſimpliciter adpellari.* eleganter quoque hoc argumentum pertractat DIONYSIVS LONGINVS περὶ ὕψȣς *ſect.* XXVIII. *p.* 160. edit. VERON. MDCCXXXIII. in 4. qui et *ſectione* XXIX. *p.* 166. *abuſum huius figurae* κȣφόν τι καὶ παχὺ redolere, recte docet.

§. XXII.

AD iſtum, quem quaerimus, ornatum pulchre facit VIII. *imago* (1), graecis εἰκὼν dicta. indicatur hac uoce conlatio quaedam rerum a ſe diuerſarum imperfecta, quae iuſta προτάσει et ἀποδόσει non terminatur (2). ſigna iſtius ſunt particulae, *quaſi*, *ueluti*, *tamquam*, *inſtar*.

(1) dolendum maxime eſt, praeceptiones, quas LONGINVS dedit ſectione XXXVII. eſſe deperditas: egregia tamen ſunt, quae habet ARISTOTELES *rhetoricorum lib.* III. *cap.* II.

(2) CICERO pro MARCELLO *cap.* I. *num.* 2. *p.* 1290. ad bene ſperandum de omni re publica *quaſi* ſignum aliquod ſuſtuliſti.

SALLVSTIVS *de bello catilinari, cap.* X. *p. m.* 43. poſt ubi contagio, *quaſi* peſtilentia, inuaſit, ciuitas immutata, imperiumque ex iuſtiſſimo atque optimo, crudele intolerandumque factum.

NEPOS in uita HANNIBALIS *cap.* I. p. 321. hic autem, *uelut* hereditate relictum, odium paternum erga romanos ſic confirmauit, ut prius animum, quam id, depoſuerit.

CICERO pro QVINCTIO *cap.* II. *n.* 8. *p.* 4. et ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, falſum crimen, *quaſi* uenenatum aliquod telum, iecerint: medicinae faciendae locus non erit.

§. XXIII.

AD ornatam dicendi formam pertinet IX. παραδιαστολὴ, qua, quae (1) confundi ſolent, atque uim habere eamdem uidentur, ſolemus disiungere (2).

(1) *definitionem* nominat hanc figuram *auctor* ad HERENNIVM lib. IV. p. 195. *diſtinctionem* autem, et forte rectius, QVINCTILIANVS *inſtit. orat. lib.* IX. cap. III.

(2) ſic CICERO *actione* III. *in VERREM*: non enim furem, ſed ereptorem, non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiae, non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque in ueſtrum iudicium adduximus.

pro MILONE cap. XII. num. 33. p. 1247. quas ille leges, *ſi modo leges nominandae ſunt, ac non potius faces urbis ac peſtes rei publicae.*

pro

pro *lege manilia* cap. III. n. 8. p. 530. etenim adhuc ita ueſtri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab *illo inſignia uictoriae, non uictoriam*, reportarint.

de *officiis* lib. I. c. XIX. n. 63. p. 825. ſcientia, quae eſt remota a iuſtitia, *calliditas potius, quam ſapientia*, eſt adpellanda.

§. XXIV.

NEQVE uero reticenda figura eſt, quam X. ἀντίθητον nominant rhetores. conſiſtit (1) haec in eo, quum contraria contrariis opponuntur (2), ut rebus maior lux accendatur. quae figura quum in uerbis tum in ſententiis locum habet (3).

(1) *auctor* ad HERENNIVM *lib.* IV. *p.* 214. *contentionem* uocauit et *p.* 188. *contrarium.* quoniam ex rebus diuerſis duabus alteram breuiter et facile confirmat, hoc pacto: *nam qui ſuis rationibus inimicus fuerit ſemper, eum, quomodo alienis rebus amicum fore*, ſperes?

(2) ita definit *auctor* ad HERENN. *p.* 214. adde QVINCTILIANVM *lib.* IX. cap. III. *p.* 527. item CICERON. in *oratore p.* 696. ubi ad exemplum MILONIANAE *orationis ipſe* prouocat: eſt enim, iudices, haec non *ſcripta*, ſed *nata lex*, *quam* non *didicimus*, *uerum ex natura ipſa adripuimus, hauſimus, expresſimus*; ad *quam non docti*, *ſed facti*; *non inſtituti, ſed imbuti ſumus*. ita etiam pro *lege manilia* cap. X. 28.

p. 537. qui *ſaepius cum hoſte conflixit, quam quisquam cum inimico concertauit*; plura bella *gesſit*, quam ceteri *legerunt*; plures prouincias *confecit*, quam alii *concupiuerunt*; cuius adoleſcentia ad ſciëntiam rei militaris non alienis *praeceptis*, ſed ſuis *imperiis*; non *offenſionibus* belli, ſed *uictoriis*; non *ſtipendiis*, ſed *triumphis* eſt traducta. item pro ARCHIA cap. IV. n. 8. p. 875. adeſt uir ſumma auctoritate et religione et fide, LVCVLLVS, qui ſe non *opinari*, ſed *ſcire*; non *audiuiſſe* ſed *uidiſſe*; non *interfuisſe*, ſed *egiſſe*, dicit.

(3) digna ſunt uerba *auctoris* ad HERENNIVM, quae heic legantur. ita uero *lib.* IV. *p.* 214. contentio eſt, *inquit*, per quam contraria referuntur. ea eſt in *uerborum exornationibus*, ut ante docuimus, eius modi: *inimicis te placabilem, amicis inexorabilem* praebes. in *ſententiarum* huius modi: uos *huius incommodis lugetis, iſte rei publ. calamitate laetatur. uos ueſtris fortunis diffiditis: iſte ſolus ſuis eo magis confidit.* inter haec duo contentionum genera hoc intereſt. illud ex uerbis celeriter relatis conſtat: heic ſententiae contrariae ex comparatione referantur, oportet.

§. XXV.

XI. ἀντιμετάθεσις ſeu *commutatio* eſt (1), quum duae ſententiae inter ſe diſcrepantes ex transiectione ita efferuntur, ut a priore poſterior, contraria priori, proficiſcatur (2).

(1)

(1) uid. *auctor* ad *HERENNIVM lib.* IV. *p.* 198. *QVINCTILIANVS lib.* IX. *cap.* III. *p.* 715. *ſeqq.* qui hoc genus ad *ἐπάνοδον* refert.

(2) eius modi ſunt : *eſſe oportet*, ut *uiuas*; non *uiuere*, ut *edas*.

item : ea re *poëmata* non *facio*, *quia*, *cuius modi* uolo, non poſſum; *cuius modi poſſum*, *nolo*.

item : *quae de illo dicuntur*, *dici non poſſunt*; *quae dici poſſunt*, *non dicuntur*.

item : ſi *poëma loquens pictura eſt : pictura tacitum poëma eſſe debet*.

item : *quia ſtultus es*, *ea re taces : non tamen*, *quia taces*, *ea re ſtultus es*.

iſta dedit exempla *auctor* ad *HERENN. p.* 99. qui et haec non male ſubiecit : *non poteſt dici*, *quin commode fiat*, *quum contrariae ſententiae translatione uerba quoque conuertantur. plura ſubiecimus exempla*, *ut*, *quoniam difficile eſt hoc genus exornationis inuentu*, *dilucidum eſſet*, *ut*, *quum bene eſſet intellectum*, *facilius in dicendo inue..retur*. idem obſeruamus in CICERONE quoque. nam de *officiis lib.* I. *cap.* XXXIX. *n.* 139. *p.* 850. non *domo dominus*, ſed *domino domus* honeſtanda eſt. pro *QVINCTIO cap.* III. *mors honeſta* ſaepe *uitam* quoque *turpem* exornat : *uita turpis* ne *morti* quidem *honeſtae* locum relinquit.

§. XXVI.

OMISISSEM fere ὀξύμωρον (1), quod eſt ſententia, prima facie inepta, quae uero, ſi rectius cogitetur, aculeos prodit :

dit: ſitque, quum de una re efferuntur contraria. haec niſi abundet nimis, mire (2) exornat orationem, et legentium animos demulcet.

(1) graeci, cum primis EVRIPIDES, eleganter uſi ſunt ὀξυμώροις. ita hic in HECVBA uerſ. 195. δυσφήμους φάμας uerſ. 948. γάμους οὐ γάμους. HIPPOLYT. 1144. πότμον ἄποτμον. HECVBA u. 612. νύμφην ἄνυμφον. in *ſupplic.* u. 32. δέσμον ἄδεσμον, in *phoeniſſis* u. 1054. γάμους δυσγάμους habet.

(2) CIC. eleganter hac forma utitur pro *lege manilia* cap. III. n. 8. p. 530. triumphauit L. SYLLA, triumphauit L. MVRAENA de MITHRIDATE, duo fortiſſimi uiri, et ſummi imperatores; ſed ita *triumpharunt*, *ut ille pulſus ſuperatusque regnaret*.

pro MILONE cap. XXVI. n. 70. p. 1260. quo uno uerſiculo *ſatis armati* ſemper conſules fuerunt, etiam *nullis armis datis*.

item cap. XXXV. n. 97. p. 1270. eſſe hanc unam, quae breuitatem uitae poſteritatis memoria conſolaretur, quae efficeret, ut *abſentes adeſſemus*, *mortui uiueremus*.

§. XXVII.

HAEC de ſchematum ornatu. non parum etiam ornant ſermonem *antiquorum formulae ſolemnes*, quibus uel in ſacris, uel profanis, prae aliis utebantur. iſtae nimirum ſi pari prudentia in eodem loco

loco et re adhibeantur cum cautione, uix dici poteſt, quam inſigniter deceant orationem. abſit tamen omnis inſulſa uerborum adfectatio, et uſus nimium frequentatus. praeter BARNABAM BRISSONIVM relatu dignus eſt HEINECCIVS, celeberrimus halenſium iuris conſultus, cuius *antiquitates romanae, quae ad inluſtrandum ius ciuile faciunt*, formulas eiusmodi hinc inde concinne pertractant. his adde BOHVSLAVM BALBINVM *quaeſit. orator.* qu. XVII.

§. XXVIII.

EXEMPLA id genus formularum ſunt *I, licet, actum eſt: quisquis es, noſter eris: digna res, propter quam uadimonium deferas: aurem alicui uellere: omne punctum ferre: nec tu aram tibi, nec deprecatorem pararis: cenſor uitio creatus: faſces ſubmittere: ſcriptores proletarii: capite cenſi: diuidere ſententiam* (*).

(*) uideatur HEINECCIVS in *fundamentis ſtili parte* I. *cap.* 1. §. 33. *p.* 80. quibus adde, *intercedere.* CICERO ad *diuerſ. lib.* I. *ep.* 1. *ſeceſſionem facere.* CAESAR de *bello ciuili lib.* I. *c.* XX. *manibus pedibusque in ſententiam alicuius ire.* CICERO ad *diuerſ. lib.* I. *ep.* 1. *rogare conſules*, id eſt *creare.* LIVIVS *lib.* XXXVIII. *cap.* XLII.

re-

repetundarum adcuſari. CIC. pro CLVENTIO *cap.* XXXIII. *ambula in ius.* TERENT. *phorm. act* V. *ſcen.* I. *u.* 43. *licet anteſtari.* PLAVTVS CVRCVL. *act.* V. *ſcen.* II. *u.* 23 *ex fide bona.* CICERO *offic.* III. VI. VALERIVS MAXIMVS *lib.* VIII. *cap.* II. *manus iniicere.* OVID. *amorum lib.* I. eleg. 4.

§. XXIX.

NON minorem ornatum dictioni noſtrae conciliant prouerbia, quae quum aromatum loco in linguis habeantur, non poſſunt non placere, et auribus excitare delectamentum. ſunt ea reliquiae ſapientiae ueterum et *παλαιᾶς φιλοσοφίας ἐν ταῖς μεγίσταις ἀνθρώπων φθοραῖς ἀπολομένης ἐγκαταλείμματα* (1) quae proinde delectant eo magis, quo antiqua plus ſolemus mirari omnes. auctores, qui huc ſpectant, ſunt ERASMVS ROTERODAMVS, (2) IOAN. SARTORIVS (3) et GEORGIVS SEYBOLDVS (4). abuſum notauit FOXIVS (5).

(1) SYNESIVS teſte HEINECCIO p. 81.

(2) magnum opus graecarum pariter ac latinarum paroemiarum conſcripſit eruditus ERASMVS quod BASILEAE MDXIII. MDXX. et MDXXX. prodiit, ſed minus adcurate uerſatus in hoc negotio. ad numerum augendum, quam ſelectum inſtituendum, magis aduertit animum. hinc multi linguarum idiotisſmi, multae ſenten-

ten-

tentiae paullum acutius finientes, et alia, quae nemo ibi quaeſierit, inrepſerunt. habemus tamen compendium huius operis, quod ſaepe praeſtantius eſt ipſo opere. exiit in lucem in aliis COLON. MDLXXII. 8. AMSTEL. MDCXLIX. 12.

(3) eius *adagiorum chiliades tres, ſiue ſententiae prouerbiales*, *graecae latinae* et *belgicae ex praecipuis auctoribus conlectae* ac breuibus notis inluſtratae ex *recenſione* CORNELII SCHREVELII lucem uiderunt LVGD. BATAV. MDCLVI. 8. et ſane dignum opus eſt, quod ſtudioſe perlegatur, quum breui, ſed perſpicua ſingulae paroemiae inluſtrentur expoſitione.

(4) eius *adagia ſelectiora in gratiam et uſum ſcholaſticae iuuentutis* prodierunt NORIMBERG. MDCLXIX. 12. ſelectum, quem crepat libellus, facile deſideres, et translatio uernacula ſaepe ridicula eſt.

(5) SEBASTIANVS FOXIVS de *imitatione ſeu* de *informandi ſtili ratione*, qui libellus ANTVERP. MDLIV. 8. exiit, p. 65. haec habet: praeterea quacumque occaſione, quem uis in locum, quamcumque ad rem adagiola effundere, puerile prorſus eſt, atque in graui ſermone indecorum. legant, qui haec adeo libenter adferunt, CICERONEM, legant CAESAREM et QVINCTILIANVM, legant alios bonos auctores, hos quidem ipſi perraro prouerbiis uti perſpicient, nimirum, *quia*, *ut prouerbia orationi multum leporis addunt*, *ſi rara ſint*, *et ueluti lumina ſuis locis conlocata: ita*, ſi *crebra*, eam eneruant, et deprimunt.

§.

§. XXX.

OB cognationem etiam huc referuntur γνῶμαι, ſiue *ſententiae acutiores*, quae ſi iuſto ſint loco redditae, nec ſumtae ex triuio, dici non poteſt, quantum ornent orationem. qui nimium luxuriat, adfectationis odium non euitabit, quiue uulgaria profert, ultra uulgus ſapere (*) haud creditur.

(*) qui omne punctum ferre cupit, is et heic utile dulci miſceat, et, quod animos poſſit mouere, acute proferat. itaque in hunc etiam finem legendi ſunt ueteres, ut, ſi quae habent acute dicta et ultra plebem ſapientia, notemus, ſuisque reſeruata locis cum amoenitate interſeramus.

PARTIS I.

CAP. IV.

SECTIO III.

DE ORNATV RHETORICO, EX PERIODIS ORIVNDO.

ORDO DICENDORVM.

oratio alia eſt fuſa, alia uerſa. periodi ſunt ornatus cauſſa inuentae, auctores, qui de periodis praeceperunt, §. I. uaria periodorum genera penes latinos §. II. quid ſit periodus apud CICE.

CERONEM et ARISTOTELEM. comparantur hi inter ſe §. III.

adtributa periodorum, 1. in omni periodo requiritur ambitus §. IV.

2. periodus non dicitur, niſi tum demum plene intelligatur, quum ad finem perducta eſt. §. V.

periodorum duo ſunt genera. aliae ſimplices; compoſitae aliae. §. VI.

in compoſita quid conſiderandum? partes illius ſunt duae. πρότασις et ἀπόδοσις §. VII.

requiruntur praeterea uincula periodorum et nodi §. VIII.

compoſitae ſunt δίκωλοι, τρίκωλοι et τετράκωλοι §. IX.

δίκωλοι. earum ſpecies exemplis inluſtratae §. X.

τρίκωλοι. quaenam illarum partes. exempla produccuntur. §. XI.

perfectisſimum genus eſt τετράκωλον. quomodo conſtruatur? §. XII.

proponitur alia eius forma elegans, qua ſyllogismus oratorius continetur. §. XIII.

alia eius forma, quae ad comparationes eleganter adhibetur §. XIV.

forma alia, quae oppoſitorum rationem continet §. XV.

aliae τετρακώλων ſpecies §. XVI. XVII.

ἐπισύναψις periodorum §. XVIII.

quae ultra quatuor adſcendunt membra, uel ſunt περιοδικὰ uel πνεύματα, uel τάσεις §. XIX.

quid περιοδικὸν? exemplis docetur § XX.

πνεῦμα definitur et declaratur exemplis §. XXI.

τάσις exponitur, et inluſtri quodam CICERONIS exemplo docetur §. XXII.

alia periodorum diuiſio ex particularum nominibus deſumta §. XXIII.

periodi *cauſſales* quae ſint? quomodo conſtruantur. connectendi particulae §. XXIV.

periodi *comparatiuae*. quid ad comparationes requiratur? quibus nodis hae conſtringantur conuerſiones §. XXV.

periodi *conditionales*, earum ratio et poſitus. quaenam uincula adhibenda § XXVI.

periodi *conceſſiuae*. ſigna illius. conſtruendi ratio. ordo propoſitionum § XXVII.

periodi *copulatiuae* quomodo efficiantur? § XXVIII.

periodi *disiunctiuae*. con-

 ſtru-

ſtruendi illas ratio. particulae diiungendi §. XXIX. non ſemper utendum periodis, ſed membra ſaepe, atque inciſa inſerenda oratione §. XXX.

§. I.

SVMMVM, quod in ſermone noſtro memorari meretur, ornamentum conſiſtit in *oratione uerſa.* uti enim in rebus omnibus nihil magis exoſum eſt, quam ſi ſemper recurrat idem: ſic etiam *fuſo* ſermoni niſi immiſceatur *uerſus;* aut ea, quae inciſim et membratim dicuntur, interpellentur comprehenſione certa, aut *periodis:* languida redduntur omnia. quod ad praecepta, quibus conſtruitur periodus, adtinet, ea iam copioſe a multis prolata (1) ſunt, et a me breuius tractata in ſchedulis, quas *de periodis uernacula* (2) *lingua* conſcripſi. non poſſum tamen, quin praecipua huc transferam, ne deſiderari quid in me patiar, quod iure a me poterat poſtulari.

(1) auctores, qui de *periodis conſcribendis* ſingulatim praeceperunt, uide apud HALLBAVER. *inſtit. ſtili p.* 475. quibus adde CASP. DORNAVII *libellum methodicum de periodis*, adiunctum plerumque *KIRCHMANNI rhetoricae*, in qua ipſa etiam *lib.* III. *c.* III. haec doctrina ſatis plene traditur. ſpectat huc etiam *ARISTOTELES lib.* III. *c.* XIX. *fol.* 230 *ſeqq. edit.* VENET. MDXCI.

MDXCI. in folio. cum comment. *MAIORAGII. IOA. FORTIVS de periodis* BAS. MDXXXXI. 8. *GEORG. TRAPEZVNTIVS rhetorices lib.* V. *p.* 505. PARIS. MDXXXII. 8. lege etiam *TYMPLERI ſyſtema rhetoricum lib.* III. *c.* X. HANNOV. MDCXII. 8. *QVINCTILIANVM lib.* X. *cap.* IV. *p.* 555. *DRESSERVM rhetorices lib.* III. *p.* 707. *VERNVLAEVM* de *eloquentia lib.* III. *c.* V. IENAE MDCXXXI. 12. BERSMANNVN *erotemat. rhetor. lib.* IV. *p.* 271. *ſeqq.* LIPS. MDCI. 8. *NICOLAI SVSII limam ciceronianam c.* XVI. *p.* 521. IENAE MDCXXXI. 12.

(2) prodierunt LVBECAE MDCCXXX. in 8. et iterum auctiores MDCCXLV. 8.

§. II.

περίοδος (1) haec, quae graece dicitur, uariis apud latinos exornatur nominibus. plurimi retinent ipſum *periodi* uocabulum, CICERO tamen, qui diuitias linguae patriae nouerat, modo *circuitum*, modo *ambitum*, modo *comprehenſionem*, *circumſcriptionem* et *continuationem* dixit (2).

(1) ita nominatur ARISTOTELI et HERMOGENI, ut metaphora ex palaeſtra deducta ſit. uid. *comment. MAIORAGII ad ARISTOTELIS rhetoricam c.* XX. *fol.* 231.

(2) coniunctim haec nomina produxit in *oratore p.* 707. 708. in quo quaeſitum eſt, *inquit*, in totone *circuitu* illo, quem graeci περίοδον, nos tum *comprehenſionem*, aut *continua-*

tionem, aut *circumſcriptionem* dicimus. *cet.* ade *FABIVM inſtit. oratoriarum lib.* IX. *c.* IV. *p.* 555.

§. III.

DEFINIT autem ARISTOTELES hanc periodum, quod ſit λέξις ἔχουσα ἀρχὴν, καὶ τελευτὴν καθ' ἑαυτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον (1). CICERO paullo aliter, dicit enim *in orbe incluſam orationem, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis abſolutisque ſententiis* (2). quae, tantum abeſt, ut inter ſe pugnent, ut conſpirent etiam amiciſsime.

(1) *rhetoric. cap.* XX. *fol.* 231. uidetur hic ARISTOTELES non nullis compoſitam tantum periodum definire, quum τῆς ἀρχῆς καὶ τελευτῆς καθ' ἑαυτὴν, id eſt: προτάσεως et ἀποδόσεως mentionem iniiciat, et ſimplices quaſi ad εἰρομένην λέξιν reiicere: ſed uidetur tantum. uidebimus enim infra §. VI. ARISTOTELEM diuidere periodos, in *ſimplices* et *compoſitas*, fieri ergo non poteſt: quin hic generalem dederit definitionem; niſi boni ordinis, cuius tam ſtudioſus eſt, regulas migraſſe dicendus ſit. neque eſt, quod per ἀρχὴν καὶ τελευτὴν tantum πρότασιν et ἀπόδοσιν intelligamus, quum in periodo ſimplici ἀρχὴ *ſubiectum* et τελευτὴ *praedicatum* queat ſignificare.

(2) conferatur CICERO in *oratore p.* 708.

§.

§. IV.

SPONTE hinc ſua fluunt quaedam conuerſionum harum adtributiones; quarum prima haec eſt: *omni circumſcriptioni ineſſe debere quemdam ambitum, qui eam diſtinguat a propoſitione logica, quae ſundamentum eſt omnis periodi.* conſiſtit autem ambitus ille in adiecta quadam uel *ſubiecti* uel *praedicati* expoſitione (*).

(*) inde nimirum exoritur μέγεθος ἐυσύνοπτον. qui dicit: *M. FABIO familiariſſime utor:* nudam profert propoſitionem logicam. quando autem addit *FABII declarationem* hoc modo: *MARCO FABIO, uiro optimo et homine doctiſſimo, familiariſſime utor:* ambitum adiecit, atque inde conuerſio iſta confecta eſt. hanc periodum ſic elaborauit CICERO ad *diuerſ. lib.* II. *ep.* IV. in qua *M. FABIVS* eſt *ſubiectum*, ſiue ἀρχή. *familiariſſime utor: praedicatum* ſeu τελευτή. denique *uiro optimo et doctiſſimo* eſt *ambitus*, ſeu μέγεθος ἐυσύνοπτον. ſic CICERO in *oratore p.* 658. hanc habet periodum: *uir autem acerrimo ingenio, ſic enim fuit, multa et in ſe et in aliis deſiderans, neminem plane, qui recte adpellari eloquens poſſet, uidebat.* hic ἀρχή uel *inchoata ſententia* eſt: *uir autem acerrimo ingenio:* expoſitio ſubiecti: *multa et in ſe et in aliis deſiderans:* reditus ad perfectionem ſententiae inchoatae, ſeu τελευτή: *neminem plane, qui recte adpellari eloquens poſſet, uidebat.*

§. V.

ALTERVM, quod fluit ex definitione, id eſt: *non poſſe ſententiam, pluribus concluſam propoſitionibus, conuerſionem dici, niſi tum demum plene intelligatur, quum ad finem perducta eſt.* hoc enim eſt ἀρχὴν καὶ τελευτὴν καθ' ἑαυτὴν habere (*). ſic, quum CICERO *de inuentione lib. I. p. 227. nondum* inquit, *diuinae religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo legitimas uiderat nuptias: non certos quisquam inſpexerat liberos:* non eſt periodus, quando quidem ſingulae ſententiae ante, quam ad finem perducantur reliquae, per ſe poſſunt intelligi. ſi uero dixiſſet: *quum nondum diuinae religionis, non humani officii ratio coleretur: nemo etiam legitimas uidebat nuptias, nec certos quisquam inſpiciebat liberos:* tum iuſtae comprehenſionis, ſecundum diſciplinam ueterum, normam obſeruasſet.

(*) ea enim oratio, quae non ſuo incluſa orbi procurrit, uocatur εἰρημένη et CICERONI dicitur *inciſim*, aut *membratim* profluere. neque uero reiicienda ea eſt; ſed ſaepe potius incidenda uidetur, ne per continuos ambitus langueſcat oratio. *inciſim* trahimus orationem, quando plura coniunguntur *ſubiecta*, aut adtributiones multae cumulantur. ſic *CICERO* in *ora-*

oratore, *p.* 688. *ut iraſcatur etiam*, *ut obiurget aliquando*, *ut deprecetur*, *ut ſupplicet*, *ut medeatur*, *aut a propoſito declinet aliquantulum*, *ut optet*, *ut obſecretur.* item in *BRVTO* *p.* 613. *quid habes*, *quod diſputes? gaudet*, *dolet*, *ridet*, *plorat*, *fauet*, *odit*, *contemnit*, *inuidet*, *ad miſericordiam inducitur*, *ad ſtudendum*, *ad pingendum*, *iraſcitur*, *miratur*, *ſperat*, *timet.* *membratim* uero dicimus, quando ſententiae differendae naturali fluunt ordine, quae licet re ipſa coniungendae ſint, nullum tamen, per nodos orationis, nexum habent. ſic *CIC. lib.* I. de *orat. p.* 380. *legendi ſunt poëtae*, *cognoſcenda hiſtoria*, *omnium bonarum artium ſcriptores ac doctores et legendi*, *et peruoluendi*, *et exercitationis cauſſa laudandi*, *interpretandi*, *corrigendi*, *uituperandi*, *refellendi*, *diſputandumque de omni re in contrarias partes; et quidquid erit*, *in quaqua re*, *quod probabile uideri poſſit*, *eliciendum*, *atque dicendum: perdiſcendum ius ciuile*, *cognoſcendae leges*, *percipienda omnis antiquitas*, *ſenatoria conſuetudo*, *diſciplina rei publicae*, *iura ſociorum*, *federa*, *pactiones*, *cauſſa imperii cognoſcenda eſt: libandus eſt etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos*, *quo*, *tamquam ſale*, *perſpergatur omnis oratio.* qui locus quemad modum inciſa et membra eleganter miſcet, et potius effundit, quam dat uerba: ita quum pluribus, quam quatuor, conſtet membris, πνεῦμα ſolet adpellari.

§. VI.

DVO autem eſſe comprehenſionum

genera, in propatulo eſt. alterum ſimplex (1) quum ſenſus unus longiore ambitu circumducitur; alterum, quod conſtat membris atque inciſis, et plures ſenſus habet, atque adeo *compoſitum* (2) non male dicitur. prius expoſitum iam eſt ſupra, alterius rationem mox dabimus.

(1) uideatur QVINCTILIANVS in *inſtitut. orat. lib.* IX. *c.* IV. *p.* 555. ita quoque docet ARISTOTELES *rhetorices lib.* III. *c.* XXI. *p.* 232. *περίοδος δὲ*, inquit, *ἡ μὲν ἐν κώλοις, ἡ δὲ ἀφελής.* atque mox ſimplicem dicit *μονόκωλον.* ſtructuram huius in ambitu, propoſitioni logicae inmiſcendo, conſiſtere, ſupra iam diximus.

(2) ARISTOTELES plerisque duo tantum compoſitae comprehenſioni membra tribuere uidetur, quum *κῶλον τὸ ἕτερον μόριον τῆς περιόδου* dicat. at enim uero quum ipſemet trium et quatuor partium confecerit continuationes: crediderim, *κῶλον* de magnis iſtis duobus membris *ἀρχῇ, καὶ τελευτῇ* aut *προτάσει* et *ἀποδόσει*, quae in omni requiruntur periodo, eſſe intelligendum, qua in re bene ſe habent omnia.

§. VII.

SIMPLICIS comprehenſionis ratio quum iam reddita ſit ſuperius: ad *compoſitam* iam merito adtendimus. eſt in ea cum primis ad duas partes praecipuas, quibus

bus omnis periodus conſtat compoſita, reſpiciendum; quarum altera πρότασις altera ἀπόδοσις uocatur (*).

(*) ita has partes periodi uocat HERMOGENES de *ratione inueniendi oratoria lib.* IV. *p.* 166. *ſeqq.* editionis STVRMII MDLXX. 8. ARISTOTELI ſunt ἀρχὴ καὶ τελευτή: philoſophis uero *antecedens* et *conſequens*; quae ſingula nodis quibusdam ita ſunt conſtringenda, ut, abſoluta demum uerborum continuatione, ſenſus plene capiatur. ſic CICERO in BRVTO p. 613.

protaſ. *quum multi eſſent oratores in uario genere dicendi:*

apod. *quis umquam ex his excellere iudicatus eſt uulgi iudicio, qui non idem a doctis probaretur.*

item pro S. ROSCIO AMERINO cap. II. p. 36.

prot. *ſi uobis aequa et honeſta poſtulatio uidetur iudices!*

apod. *ego contra breuem poſtulationem adfero, et, quomodo mihi perſuadeo, aliquanto aequiorem.*

§. VIII.

HAE quas diximus, partes ita comparatae ſunt, et comprehenſionibus tam neceſſariae, ut, ſine iſtis, nomen ſuum tueri prorſus nequeant: quibus tamen conſtruendis nemo feliciorem nauabit operam, niſi, qui connectendi parti-

culas, quibus iſta membra, pro rerum uarietate, ſeſe excipiunt, cognitas habet, (*) ſibique reddidit quam familiarisſimas.

(*) grandem quidem laborem is, ſed proficuum tamen, ſuſcipiet, qui, in ipſa ueterum ſedula lectione, hoſce ſibi nodos conlegerit, et ſub certas redactos claſſes memoriae commendauerit. confer celeb. HALLBAVERVM *inſtitut. ſtili* p. 474. ubi quaedam particularum exempla produxit, innumeris uero modis augenda, ut adparebit ex infra dicendis §. XXIV. *ſeqq.*

§. IX.

QVANDO *κώλοις*, ſeu membris conſtant comprehenſiones: aut *duo* aut *tria*, aut *quatuor* denique ad coniungendas eas adhibentur. hinc periodi *δίκωλοι*, *τρίκωλοι* et *τετράκωλοι* (*) fuerunt exortae: quarum conſtructio ita ſuſcipitur, ut in *propoſitione*, et *conſequutione*, uel totidem, uel plura, uel pauciora, conlocentur membra.

(*) duorum membrorum minutisſimas etiam comprehenſiones dixit CICERO in *oratore* p. 713. *extrema*, inquit, *ſequitur comprehenſio*, *ſed ex duobus membris*, *qua non poteſt eſſe breuior.* maximas quatuor membrorum refert *idem*, loco eodem p. 712.

§.

§. X.

AD δίκωλον ergo comprehenſionem quod adtinet, eſt ea complexus duorum membrorum ad unam ſenſus perfectionem iunctus: quorum alterum efficit πρότασιν, alterumque ἀπόδοσιν (1). has cum primis amant graeci, easque magnitudinis cauſſa diſpeſcunt in ἰσοκώλους, (2) quae pari conſtant fere ſyllabarum numero; et ἀνίσους, quae impari. haeque iterum aut ſunt μακρόκωλοι (3), in quibus extrema pars magnitudine ſuperat primam; aut βραχύκωλοι (4) ubi finis minutior eſt principio.

(1) CICERO hanc δίκωλον profert comprehenſionem in *oratore p.* 713.

prot. *et quoniam plura de numeroſa oratione diximus, quam quisquam ante nos:*

apod. *nunc de eius generis utilitate dicemus.*

item in *topicis p.* 737.

προτ. *quum autem quaeritur, quale quid ſit:*

ἀπόδ. *aut ſimpliciter quaeritur, aut comparate.*

(2) CICERO pro ROSCIO cap. XIV. n. 40. p. 45.

προτ. *nam ut illud incredibile eſt, mortem oblatam eſſe patri a filio ſine plurimis, et maximis cauſſis:*

ἀπόδ. *ſic hoc ueri ſimile non eſt, odio fuiſſe parenti filium, ſine cauſſis multis, et magnis, et neceſſariis.*

(3)

(3) lege CICERONIS orationem pro ROSCIO cap. XI. n. 31. p. 43.

πρoτ. *nulla res tanta exſtat, iudices!*

ἀπόδ. *ut poſſit uim mihi maiorem adhibere metus, quam fides.*

(4) CICERO pro ROSCIO cap. XV. n. 42. p. 45.

πρoτ. *quod ERVCIO accidebat in mala nugatoriaque adcuſatione:*

ἀπόδ. *id mihi uſu uenit in cauſſa optima.*

§. XI.

CONVERSIONES τρίκωλοι ſunt, quibus ad conficiendum ſententiae circulum tribus κώλοις, ſeu membris eſt opus: atque ita iunguntur, ut aut πρότασις (1) aut ἀπόδοσις (2) recipiat membra duo. dantur et his, ob ſyllabarum numerum, quo gaudent, uaria nomina. ἰσόπλευρος, a triangulo aequalium laterum, ita nominatur, quod paribus incedit membris (3). ἰσοσκελὴς dicitur a triangulo crurum aequalium, quoniam κῶλα duo ſibi paria; tertium impar habet (4). ἄνισος denique eſt, ubi nulla membra, ſibi aequalia (5), occurrunt.

(1) ad hanc normam plurimas effecit CICERO, in *oratione* pro ROSCIO cap. I. n. 2. p. 35.

ſi quis iſtorum dixiſſet, quos uidetis adeſſe, in quibus ſumma auctoritas eſt, atque amplitudo;

ſi

ſi uerbum de re publica feciſſet, id quod in hac cauſſa fieri, neceſſe eſt:

multo plura dixiſſe, quam dixiſſet, putaretur.

nec non cap. III. eiusdem orationis n. 8. p. 36.

quodſi aut cauſſa criminis, aut facti ſuſcipio, aut quaelibet denique, uel minima res, reperietur, quam ob rem uideantur illi non nihil tamen in deferendo nomine ſequuti;

poſtremo ſi praeter eam praedam, quam dixi, quidquam aliud cauſſae inueneritis:

non recuſamus, quin illorum libidini S. ROSCII uita dedatur.

(2) ita CICERO pro ROSCIO cap. IV. n. 11. p. 37.

te quoque magnopere, M. FANNI, quaeſo:

ut, qualem te iam antea populo romano praebuiſti, quum huic idem quaeſtioni index praeeſſes;

talem te et nobis et populo romano hoc tempore impertias.

item cap. VIII. *eiusdem orat.* n. 22. p. 40.

huc accedit, quod, quamuis ille felix ſit, ſicut eſt: tamen in tanta felicitate nemo poteſt eſſe in magna familia;

qui neminem neque ſeruum, neque libertum, improbum habeat.

(3) ſic iterum CICERO pro ROSCIO c. XVI. n. 46. p. 46.

ſi tibi fortuna non dedit, ut certo patre naſcerere;

ex quo intelligere posſis, qui animus patrius in liberos eſſet:

at natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes.

(4)

(4) exemplum uide in ſaepe iam producta oratione pro ROSCIO cap. XVI. n. 41. p. 45.
ergo illud iam perſpicuum profecto eſt;
ſi neque amens pater, neque perditus filius fuerit:
neque odio cauſſam patri; neque ſceleris filio fuiſſe.

(5) uide denuo CICERONEM pro ROSCIO cap. VIII. n. 21. p. 40.
quum iam proſcriptionis mentio nulla fieret;
et quum etiam, qui ante metuerant, redirent,
atque iam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur:
hominis ſtudioſisſimi nobilitatis manceps fit CHRYSOGONVS.

§. XII.

SED elegantisſima omnium et perfectisſima CICERONI (*) habetur comprehenſio τετράκωλος, quae quatuor membrorum eſt, ita iungendorum inter ſe, ut uel propoſitio, conſequutioni reddatur aequalis; uel etiam propoſitioni adſcribantur membra tria, unum conſequutioni; aut uerſa uice: quibus haud raro ſubiici ſolet quaedam ἐπισύναψις.

(*) conſtat ille ambitus, et plena comprehenſio e quatuor fere partibus, quae membra dicimus, ut et aures impleat, et ne breuior, quam ſatis, ſit, neque longior. quamquam utrumque non numquam, uel potius ſaepe accidit, ut aut citius inſiſtendum ſit, aut

aut longius procedendum, ne breuitas defraudaſſe aures uideatur, neue longitudo obtudiſſe. ſed habeo mediocritatis rationem; nec enim loquor de uerſu, et eſt liberior aliquanto oratio. e quatuor igitur quaſi ἑξαμέτροις uerſuum inſtar quod ſit, conſtat fere plena comprehenſio. his igitur ſingulis uerſibus, quaſi nodi adparent continuationis, quos in ambitu coniungimus. ita CICERO in oratore p. 712.

§. XIII.

CVM primis autem ad aurium comparata iudicium eſt illa comprehenſio, quae propoſitioni aequalem facit conſequutionem. continet ea fere ſyllogiſmum, in quo propoſitioni maiori addenda eſt quaedam ratio (*).

(*) ſit nobis, e. c. quae ſequitur ratiocinatio conuerſione concludenda:

maior. *quicumque deum rectisſime colit, merito habetur ſapientisſimus.*

prob. mai. *quoniam in ſummi boni cognitione et uſu omnis ſapientia conſiſtit.*

minor. *SALOMO deum rectisſime coluit.*

concluſ. *ergo omnium fuit ſapientisſimus.*

ex hiſce rectisſima ratione hanc conficiemus comprehenſionem membrorum quatuor:

ſi, quo magis *ſapientia in ſummi boni cognitione conſiſtit atque uſu*,

eo maiori *ſapientia*, *qui deum rectisſime colit*, *praeditus exiſtimatur*:

du-

dubitari profecto nequit, *SALOMONEM eo maiori iure dici omnium ſapientiſſimum*,

quo magis *in eo uerus diuini numinis cultus eminuit, atque praedicatus eſt.*

adparet ex hac comprehenſione *primum* membrum ſemper occupare *rationem propoſitionis maioris*; alterum habere *maiorem* ipſam; tertio ineſſe *concluſionem*; et quartum membrum *minori* conſecratum eſſe *propoſitioni.*

§. XIV.

DANTVR etiam huius generis comprehenſiones, quae quum in propoſitione, tum in eius conſequutione, conlationes quasdam continent, et eleganti ſimilitudine (*) inluſtrantur.

(*) ſic prorſus CICERO in oratore p. 714.
ut enim athletas, nec multo ſecus gladiatores uidemus, nihil nec uitando facere caute, nec petendo uehementer, in quo non motus hic habeat palaeſtram quandam;

ut, quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad adſpectum etiam ſit uenuſtum:

ſic oratio, nec plagam grauem facit, niſi petitio fuerit apta;

nec ſatis recte declinat impetum, niſi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit.

adde etiam pro *lege manilia* cap. I. *n.* 2. *p.* 529.
nunc, quum et auctoritatis in me tantum ſit, quantum uos honoribus mandandum eſſe, uoluiſtis;

et ad agendum facultatis tantum, quantum homini uigilanti ex forenſi uſu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit adferre: cer-

certe, et ſi quid auctoritatis in me eſt, ea apud uos utar, qui eam mihi dederunt;

et ſi quid etiam dicendo conſequi poſſum, iis oſtendam potiſſimum, qui ei quoque rei fructum ſuo iudicio tribuendum eſſe cenſuerunt.

§. XV.

INTERDVM oppoſita quaedam conferuntur inter ſe ita, ut diſcriminis eius ratio ſimul adiiciatur (*), proponanturque omnia membris itidem quatuor.

(*) eius rei exemplum eſt apud CICERONEM pro A. CAECINA, adductum iam STVRMIO de *periodis* cap. VIII. et HEINECCIO *in fundamentis ſtili p.* 65.

ſi quantum *in agro locisque deſertis audacia poteſt*,

tantum *in foro atque in iudiciis impudentia ualeret:*

non minus *in cauſſa cederet A. CAECINA S. AEBVTII impudentiae*,

quam *in ui facienda eius ceſſit audaciae.*

§. XVI.

SAEPE id genus occurrunt apud CICERONEM comprehenſiones, quae habent in πϱοτάσει membra tria, in ἀποδόσει unum: atque ita, ut in antecedente uel rationem conſequutionis triplicem (1), uel totidem membra conſequenti contraria, contineant (2).

(1) ſic CICER. ad diuerſos *lib. I. epiſt. IV. n. 1. p. 5.*

ad diem XVI. *calend. febr. quum in ſenatu pulcerrime ſtaremus,*

quod iam illam ſententiam BIBVLI de tribus legatis pridie eius diei fregemmus,

unumque eſſet certamen relictum, ſententia VOLCATII:

res ab aduerſariis noſtris extracta eſt uariis calumniis.

(2) CICERO ad *diuerſ.* I. IX. p. 25.

nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes;

neque delendum, etiamſi fieri posſit, ſummorum ciuium principatum;

neque permanendum in una ſententia, conuerſis rebus, ac bonorum uoluntatibus mutatis:

ſed temporibus adſentiendum.

§. XVII.

EA uerborum continuatio, quae propoſito gaudet uno, tribus conſequutionibus, non inelegans eſt, et apud CICERONEM ſaepius inuenienda (*), qua uni cauſſae tria ſubiiciuntur effecta.

(2) CICERO ad *diuerſ.* I. v. 3. p. 6.

nos quum maxime conſilio, ſtudio, labore, gratia, de cauſſa regia niteremur:

ſubito exorta eſt nefaria CATONIS promulgatio,

quae noſtra ſtudia impediret,

et animos a minore cura ad ſummum timorem traduceret.

§.

§. XVIII.

SOLET etiam non numquam conuerſionibus, ut πτεριοδικῶλοις, ita et aliis, adſui quaedam ἐπισύναψις (1) quae ultimo membro inſeruit inluſtrationis cauſſa; uel aliud quiddam, quod ornatum conciliet, ſubiungit. qua in re CICERONEM, optimum erit, conſulere (2).

(1) *etiam illud monendum duximus, in periodis fieri ſaepe numero ἐπισύναψιν, id eſt, adiunctionem unius uel plurium membrorum, ad ſententiam completam atque abſolutam.* uerba haec ſunt BERSMANNI in *erotematibus rhetorices, ſecundum uiam* HERENNIANORVM LIPS. MDCI. 8. p. 284. hinc facile perſpicuum eſt, locum habere poſſe hanc laciniam in omnibus comprehenſionibus, ſiue duarum, ſiue trium, ſiue quatuor ſint partium. quoties enim perfectae comprehenſioni adſuitur membrum aliquod: toties adeſt, quam diximus, ἐπισύναψις; cuius indicium fere eſt uox *praeſertim.* ita in duarum partium comprehenſione hanc habet ἐπισύναψιν CICERO pro ARCHIA cap. IX. n. 19. p. 880.

ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt:

nos hunc uiuum, qui et uoluntate et legibus noſter eſt, repudiabimus?

ἐπισύναψις. *praeſertim, quum omne olim ſtudium atque omne ingenium contulerit ARCHIAS ad populi romani gloriam laudemque celebrandam.*

(2) refer huc CICERONEM ad *diuerſ.* V. v. 1. p. 110.

etſi ſtatueram, nullas ad te litteras mittere; niſi commendatitias,

non, quo eas intelligerem ſatis apud te ualere, ſed ne iis, qui me rogarent, aliquid de noſtra coniunctione imminutum eſſe oſtenderem:

tamen, quum T. POMPONIVS, homo omnium meorum in te ſtudiorum et officiorum maxime conſcius, tui cupidus, noſtri amantiſſimus, ad te proficiſceretur:

aliquid mihi ſcribendum putaui:

ἐπισύναψις. *praeſertim, quum aliter ipſi POMPONIO ſatisfacere non poſſem.*

§. XIX.

HAEC de conuerſionibus ratione magnitudinis dicta ſufficiant. dantur tamen et aliae orationes, quae duabus iſtis partibus primariis, *propoſito* et *conſequutione* abſoluuntur, membra tamen plura, quam quatuor, agnoſcunt, et ea propter periodorum amplius nomine non ueniunt. illae pro membrorum numero uarias ſortiuntur denominationes, atque aut περιοδικὰ, aut πνέυματα, aut τάσεις uocantur.

§. XX.

QVANDO ergo iſtae uerborum comprehenſiones iuſta προτάσει et ἀποδόσει conti-

tinentur; neque ultra ſex, uel ſeptem membrorum ſeriem progrediuntur: tum περιοδικὰ (1) uocitantur, qualibus CICERONEM ſaepe in narrationibus ſolere (2) ſuis uti, legentibus ſatis perſpicuum eſt.

(1) non aliter haec deſcribit DEMETRIVS PHALEREVS; quippe qui maximas quatuor membrorum comprehenſiones dicit περὶ ἑρμηνείας, p. 9. τῶν δὲ inquit, περιόδων αἱ μικρότεραι μὲν ἐκ δυοῖν κώλοιν συντίθενται. αἱ μέγισται δὲ ἐκ τεττάρων. τὸ δ' ὑπὲρ τέσσαρα, οὐκ ἔτ' ἂν ἐντὸς εἴη περιοδικῆς συμμετρίας. i. e. *periodorum minimae duobus conſtant membris*, maximae, *ex quatuor. quod hunc numerum excedit, non eſt amplius intra periodi menſuram.*

(2) huc ſpectat exemplum CICERONIS in oratione pro M. MARCELLO cap. III. n. 8. p. 1291.

nulla eſt enim tanta uis, quae non ferro ac uiribus debilitari frangique poſſit:

uerum animum uincere, iracundiam cohibere, uictoriam temperare;

aduerſarium nobilitate, ingenio, uirtute, praeſtantem, non modo extollere iacentem;

ſed etiam amplificare eius priſtinam dignitatem:

haec qui faciat, non ego iam cum ſummis uiris comparo;

ſed ſimillimum deo iudico.

§. XXI.

PORRO, quando membra intra *propo-*

ſitum et *conſequutionem*, eo usque procurrunt, ut uno uix ſpiritu, (1) ab homine robuſto et uigoris pleno, pronuntiari posſint, nominatur illa oratio πνεῦμα (2).

(1) definitur πνεῦμα ab HERMOGENE, de inuentione lib. IV. cap. IV. p. m 201. edit. colon. 1614. 8. quod ſit σύνθεσις λόγου διάνοιαν ἀπαρτίζων ἐν κώλοις καὶ κόμμασι μετρούμενον πρὸς τὴν διάρκειαν τοῦ πνεύματος κατὰ τὴν φωνὴν λέγοντος. i. e. *ſtructura orationis, quae ſenſum membris inciſisque definitum ad dicentis ſpiritum et uocem adcommodat.*

(2) ſic elegans πνεῦμα eſt, quod legimus in oratione pro LIGARIO cap. III. n. 7. p. 1305.

apud quem igitur haec dico?
nempe apud eum, qui, quum hoc ſciret, tamen me, ante quam uidit, rei publicae reddidit:
qui, quum ipſe imperator in toto imperio populi romani unus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt:
a quo, hoc ipſo C. PANSA mihi nuntium perferente, conceſſos faſces laureatos tenui, quoad tenendos putaui:
qui mihi tum denique ſe ſalutem putauit dare, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis dediſſet.

§. XXII.

DENIQVE quum membra nullos uidentur amplius limites ferre; ſed ſoluta fluunt ſine omni freno, atque ultra ſe ex-

extendunt, quam homines, uel robuſtisſimi, uno ſpiritu efferre posſint, tum iſta oratio τάσις (*) uocari conſueuit.

(*) exemplum huius generis habemus apud CICERONEM, praeter illud pro MILONE cap. XXVII. praeclarum hoc in *ultima uerrina* exeunte cap. 72. n. 184. p. 475.

nunc te, IVPITER optime, maxime, cuius iſte donum regale, dignum tuo pulcerrimo templo, dignum capitolio, atque iſta arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum, atque promiſſum, per nefarium ſcelus de regiis manibus extorſit:

cuiusque ſanctisſimum et pulcerrimum ſimulacrum, SYRACVSIS ſuſtulit:

teque, IVNO regina, cuius duo fana duabus in inſulis poſita ſociorum, MELITAE et SAMI, ſanctisſima, et antiquisſima, ſimili ſcelere idem iſte omnibus donis ornamentisque nudauit.

teque MINERVA, quam item iſte duobus in clarisſimis et religioſisſimis templis expilauit:

ATHENIS, quum auri grande pondus; SYRACVSIS quum omnia, praeter tectum et parietes, abſtulit:

teque, LATONA, APOLLO, et DIANA, quorum iſte DELI non fanum, ſed, ut hominum opinio, et religio fert, ſedem antiquam, diuinumque domicilium nocturno latrocinio, atque impetu compilauit:

etiam te, APOLLO, quem iſte CHIO ſuſtulit:

teque etiam DIANA, quam PERGAE ſpoliauit: O 4 cu-

cuius ſimulacrum ſanctisſimum SEGESTAE, bis ad SEGESTANOS conſecratum, ſemel ipſorum religione, iterum P. AFRICANI uictoria, tollendum, aſportandumque curauit:

teque, MERCVRI, quem VERRES in uilla, et in priuata aliqua palaeſtra poſuit, P. AFRICANVS in urbe ſociorum, et in gymnaſio TINDARITANORVM, iuuentutis illorum cuſtodem, et praeſidem uoluit eſſe:

teque HERCVLES, quem iſte AGRIGENTI, nocte intempeſta, ſeruorum inſtructa et comparata manu, conuellere ex ſuis ſedibus, atque auferre conatus eſt:

teque, ſanctisſima mater IDAEA, quam apud ENGVINOS auguſtisſimo et religioſisſimo in templo ſic ſpoliatam reliquit, ut nunc nomen modo AFRICANI, et ueſtigia uiolatae religionis maneant, monumenta uictoriae, fanique ornamenta non exſtent:

uosque, omnium rerum forenſium, conſiliorum maximorum, legum, iudiciorumque arbitri, et teſtes, celeberrimo in loco praetorii locati, CASTOR et POLLVX, quorum e templo quaeſtum ſibi iſte, et praedam maximam improbisſime comparauit:

omnesque dii, qui uehiculis tenſarum ſollemnes coetus ludorum initis:

quorum iter iſte ad ſuum quaeſtum, non ad religionum dignitatem, faciendum, exigendumque curauit:

teque, CERES et LIBERA, quarum ſacra, ſicut opiniones hominum, ac religiones ferunt, longe maximis, atque occultisſimis caeremoniis continentur: a

a quibus initia uitae atque uictus, legum, morum, manſuetudinis, humanitatis exempla hominibus, et ciuitatibus data, ac diſpertita eſſe dicuntur:

quarum ſacra populus rom. a graecis adſcita et accepta, tanta religione et publice, et priuatim tuetur, non ut ab aliis huc adlata, ſed ut ceteris hinc tradita eſſe uideantur:

quae ab iſto uno ſic polluta, et uiolata ſunt, ut ſimulacrum CERERIS unum, quod a uiro non modo tangi, ſed ne adſpici quidem fas fuit, e ſacrario CATINAE conuellendum auertendumque curauerit:

alterum autem ENNAE ex ſua ſede, ac domo ſuſtulerit:

quod erat tale, ut homines, quum uiderent, aut ipſam uidere ſe CEREREM, aut effigiem CERERIS, non humana manu factam, ſed caelo delapſam, arbitrarentur:

uos etiam, atque etiam imploro, et adpello, ſanctisſimae deae, quae illos ENNENSES lacus, lucosque colitis, cunctaeque SICILIAE, quae mihi defendenda tradita eſt, praeſidetis:

a quibus, inuentis frugibus, et in orbem terrarum diſtributis, omnes gentes, ac nationes ueſtri religione numinis continentur:

ceteros item deos, deasque omnes imploro, atque obteſtor, quorum templis et religionibus iſte nefario quodam furore, et audacia inſtinctus, bellum ſacrilegum ſemper, impiumque habuit indictum:

ut, ſi in hoc reo, atque in hac cauſſa, omnia mea conſilia ad ſalutem ſociorum, dignitatem

populi romani, fidem meam ſpectauerunt:
ſi ullam ad rem, niſi ad officium et ueritatem omnes meae curae, uigiliae, cogitationesque elaborarunt:
quae mea mens in ſuſcipienda cauſſa fuit, fides in agenda, eadem ueſtra in iudicanda ſit:
deinde, ut, C. VERREM, ſi eius omnia ſunt inaudita, et ſingularia facinora ſceleris, audaciae, perfidiae, libidinis, auaritiae, crudelitatis, dignus exitus eiusmodi uita, atque factis, ueſtro iudicio conſequatur:
utque res publica, meaque fides una hac adcuſatione mea contenta ſit:
mihique poſt hac bonos potius defendere liceat, quam improbos adcuſare neceſſe ſit.

§. XXIII.

QVONIAM autem compoſitae comprehenſiones ſine particularum nodis conſtringi nequeunt: orta eſt ex coniunctionum, aut aduerbiorum diuerſitate alia periodorum diuiſio. ut enim iſtae nominantur particulae: ita comprehenſionibus adſcripta ſunt nomina. nouimus hinc conuerſiones *cauſſales*, nouimus *comparantes*, nouimus *conditionales*, *concedentes*, *contrarias*, *disiungentes*, et *coniungentes*: quae ab antiquis uſurpatae iam omnes ſunt, quamquam peculiari ſignatae nota haud fuerint.

§.

§. XXIV.

PRIMVM genus eas complectitur comprehenſiones, quae conſequutionis ſuae rationem reddunt, et uulgo *cauſſales* ſolent uocari. harum ſtructura conſiſtit in eo, ut, praemiſsis in prima parte una uel pluribus cauſsis (1), conſequutio illarum ponatur in parte altera. particularum, quibus heic membrorum conſequutio indicatur, poſitus is eſt, ut aut uoces, *quum*, *quod*, *quia*, *quandoquidem*, *quoniam*, nulla ſequente particula in redditione; (2) aut aliae, quae conſequutione gaudent (3), occurrant.

(1) quodſi eam haberemus propoſitionem:
ſuſpicionem moui, me uelle nauigare
addenda eſſet ratio:
quod ſum in maritimis,
inde hanc facile cum CICERONE ad *diuerſos* II. XVI. 7. p. 45. conſtrueremus comprehénſionem:
quod autem in maritimis ſum: facile moueo non nullis ſuſpicionem, uelle me nauigare.

(2) exponemus hoc quibusdam ex CICERONE exemplis.
ad *diuerſ.* I. IX. 49. *quod quoniam* tibi expoſui: facilia ſunt ea, quae a me de VATINIO et de CRASSO requiris.
ibid. I. IX. 61. *quum* uero in hunc ſenſum et adliciar beneficiis hominum, et compellar iniu-

iniuriis: facile patior, ea me de re publica ſentire, ac dicere, quae maxime quum mihi, tum etiam rei publicae rationibus, putem conducere.

ibid. II. VI. 4. ſed *quia* tua in me uel nota omnibus, uel ipſa nouitate meorum temporum clariſſima et maxima beneficia exſtiterunt;

eſtque animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum uelle debere:

non dubitaui id a te per litteras petere, quod mihi omnium eſſet maximum, maximeque neceſſarium.

(3) earum particularum, quae in *propoſitione* ac *conſequutione* ſibi reſpondent, hae fere ſunt.

quod — ideo CICERO ad Q. fratrem III. I.
quia — eo CICERO ad ATTIC. X. XV.
quia — idcirco ibid. XII. XV.
quia — ideo CICER. ad *diuerſ.* XIII. VII.
quia — propter ea ibid. XII. XI.
quia — ſic ſit, ut ibid. XIII. LXX.
quod — idcirco CIC. pro ROSC. amer. c. 50. n. 145.
quod — propter ea CIC. ad *diuerſ.* XII. XXVIII.
eo — quia CICERO ad *diuerſ.* XII. V.
eo — quod CIC. ad *diu.* III. VI.
eo — ne TERENT. *phorm.* V. I. 18.
eo — ut ne CICERO ad *diuerſ.* XI. LXIX.
eam ob cauſſam — ut CICERO ad *diuerſ.* I. VIII.
ea gratia — ut TERENT. *andr.* III. IV. 8. 9.
ob eam rem — quod CICER. ad *diuerſ.* XIII. I.
idcirco — quod CICER. pro MVRAEN. c. XII.
ideo — quia ibid. cap. LI.

S.

§. XXV.

ALTERVM genus *comparandi* comprehenſiones continet: quae duas res ita inter ſe conferunt, ut tertium, aliquod adtributum, in quo utrique conuenit, adiungatur. ſic cum arboribus interdum homines comparantur, quod flos quidam adtribui queat utrisque; illis quidem proprie per ſuam naturam, his autem non, niſi per translationem. cuius generis ſi modum quaeras, ille eſt, quum typus cum eo, quod ipſi eſt proprium, ponatur in *propoſitione*; antitypus uero in *conſequutione* (1). adnotandae ſunt et heic quaedam particulae, quibus partes iſtae palmariae coniungantur (2).

(1) ſi contendantur cum ſerpentibus chriſtiani: adtributum, in quo conſentiant ambo, aurium obturatio eſt: tum typus ſerpens; antitypus chriſtianus. inde comparandi ambitum hunc exornabis:

quem ad modum ſerpentes, ut ne incantatoris uocem percipiant, terra operiunt aures ſuas: ita, ne malorum illecebris corrumpantur, chriſtianorum quoque officium eſt idem.

(2) ex nodis iſtis, quibus in comparationibus utimur, hos fere producimus.

proinde ut — ita, PLAVTVS *pſeud.* II. III, 13.

quaſi

quaſi — ſic CICERO in CATONE cap. VI.
quem ad modum — ſic CICERO ad *diuerſ.* XI. VI.
quem ad modum — ita CICER. ad Q. fratrem I. XII.
quem ad modum — eodem modo CIC. de *finib.* II. n. 83.
quo modo — ita auct. ad HERENN. lib. IV.
quo modo — ſic CICERO de *finibus* III. n. 67.
ſic — ut CICER. ad *diuerſ.* XIII. I.
ſicut — ita CIC. pro MILONE cap. XI. n. I.
ſicut — item pro QVINCT. n. 69.
ſicut — ſic CICER. pro ROSCIO comoed. n. 30.
uelut — ſic. quaeſtion. tuſcul. lib. I.
ut — ita NEPOS DATAM. cap. VIII.
ut — item CICERO ad ATTIC. II. XXIV.
ut — idem de officiis I. c. I.
ut — ſic ad ATTIC. X. XVI.
uti — ſic ad ATTIC. VIII. I.

§. XXVI.

PERGIMVS ad comprehenſiones, quae *conditionem* aliquam ſub ſe complectuntur. illae certas praemittunt propoſitiones, quibus adductis, conſequutio, tamquam effectus, inde adiungi ſolet. habent iſtae conditiones, *cauſſarum* naturam, uel *principii*, ex quibus iuſta concludendi elegantia conficitur propoſitio aliqua (1). in ipſa elaboratione modo praemittitur conditio, modo ſubiicitur (2). eſt et heic particularum uſus praecipuus (3).

(1) ſit u. c. propoſitio:
aures ad te adferam elegantes:
ſit conditio:

ſi

ſi uerbis adſequutus es, ut tecum libentius ſint. inde hanc conuerſionem confecit CICERO ad *diuerſ.* IX. XIX. 4.

hoc ſi uerbis adſequutus es (ut tecum libentius ſint) *aures ad te adferam non minus elegantes.*

item ſi eſſet propoſitio: *uideor mihi, per me* ANTONIVM *ſuſtinere poſſe*: conditio: *ſi nudus huc ſe conferat.* comprehenſionem inde iſtam habet PLANCVS apud CICERONEM ad *diuerſ.* X. XI. 8. *ſi nudus huc ſe conferat ANTONIVS, mihi uideor, per me ſuſtinere poſſe, remque publicam ex ueſtra ſententia adminiſtrare.* ubi notandum ſimul eſt, poſſe interdum ex uno principio, quod locatur in conditione, duas uel tres deriuari propoſitiones. uel ex pluribus principiis, conditionum uim habentibus, confici concluſiones uel unam, uel plures.

(2) uarie nimirum formantur hae comprehenſiones. ſaepe conditiones ponuntur in *propoſito*, et concluſiones inde elicitae in *conſequutione.* ſic CICERO ad *diuerſ.* X. XI. I. *ſi* de filii tui dignitate eſſet actum: amabilius certe nihil facere potuiſſet. it. lib. V. XVI. 6. quare *ſi* tibi unum hoc detrahi poteſt, ne quid iis, quos amaſti, mali putes contigiſſe: permultum erit ex moerore tuo diminutum. it. VIII. X. 13. tui conſilii eſt, *ſi* tempus, *ſi* ſenatus coget, ſi honeſte a nobis recuſari non poterit, uelisne perſeuerare. interdum πρότασις continet propoſitionem, reiectis in ἀπόδοσιν conditionibus. ſic CICERO VI. IX. I. ante miſiſſem ad te litteras, *ſi* genus ſcribendi inuenirem. pro MILONE

LONE cap. XXVIII. 2. quae uero aderant iam et impendebant, quonam modo ea aut depellere potuiſſetis, aut ferre, imperium ille *ſi* nactus eſſet?

(3) huc ſpectant, quae ſequuntur:
quodſi—certe CIC. ad ATTICVM I. XIV.
quodſi—profecto CIC. ad *diuerſ.* III. II.
quodſi—ne quidem CIC. quaeſt. tuſcul. c. 2. n. 6.
ſiquid—id CIC. ad *diuerſ.* X. 25. (p. 323.
ſiquid—id omne ibid. V. V.
ſi—attamen TERENT. eunuch. V. II.
ſi—certe CIC. ad *diuerſ.* XIII. X.
ſi—is ibid. XV. 4.
ſi—idcirco CIC. tuſc. qu. I. c. 3. n. 9. p. 324.
ſi—profecto HIRTIVS de bello gall. lib. VIII.
ſi—tum CIC. ad ATT. XIII. XXXIII.
ſi—tum demum PLAVT. *mil. glor.* IV. VIII. 55.
ſi—cito TERENT. heauton. V. II.
ſi—ſtatim CIC. ad ATT. IX. p 38. tom. II. graeu.
ſi—illico TERENT. heauton IV. II.
ſi—tum CIC. ad *diuerſ.* VIII. XV.
ſi—tunc ibid. VIII. VIII.
ſi—iam TER. adelph. II. I.
ſi—numquam ibid. III. 3.
ſi—ibi TER. *hecyr.* I. II.
ſi—non continuo CIC. pro ROSCIO amer. cap. VI.
ſi minus—tamen CIC. ad *diuerſ.* IX. XVII.
ſi minus—attamen ibid II. VI.
ſi minus—certe ad ATTIC. XII. X.
ſi non—at. CICER. ad *diuerſ.* VI. XIII.
ſi non—tamen ibid. IV. IV.
ſi non—certe ad ATTIC. III. XV.
ſi non—ſed certe ibid. V. ep. ult.
ſi non—at ſaltim ad *diuerſ.* IX. VIII.

§.

§. XXVII.

Alivd conuerſionum eſt genus, ubi *conceduntur* quaedam in *propoſitione*, quae in *conſequutione*, reuocantur. quae ſigna ſunt huius continuationis, diligenter merentur adnotari (1). ſolet autem haec ita conſtrui, ut, poſita propoſitione, quae uideantur eam reddere dubiam, proferantur ita, ut in concluſione fortius remoueantur (2). neque iſtarum *obiectionum* locus ſatis certus eſt; quum nunc ultimam, nunc primam conuerſionis partem occupent (3).

(1) dabimus et heic praecipuos continuationis huius nodos:
quum—tamen CICERO ad *diuerſ.* I. VIII.
quum—nihilo minus NEPOS in uita ATTICI c. IV.
etſi—tamen CICERO ad *diuerſ.* VI. XIX.
etſi—uerum tamen TERENT. phorm. II. II. 60.
etſi—ſed CICER. ad ATTIC. VI. VII.
etſi nequaquam—attamen CIC. de orat. III. init.
etſi—ſed tamen ad ATTIC. VII. XIX.
etſi—uerum tamen ibid. XIV. XII.
etiamſi—tamen CIC. ad *diuerſ.* I. IX.
licet—tamen ad ATTIC. III. XII.
licet—ſed tamen. ad *diuerſ.* XIII. XXVII.
quamquam—tamen nihilominus ibid. IV. XIII.
quamquam—tamen ibid. I. IX.
quamquam—ſed CIC. ad. *diuerſ.* XIII. XXXII.
quamquam—ſed certe ibid. I. IX.

quamquam — uerum tamen ibid. XII. xxii.
quamuis — tamen ibid. VII. iii.
quamuis — certe CIC. ad ATTIC. XVI. vi.
quodſi — profecto ad *diuerſ.* III. ii.
quodſi — tamen ibid. XII. x.
quodſi — tamen certe ibid. III. x.
quodſi — ne quidem quaeſt. tuſc. II.
tametſi — tamen ad ATTIC. I. ix.
ut — tamen ibid. VII. xiii.
ut — certe pro QVINCT. cap. VI.

(2) ponamus e. c. hanc theſin: *uoluptas homines maxime delectat:* ſit obiectio: *ſed maxime punitur a deo:* inde conuerſio iſthaec conſtruetur: *quamquam* ſummis a deo poenis uoluptas adficiatur: *ſed certe* plurimi eadem delectantur. ſubiicitur etiam non numquam obiectionis iſtius aliqua ratio. et trium membrorum exoritur periodus. ſit e. c. theſis.

magnopere te hortor, ut te conligas uirumque praebeas.

obiectio: *ipſe conſolandus ſum.*

ratio: *nullam rem grauius iam diu tuli, quam incommodum tuum.*

elaboratio: *etſi* egomet, qui te conſolari cupio, conſolandus ipſe ſum, propter ea, quod nullam rem grauius iam diu tuli, quam incommodum tuum: *tamen* te magnopere non hortor ſolum, ſed etiam pro amore noſtro rogo, atque oro, te conligas, uirumque praebeas, et qua conditione omnes homines et quibus temporibus nati ſumus, cogites.

ita ſcripſit CICERO ad *diuerſ.* V. xviii. 1. (3)

(3) teſtantur hoc exempla copioſisſima, quae in CICERONE occurrunt. prioris generis uidimus iam: danda etiam pauca ſunt modi poſterioris. ſic CICERO de *oratore* lib. I. *attamen* iſta, quae abs te breuiter de arte decurſa ſunt, audire cupimus: *quamquam* ſunt nobis quoque inaudita. item ad *diuerſ.* lib. IX. n. 2. *attamen* eam ipſam epiſtolam miſiſſem per meos: *niſi* audiſſem ex eo poſtridie, te mane e tuſculano exiturum.

§. XXVIII.

SEQVVNTVR illae continuationes, quae membra *coniungunt* uaria, ſiue nexu neceſſario, ſiue arbitrario gaudeant. barbare uocantur *copulatiuae*. illarum artificium omne particulis iſtis abſoluitur, quibus utuntur auctores (*) romani, in coniungendis continuationum membris.

(*) dabimus pro eo, qui receptus nobis eſt, more quaedam exempla, coniungendique modos reliquos ſubiiciemus. ſic CICERO ad Q. fratrem l. I. quae *quum* abhorrent a litteris, ab humanitate: *tum* uero contraria ſunt imperio ac dignitati. *ibid.* quod uitium *quum* in hac priuata quotidianaque uita leuis eſſe animi, atque infirmi uidetur: *tum* uero nihil eſt tam deforme, quam ad ſummum imperium etiam acerbitatem naturae adiungere. reliqui nodi hi fere ſunt:

quum — tum etiam CICER. ad ATTIC. III. XIII.
quum — tum uero etiam ad Q. fratr. I. I.
quum — tum — denique ad *diuerſ.* XV. IV.
quum — tum maxime ibid. IV. II.
quum — tum in primis ibid. XIII. LIV.
non ſolum — ſed etiam ad *diuerſ.* I. IX. 9.
et — et ibid. I. IX. 10.
non modo — ſed. ibid. I. IX. 23.
tum — tum ibid. I. IX. 25.
non modo — ſed etiam. ibid. I. IX. 32.
non tantum modo — ſed etiam. CIC. in CATONE.
neque modo — uerum etiam. pro MILON. cap. I.
non modo — ſed quod maius eſt. QVINCT. I. VI.
non ſolum — ſed etiam. ad HERENN. lib. IV.
non modo — ſed multo magis. quaeſt. tuſcul. II. princ.
non ſolum — ſed etiam. NEPOS MILT. I.
non ſolum — ſed quoque. CIC. ad *diuerſ.* IV. VIII.
non ſolum — uerum. CIC. pro SYLLA n. X.
non ſolum — uerum etiam. de amicit. n. 6.
non ſolum — ſed etiam. NEPOS THRASIB. c. III.
ne dum — ſed etiam. CIC. ad ATTIC. X. XVIII.
neque — ſed etiam. CIC. de legib. lib. II.
neque ſolum — ſed praeter ea. CIC. ad Q. fratr. II. X.
non ſolum - ſed etiam ad ATTIC. XV. IV.

§. XXIX.

NEQVE minus notantur id genus continuationes, in quibus membra quaedam ſeparantur, et ab aliis disiunguntur. ſolent in illis eius modi comportari propoſitiones, quarum altera diſcernenda eſt

eſt ab altera neceſſario, ita ut illa negetur, confirmetur haecce (1). qui particulas eas ſibi notas reddidit, quarum auxilio romani has diſiunctiones indicant (2), nullo fere negotio has diſiungendi conuerſiones diſcet conficere.

(1) ita CICERO ad *diuerſ.* VI. XXII. 4. haec ſcripſi, *non ut* de me ipſe dicerem; *ſed ut* tu, qui coniunctiſſima fuiſti mecum et ſententia et uoluntate, eadem cogitares. item ad Q. *fratrem lib. I. ep. I. non, ut* te inſtituerem, ſcripſi; *ſed* me in ſcribendo commemoratio tuae uirtutis delectauit.

(2) huius generis ſunt, quae ſequuntur:
non eo - ſed quia. CICER. ad ATTIC. IX. II.
non eo quin - ſed. PLAVT. trinum. II. II. 60.
non eo quin non - uerum. ib. aſinar. V. I. 16.
non ideo quod non - ſed ut. CIC. de leg. agrar. III. 4.
non ideo ut - ſed ne. TACIT. IV. hiſtor. c. LXXIII.
non quod - ſed quod. CIC. ad *diuerſ.* IV. V.
non quin - ſed ut. LIVIVS VII. XV.
non quin - ſed. CIC. ad *diuerſ.* XVI. XXIV.
non quin - ſed quia. ibid. IV. VII.
nec - ſed. ibid. IX. XXIV.
non - ſed. ibid. I. IX.
non - ſed certe, ad ATTIC. IX. IX.
non - dicam - ſed certe. pro PLANCO n. 78.
non - uerum. TERENT. heautont. IV. V. 33.
non - ſed potius. CICER. ad ATTIC. XII. XXI.
non - tamen. ad *diuerſ.* I. XV.
non quo - ſed quia. ibid. V. XIX.

non quo - ſed, ad ATTIC. XV. XIII.
non quo non - ſed quia. CIC. de inuent. II., n. 155.
non quo - ſed quod, ad *diuerſ.* VI. IV.
non quo - ſed tamen, ibid. IX. XI.
non quo - ſed ut. CICER. ad ATTIC. IV. IV.
non quo - ſed uti, SALLVST. bell. catil.
non quod non - ſed quod, CIC. pro leg. agrar. n. I.
ſi - ſin. CIC. ad *diuerſ.* I. VII.
ſi - ſi uero, ibid. X. XI.
ſi - ſin autem, ibid. VII. XI.
ſi - ſin aliter. ad ATTIC. I. II.
ſi - ſi non, ad *diuerſ.* V. XIX.
ſi - ſi minus, ad ATTIC. III. XIX.

§. XXX.

SI QVAE ſunt comprehenſionum genera alia, facile referri poſſe ad has, quae productae ſunt a nobis, claſſes, perſpicuum eſt. nondum uero ſufficit, ut haſce particulas nobis cognitas reddamus: ſuperſunt profecto multo plures, quas diligens auctorum lectio ſuppeditabit. ex quorum ſimul patet lectione, non eſſe ſemper iuſtis utendum comprehenſionibus; ſed membra interdum et inciſa orationi, quae ambitu concluſa eſt (*), inſerenda uenire.

(*) docet hoc idem CICERO egregie de *oratore* lib. III. n. 190. p. 557. neque ſemper, *inquit*, utendum eſt perpetuitate et quaſi conuer-

uerſione uerborum; ſed ſaepe carpenda membris minutioribus oratio eſt, quae tamen ipſa membra ſunt numeris uincienda. idem eſt DEMETRII PHALEREI iudicium, qui περὶ ἑρμηνείας p. 8. ita: δοκιμάζω, inquit, γὰρ δὴ ἔγωγε, μήτε περιόδοις ὅλον τὸν λόγον συνείρεσθαι, ὡς ὁ Γοργίας. μήτε διαλελύσθαι ὅλον, ὡς τὰ ἀρχαῖα: ἀλλὰ μεμίχθαι μᾶλλον δι' ἀμφοτέρων p. 8. edit. ROSTOCH. CIↃ IↃ LXXXIV. 8. i. e. *equidem ita exiſtimo, neque totam orationem periodis eſſe uinciendam, quod fecit GORGIAS: neque diſſolutam eſſe totam debere, quod erat antiquorum: quin miſcendam potius ex utrisque.*

PARS II.

DE VARIIS STILI ROMANI GENERIBVS.

CAP. I.

DE STILO TENVI.

DICENDORVM ORDO.

uaria ſtili ratio, tum ratione qualitatis, tum ratione quantitatis, tum ratione rerum. §. I.

ſtilus tenuis eius nomina. opponitur ei ſiccum dicendi genus, §. II.

definitio ſtili tenuis §. III.

uirtutes eius. puritas, perſpicuitas et elegantia §. IV.

ornatus. cautiones quaedam, translationes uerecundae. ſchemata parca, periodi breues. §. V.

qualis in ſtilo tenui numerus ſit adhibendus. nimirum non ille anxius, ſed ſponte fluens §. VI.
quid de ſententiis acutis contineat ſtilus tenuis §. VII.
quibus in argumentis ſtilo tenui locus ſit. in epiſtolis, dialogis, programmatibus, diſſertationibus cet. §. VIII.

§. I.

EXPLICATIS hiſce ſtili uirtutibus, quas prima iam parte uidimus, et ſine quibus, quod quaerimus, latine dicendi genus nemo rite conſequetur, ut ad diuerſa ſtili genera (*) nos conuertamus, ordinis iam poſtulat ratio.

(*) ſolet ſtilus romanus uarie diſpeſci. quum enim reſpicimus ad *uerborum qualitatem*, quibus exprimuntur res proponendae, uel *magnifice*, uel *ſubtiliter*, uel *temperate*, dici conſueuit. hinc ſtili forma alia eſt *ſublimis*, alia *mediocris*, *tenuis* alia. quodſi uero ad uocum *quantitatem* et ubertatem, praecipue comprehenſionum magnitudinem adtenditur, aut *copioſius* et *circumducte* loquimur, aut profamur *conciſe*, aut *medium* inter utrumque obſeruamus. inde genus dicendi eſt *circumductum*, *medium*, et *conciſum*, quae ueteres, ad graecos reſpicientes, *aſiaticum*, *rhodium*, et *atticum* nominarunt. denique quum non omnes deceat eadem oratio, ſtilique forma ad *rerum naturam* conformanda eſt: aliter loqui debet *hiſtoriarum* ſcriptor; aliter *philoſophus*, aliter *orator*. adiungunt alii ſtilum, qui in epiſtolis conſcribendis et dialogis regnare debet. poeticum non moramur, qui alius loci eſt. §.

§. II.

PRIMVM genus eſt ſtilus *tenuis*, quem *ſubmiſſum*, *ſubtilem* (1), *adtenuatum* (2) *humilem* (3) uocarunt ueteres. oppoſitum ei eſt genus dicendi *ſiccum* (4) quod deuitabunt certe omnes, quibus aliqua eſt elegantius ſcribendi cura.

(1) ita uocat CICERO in *oratore p.* 678. ubi omnem eloquentiam hisce uerbis incluſit. *is enim* inquit, *eſt eloquens*, *qui et* humilia ſubtiliter, *et magna grauiter et mediocria temperate poteſt dicere.* quae paucis interpoſitis ita explicat: *is erit igitur eloquens*, *ut idem illud iteremus*, *qui poterit* parua ſubmiſſe, *modica temperate*, *magna grauiter dicere.*

(2) auctor ad HERENNIVM. lib. IV. p. 177. ſunt igitur tria genera, quae nos *figuras* adpellamus, in quibus omnis oratio non uitioſa conſumitur. unam grauem, alteram mediocrem, tertiam *extenuatam* uocamus. — — — *adtenuata* eſt, quae *demiſſa* eſt, usque ad uſitatisſimam puri ſermonis conſuetudinem. adde STREBAEVM de *uerborum conlocatione lib. II. cap. XVII. p.* 268. primum a *CICERONE* dicitur aut *acutum*, aut *tenue*, aut *enucleatum*, aut *ſubtile*, aut *preſſum*, aut *callidum*, aut *ſubmiſſum*, aut *humile*, aut *gracile.*

(3) reuoca in memoriam illud *humilia ſubtiliter* not. (1)

(4) uitium non nulli dum deuitare cupi-

 unt,

unt, in contraria ſolent ruere. ſic quum dicendi genus *ſubmiſſum* omnem arbitrantur ornatum reſpuere: diffluunt, neque concinnitatis, neque purae dictionis ſtudioſi. utinam, praeter iſtas obſcurorum uirorum epiſtolas, non exſtent inter ciues noſtros ſat multa ſiccitatis huius documenta! egregie differit in hanc rem *CORNIFICIVS*, aut, ſi quis alius eſt librorum ad *HERENNIVM*, auctor, *lib. IV. p.* 182. qui non poſſunt, *inquit*, in illa facetiſſima uerborum adtenuatione commode uerſari, ueniunt ad *aridum* et *exſangue* genus orationis, quod non alienum eſt *exile* nominari. et ſubiicit ſtatim exemplum. en illud! *nam iſtbic ille ad balneas acceſſit, ad hunc poſt ea dixi, hic tuus ſeruus me pulſauit. poſt ea dixit illi, conſiderabo. poſt ille huic conuicium fecit, et magis magisque praeſentibus multis clamauit.* conſentit prorſus *DEMETRIVS PHALEREVS* περὶ ἑρμηνείας *p.* 88 παράκειται δὲ τῷ ἰσχνῷ διημαρτημένος χαρακτὴρ ὁ ξηρὸς καλούμενος: *propinquum eſt huic tenui uitioſum genus, quod ſiccum uocatur.* quod in eo iuſte adfirmat conſiſtere, quando uel res nimium et ultra debitum extenuamus, uel ſublimia enuntiamus uerbis exilibus, uel denique ſi ipſam orationem nimis crebro incidimus, uel nullis fere intermixtis conuerſionibus.

§. III.

CONSISTIT uero genus dicendi tenue in eo, ut perſpicuo ac puro utamur ſermone, resque exiles, uerbis propriis et pu-

puris, ſtructura facili ac fluente, nullis ambagibus aut copioſa translatione (*) atque ſchematibus eamus expoſitum.

(*) conferri de hac dicendi figura meretur CICERO in *oratore* p. 672. QVINCTIL. *inſtit. orat.* lib. XII. cap. X. auct. ad HERENNIVM lib. IV. p. 77. DEMETRIVS PHALEREVS περὶ ἑρμηνείας p. 74. ſeqq. STREBAEVS de *uerbor. electione* lib. II. cap. XIX. p. 279.

§. IV.

PATET ex hac, quam dedimus, finitione, multum ſolere falli, qui corruptum et inquinatum dicendi genus pro *tenui* uenditant. purum (1) eſſe decet et perſpicuum (2) et elegans (3) quoque, quod placere debet, genus *gracile*.

(1) patet hoc ſatis ex eo, quod, qui non latine, non pure loquatur, ne homo quidem uideatur CICERONI, de *oratore* lib. III. c. 14. n. 52. p. 520. nemo enim, *inquit*, umquam eſt oratorem, quod latine loqueretur, admiratus: ſi eſt aliter, irrident: neque eum oratorem tantum modo, *ſed hominem non putant*, et in *oratore* p. 673. ſimplex probatur in *propriis uſitatisque uerbis*, quod aut optime ſonat, aut rem maxime explanat. et paullo ante: *ſermo purus erit et latinus: dilucide planeque dicetur: quid deceat, circumſpicietur.* adſumit ergo tenuis et ſubtilis orator uerba latina, humilia multa, pudica tamen, nitida et uſitata. qua de re DEME-

TRI-

TRIVS ille PHALEREVS recte p. 74. τὴν λέξιν, inquit, εἶναι πᾶσαν χρὴ κυρίαν καὶ συνήθη. i. e. *dictionem oportet omnem eſſe propriam et conſuetam.*

(2) docet hoc etiam PHALER. l. c. μάλιστα δὲ σαφῆ χρὴ τὴν λέξιν εἶναι : *maxime decet banc orationem perſpicuitas.* in qua dicendi forma ἀμφιβολίαν et πλαγιότητα cum primis fugiendas eſſe dicit. quae pluribus enarrat CICERO de *oratore lib. III. p.* 519 ſeqq. neque uero in illo altero diutius commoremur, ut diſputemus, quibus rebus adſequi poſſimus, ut ea, quae dicamus, intelligantur. *latine* ſcilicet *dicendo*, uerbis *uſitatis*, ac *proprie* demonſtrantibus ea, quae ſignificari, ac declarari uolemus, ſine *ambiguo* uerbo, aut ſermone, non *nimis longa continuatione* uerborum, non ualde productis iis, quae ſimilitudinis cauſſa ex aliis rebus transferuntur, non *diſcerptis ſententiis*, non *praepoſteris temporibus*, non *confuſis perſonis*, non *perturbato ordine.* quae omnia quum in uniuerſum dedeceant, deformabunt etiam oratorem ſubtilem, quem *atticum* adeo nominauit oratorum princeps.

(3) audiamus iterum CICERONEM de *oratore lib. III, p.* 518. quare quum ſit quaedam certa uox romani generis, urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil diſplicere, nihil animaduerti poſſit, nihil ſonare, aut olere peregrinum, *banc ſequamur : neque ſolum ruſticam aſperitatem, ſed etiam peregrinam inſolentiam fugere diſcamus.* multum elegantiae ſupra con-

conlocauimus in uerborum coagmentatione, quae *biatus* cauet: ſed ea in re conceditur illud oratori ſubmiſſo, ut negligere hanc coagmentationem poſſit. ita in *oratore p.* 672. *uerba etiam uerbis quaſi coagmentare negliget. habet enim ille tamquam biatus concurſu uocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis, quam de uerbis, laborantis.* et paullo poſt ſubiicit: tum remouebitur omnis *inſignis ornatus*, quaſi margaritarum, ne calamiſtri quidem adhibebuntur. fucati uero medicamenta candoris et ruboris, omnia repellentur: *elegantia* modo, et *munditia* remanebit.

§. V.

ORNATA etiam debet eſſet tenuis oratio, ſed modice (1). translationes uerecundae (2) et non nimis frequentes: ſchemata non niſi modeſta, et quae ſponte naſcantur (3). uerborumque continuationes commendantur, quae breues ſunt (4), et membris inciſisque commiſcentur.

(1) *uerecundus erit*, uerba ſunt CICERONIS in *oratore p.* 673. *uſus* oratoriae quaſi ſupellectilis. ſupellex enim quodam modo noſtra, quae eſt in ornamentis, alia rerum, alia uerborum *cet.*

(2) ſic CICERO in *oratore* p. 673. ergo ille tenuis orator, modo ſit elegans, nec in fa-

faciendis uerbis erit audax, et in *transferendis uerecundus et parcus.* et in priſcis reliquisque *ornamentis* et uerborum et ſententiarum *demiſſior:* translatione fortaſſe crebrior, qua frequentisſime ſermo omnis utitur, non modo urbanorum, ſed etiam ruſticorum, ſi quidem eſt eorum: *gemmare uites*; *ſitire agros*; *laetas eſſe ſegetes*, *luxurioſa frumenta*; nihil horum parum *audacter*, ſed aut ſimile eſt illi, unde transferas; aut ſi res ſuum nullum habet nomen, *docendi cauſſa* ſumtum, non *ludendi*, uidetur. hoc ornamento liberius paulo, quam ceteris, utetur ſubmiſſus: nec *tam licenter tamen*, quam ſi genere dicendi uteretur amplisſimo.

(3) elegantisſima ſunt, quae hanc in rem praecipit CICERO in *oratore* p. 674. illam autem concinnitatem, quae uerborum conlocationem inluminat his luminibus, quae graeci quaſi aliquos geſtus orationis σχήματα adpellant, quod idem uerbum ab his etiam in ſententiarum ornamenta transfertur, adhibet quidem hic ſubtilis, quem, niſi quod ſolum, ceteroquin recte quidam uocant *atticum*, ſed paullo parcius. nam ſic, ut in epularum adparatu, a magnificentia recedens, non ſe parcum ſolum, ſed etiam elegantem uideri uolet: eliget, quibus utatur. ſunt enim pleraeque aptae huius ipſius oratoris, de quo loquor, parſimoniae. nam illa, de quibus ante dixi, huic *acuto* fugienda ſunt, paria paribus relata, et ſimiliter concluſa, eodemque pacto cadentia: et immutatione litterae quaſi quaeſitae uenuſtates,

ne

ne elaborata concinnitas, et quoddam aucupium delectationis manifeſto deprehenſum adpareat. cetera. non aliter PHALEREVS *περὶ ἑρμηνείας* l. c. p. 79. *Φευγέτω δὴ καὶ τὰ σημειώδη σχήματα. πᾶν γὰρ τὸ παράσημον ἀσύνηθες, καὶ οὐκ ἰδιωτικόν. τὴν δὲ ἐνάργειαν καὶ τὸ πιθανὸν μάλιστα ὁ χαρακτὴρ οὗτος ἐπιδέξεται; κ. τ. λ. fugito etiam ſignificantiora ſchemata. quidquid enim inſignitius eſt, inuſitatum etiam et a uulgi uſu recedit. euidentiam uero et probabilitatem haec dicendi figura requirit.*

(4) ita prorſus DEMETRIVS l. c. p. 78. *Φεύγειν δὲ ἐν τῇ συνθέσει τοῦ χαρακτῆρος τούτου πρῶτον μὲν τὰ μήκη τῶν κώλων. μεγαλοπρεπὲς γὰρ πᾶν μῆκος. fugienda uero in huius characteris ſtructura primum quidem membrorum longitudo. omnis enim longitudo ad magnificentiam adcedit.* quae fere expoſuit uerbis iisdem STREBAEVS de *conlocatione uerborum* lib. II. p. 282. in gracili figura quoniam linguae quotidianae finitima eſt, atque proxima *ſubtilitas*, non circumducuntur in pompam numeroſae comprehenſiones, nec grandia membrorum corpora funduntur, nec frequentantur ampliores numeri, qui plena modulatione ſenſum demulceant. cetera.

§. VI.

AD ornatum quando etiam certus quidam in comprehenſionibus uerborum pertinet numerus; cauendum omnino eſt, ut nec plane anxius ille ſit(1), nec

nec plane ſolutus. miſcendi potius pedes ſunt ita, ut ueniſſe ſua ſponte (2), non quaeſitus eſſe numerus uideatur.

(1) prorſus ita CICERO in *oratore p.* 673. primum igitur eum tamquam e uinculis numerum eximamus. ſunt enim quidam, ut ſcis, oratori numeri, de quibus mox agemus, obſeruandi, ratione quadam, ſed alio *in genere* orationis, *in hoc omnino relinquendi. ſolutum quiddam ſit, nec uagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter uideatur errare.*

(2) debere moderatum aliquem et facilem gracili ſermoni numerum ineſſe, uel inde patet, quod ipſemet CICERO, qui eſſe debeat, oſtendit. ita uero in *oratore* ſuo p. 705. quos autem numeros, *inquit*, cum quibus, tamquam purpura, miſceri oporteat, nunc dicendum eſt, atque etiam quibus orationis generibus ſint quique adcommodatiſſimi. iambus enim frequentiſſimus eſt in iis, quae demiſſo atque humili ſermone dicuntur: paean autem in amplioribus: in utroque dactylus. adiunge STREBAEVM de *uerbor. electione p.* 282. ſint membra parua, *inquit*, numerus tenuis, ut, qui ſit ex iambo frequente, ex pyrrichio, choreo, trochaeo. non intelligo, hos ſolum congredi pedes, omnes enim reperiuntur, in tenuitate dicendi; ſed ceteris grauioribus multo frequentiores eſſe.

§. VII.

SVBTILE hoc dicendi genus prudens eſſe

eſſe decet et argutum. quaerendae adeo ſunt ſententiae copioſae, quae, tamquam ex abdito productae, ſuauem reddant et prudentem, quam procudimus, orationem (*).

(*) ita ſane ſuadet CICERO in *oratore* ſuo p. 673. unum aderit, *inquit*, quod quartum numerat THEOPHRASTVS in orationis laudibus, ornatum illud ſuaue et adfluens: *acutae crebraeque ſententiae ponentur*, et neſcio, unde ex abdito erutae, atque in hoc oratore dominabuntur. non abhorret ab hoc argumento ARISTOTELES *rhet. lib. II. cap. XL. fol.* 255. *b.* ubi naturam et laudem ſententiarum exponit. DEMETRIVS PHALEREVS, qui genus hoc ἰσχνόν epiſtolis cum maxime uindicat, paroemias quidem ei concedit, ſententias nimium artis exiſtimat habere. ſic enim *περὶ ἑρμηνείας* p. 87. *κάλλος μέν τοι* inquit, *αὐτῆς ἅιτε φιλικαὶ φιλοφρονήσεις: καὶ πυκναὶ παροιμίαι ἐνοῦσαι, καὶ τοῦτο γὰρ μόνον ἐνέστω αὐτῇ σοφὸν, διότι δημοτικόν τι ἐστιν ἡ παροιμία καὶ κοινόν· ὁ δὲ γνωμολογῶν, καὶ προτρεπόμενος, οὐ δι ἐπιστολῆς ἔτι λαλοῦν τι ἔοικεν, ἀλλὰ μηχανῆς.* i. e: *pulcritudo enim illius amicae benignitates, et crebro inſerta prouerbia. et hoc ſolum inſit illi ſapiens, propterea quod populare quiddam eſt paroemia et uulgo notum. qui uero ſententias loquitur et ſerio cohortatur, non per epiſtolas loquenti amplius uidetur ſimilis, ſed per artem.* ſed errat uir

Q eru-

eruditus. niſi enim in epiſtolis moratum illud regnet dicendi genus, probandae non ſunt, quod uidebimus infra. adde huc etiam STREBAEVM l. c. p. 283.

§. VIII.

VTEMVR autem cum fructu hoc dicendi genere in epiſtolis (1), in dialogis (2), in programmatibus (3), in diſſertationibus et libris dogmaticis (4), denique uel in ipſis orationibus (5), nec non in hiſtoriis conſcribendis (6).

(1) PHALEREVS l. c. p. 85. ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ ἐπιστολικὸς χαρακτὴρ δεῖται ἰσχνότητος, καὶ περὶ αὐτοῦ λέξομεν. i. e. *quoniam uero et ſtilus epiſtolaris requirit gracilitatem, de eo etiam dicemus.* quum autem non unius ſint generis epiſtolae, huc ſpectare cum primis, quae ad amicos et familiares exarantur, nemini non perſpicuum eſt. in iis enim propius accedimus ad gracile hoc genus, quum nec omnem reſpuamus ornatum, nec nimis comto etiam utamur genere dicendi. reliquarum ratio, quae pertinent ad elaboratiores epiſtolas, exaranturque ad uiros honoratiores, plus ſtudii, aliumque ſtilum requirunt. ſequutus eſt hoc dicendi genus familiare, in epiſtolis ſuis CICERO, partim in iis, quas ad TIRONEM et TERENTIAM ſuam, partim etiam in iis, quas ad ATTICVM dedit: quamquam nec harum eadem omnium ſit ratio. quo et illarum plures pertinent,

tinent, quas ad diuerſos ſcripſit idem uir celebratisſimus.

(2) hoc dicendi genere dialogos quoque conſcribendos eſſe, uel inde probari poteſt, quod imitari debent ſermonem quotidianum, qui inter familiares obtinet. neque enim dialogi aliud quid ſunt, quam duorum epiſtolae inter ſe coniunctae, quidquid etiam uideatur uiris non nullis eruditis. recte ARTEMON apud PHALEREVM *περὶ ἑρμηνείας* p. 85. illud adſerit, quamquam nec ipſi DEMETRIO probetur. en uerba! *Ἀρτέμων μὲν οὖν, ὁ τὰς Ἀριστοτέλους ἀναγράψας ἐπιστολὰς, φησὶν, ὅτι δεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τρόπῳ διάλογόν τε γράφειν καὶ ἐπιστολάς. εἶναι γὰρ τὴν ἐπιστολὴν οἷον τὸ ἕτερον μέρος τοῦ διαλόγου.* *ARTEMON igitur, qui ARISTOTELIS publicauit epiſtolas, dialogum adfirmat eodem, quo epiſtolas, modo ſcribendum eſſe. uideri enim epiſtolam quaſi alteram partem dialogi.* hoc in dicendi charactere ex latinis ueteribus excellunt PLAVTVS atque TERENTIVS, ex recentioribus ERASMVS roterodamus, et IACOB PONTANVS.

(3) programmata quum aut indicent aliquid, aut praeparent lectores ad audiendum: lectorum omnino intereſt, ut gracili conſcribantur ſtilo, cuius praecipua uirtus eſt perſpicuitas. quodſi tamen quaedam ſunt indicenda, quae momentum maius trahunt; aut ad res ſollemniores adhibentur conſignandas: elatiori quoque forma utendum eſſe et ſtilo grandiori, nemo fortaſſe negauerit.

(4) idem habendum prorſus eſt de diſſertationibus, deque libris docendae iuuentuti conſecratis. quum enim palmaris ſit docentium uirtus, ut ſermone utantur plano, ut perſpicuo, ut facili; ut res proponant ordine naturali; ut argumentis dicant; utque argute procedant plerumque: haec omnia conuenire ſtilo ſubmiſſo, qui CICERONEM legerit, facile concedet. quo in genere commendandus eſt praecipue CICERO in ſcriptis rhetoricis et philoſophicis, praeſertim iis, quae de *officiis* agunt. ex recentioribus huc ſpectant GOTTLIEB WERNSDORFIVS, IO. FRANC. BVDDEVS, IO. LAVRENTIVS MOSHEMIVS, IO. GEORG. WALCHIVS, HIER. NIC. GVNDLINGIVS, IO. GOTTLIEB HEINECCIVS, IO. GVIL. BERGERVS, CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, IACOBVS BVRCKHARDT, uterque SCHWARTZIVS, IO. MATTH. GESNERVS, IO. HENR. KROMAYERVS.

(5) non enim omnes ac ſingulae, quae habentur, orationes, de id genus rebus habentur, quibus enarrandis ſublimior admoueri ſtilus poſſit. rebus enim adcommodanda ſunt uerba, atque adeo pro materiarum, quas tractamus, gracilitate, gracili quoque utendum eſt dictione. ſed nec in ſublimi orandi genere partes omnes eadem incitatione, eodem ardore, eodem genere, pertractantur. narrationes, partitiones, definitiones, deſcriptiones, gracilitatem quamdam requirunt, quod rectiſſime iam monu

nuit STREBAEVS de *uerborum electione* p. 274. id quod etiam ex ipſa CICERONIS pro ROSCIO oratione demonſtrari poteſt.

(6) hiſtoriae quum rerum geſtarum notitiam ſuppeditent, planius eſt, ſi ſtilo facili perſpicuo et profluenti conſtruantur. recte hanc ob cauſſam NEPOS, SVETONIVS et EVTROPIVS, in enarrandis rebus geſtis gracilem hanc formam imitati, nobis, quod ſequeremur, exemplar reliquerunt. C. IVLIVS CAESAR etſi magnam partem huc referendus ſit, ſaepius tamen adſurgit, et ad genus mediocre accedit. hunc in cenſum meliori iure ueniunt rei rusticae ſcriptores, quos MDCCXXXV. anno, duobus tomis in 4. diuulgauit elegantisſime IO. MATTH. GESNERVS, gottingenſium profeſſor celeberrimus, muſisque charisſimum caput.

PARTIS II.

CAP. II.

DE STILO MEDIOCRI.

DICENDORVM ORDO.

ſtili mediocris uaria apud ueteres nomina. eius oppoſitum fluctuans et diſſolutus, §. I. quid ſit ſtilus mediocris §. II. poſtulat omnia, quae in ſtilo tenui erant decora, accedit tamen puritati et elegantiae ſelectus quidam uerborum et formularum §. III.

ſuauitas cum primis in eo requiritur. maior cura uitandi hiatus. numerus plenior §. IV. er-

ornatus copioſior in tropis et figuris et genus dicendi γλαφυρὸν §. V.

quid in ſententiis obſeruet et ſalibus ſpargendis §. VI.

ubi locus huic formae ſit dandus? in orationibus panegyricis, hiſtoria pragmatica, epiſtolis moratis, programmatibus et uitae deſcriptionibus §. VII.

§. I.

PROGREDIMVR nunc ad illud dicendi genus, quod mediocre dicitur atque ab aliis modo *temperatum* ac *modicum* (1), modo *aequabile*, *medium* ac *floridum* (2), modo *interiectum* aut *intermedium* (3) uocatur. oppoſitum huic eſt *fluctuans* ac *diſſolutum*, quod ſine neruis et articulis fluctuat huc illuc, nec poteſt confirmare, nec uiriliter ſeſe expedire (4).

(1) hoc nomine inſignitur ab ipſo CICERONE in *oratore* p. 677. medius ille autem, *inquit*, quem *modicum* et *temperatum* uoco, ſi modo ſuum illud ſatis inſtruxerit: non extimeſcit ancipites dicendi incertosque caſus.

(2) FABIVS *lib. XII. cap. X. p.* 720. tertium *inquit*, alii *medium* ex duobus, alii *floridum*, namque id ἀνθηρὸν adpellant, addiderunt. adde REYHERVM in *rhetor. practica* p. 175. in primis CICERONEM de *optimo genere orator.* p. 777. oratorum autem, *inquit*, ſi quis ita numerat plura genera, ut alios grandes, aut graues, aut copioſos: alios tenues, aut ſubtiles,; alios eis *interiectos* et tamquam *medios* putet; de hominibus dicet aliquid, de re parum.

(3) ſic nuncupauit STREBAEVS de *uerborum conlocatione*, qui p. 268. nomina fere omnia coniungit. alterum, *inquit*, aut *interiectum*, aut *intermedium*, aut *ſuaue*, aut *temperatum*, aut *mediocre*, aut *aequabile*.

(4) quandocumque ergo pura miſcentur impuris, concinna diſſolutis, ſublimibus ſubmiſſa, incomtis ornata: inaequalis iſta dicendi figura exoritur, quam merito *fluctuantem* dixeris. confer CORNIFICIVM aut *auct.* ad HERENNIVM *lib. IV. p.* 181. non poteſt facile uitium excogitari abſurdius, quam illud incertum ac uagum genus, quod ipſum confirmat celeb. HEINECCIVS in *fundamentis ſtili* p. 95.

§. II.

DESIGNAMVS per hanc dicendi figuram id, quum inter ſublimem ac ſubmiſſum characterem media uia incedimus, neque ad ſuperioris maieſtatem, nec ad poſterioris acumen inclinantes (*).

(*) CICERO in *oratore* p. 658. ſic definit: eſt autem quidam *interiectus*, *inter hos medius*, et quaſi *temperatus*, nec *acumine* poſteriorum, nec *fulmine* utens ſuperiorum, ut cinnus amborum, in neutro excellens, utriusque particeps, uel utriusque, ſi uerum quaerimus, potius expers.

§. III.

EXINDE perſpicuum eſt, nihil ab iſto,

 quem

quem depingimus héic, oratore negligi oportere, quod tenui ac ſubmiſſo decori erat: quin addenda potius quaedam, et propius ad grauem ſtilum et copioſum accedendum eſſe, haud uane arbitramur. hinc de puritate (1), perſpicuitate, atque elegantia dubitabit nemo; quibus ſelectus quidam in uerbis et formulis adiungi meretur (2).

(1) quum in tenui uitium eſſet oratore, niſi pure latineque diceret: quid de temperato et moderato dicendum erit, in quo iſtius uirtutes nouis extollendae ſunt coloribus? ubi porro facilitas quaedam et aequabilitas teſte CICERONE in *oratore* p. 658. regnare debent; ibi ſane neque genus inquinatum, neque obſcurum, neque diſiunctum laudem meretur.

(2) uocatur enim haec forma CICERONI *uberior*, aliquantoque *robuſtior*, quam iſta humilis, de qua dictum eſt in *oratore* p. 675. cuius robur etſi in figuris uerborum ſententiarumque in primis conſiſtit: multum tamen in uerborum delectu, concinnaque dictione ſitum eſt. conabitur ergo is modicus et temperatus, ex ampliſſima latinitatis copia haec ſeligere, quae rebus praecipue conueniunt; ſimulque ſtudium aliquod in decenti rerum nomenclatura conlocabit.

§.

§. IV.

SVAVIS etiam modicus ille (1) orator requiritur. cauebit ergo maiori cura uocum hiatus et conſonantium (2) duritiem. numeri quamuis ad grandem illam pleniſſimi ſermonis normam minime profundantur: ſtudioſius tamen paullo, ac eſt in ſubmiſſa oratione, inſinuentur (3).

(1) id enim praecipuum uult eſſe CICERO in *oratore* p. 675. hoc in genere, neruorum uel minimum, *ſuauitatis* autem eſt uel *plurimum*. eſt enim plenius, quam hoc enucleatum; quam autem illud ornatum, copioſumque, ſubmiſſius. huic omnia dicendi ornamenta conueniunt, *plurimumque eſt in hac orationis forma ſuauitatis.*

(2) egimus iam ſupra de hac ſuauitate *part. I. cap. III. §. V. ſeqq.* quae heic repetenda. digna ſunt STREBAEI uerba, quae inluſtrationis gratia ſubiiciantur. ita is de *uerborum electione* p. 297. ſic iungantur in coagmentatione, ut neque aſperos habeant concurſus, neque disiunctos atque hiantes. nam iunctura lenis atque aequabilis habet *ſuaue quiddam*, quo maxime commendatur haec forma.

(3) quem iam laudauimus STREBAEVS p. 297. expleantur, *inquit*, numeri, et ad aurium uoluptatem circumferatur ambitus multo

to crebriores, quam uel in humili, uel in ſublimi genere dicendi. ipſe CICERO in *orat.* p. 705. paeana maxime commendat atque dactylum, ubi ſimul regulam commendat, quae hoc in genere notanda eſt. ita in uaria, *pergit*, et perpetua oratione hi ſunt inter ſe miſcendi et temperandi: ſic minime animaduertetur delectationis aucupium, et quadrandae orationis induſtria: quae latebit eo magis, ſi et uerborum et ſententiarum ponderibus utemur. habet etiam non nulla, quae huc ſpectant, PHALEREVS περὶ ἑρμηνείας p. 70. in charactere γλαφυρῷ, quem huc refert ipſe CICERO, in *oratore* p. 676.

§. V.

QVVM ſuauitas praecipua huius formae uirtus ſit: tum copioſior etiam ornatus (1) locum inuenit. translationes requirit hoc genus crebriores (2); et ſchemata, niſi uehementisſima illa, excludit (3) nulla; continuationes etiam ſaepius habet, neque longiores omittit. referas huc etiam non immerito floridum illud orationis genus (5) quod γλαφυρὸν graecis dicitur.

(1) patet hoc abunde CICERONIS ex loco quodam, producto iam §. IV. not. (1).

(2) CICERO in oratore p. 676. in idem, *inquit*, genus orationis, loquor enim de illa modica ac temperata, uerborum cadunt lumina

na omnia. multa etiam ſententiarum; latae eruditaeque diſputationes ab eodem explicantur, et loci communes ſine contentione dicuntur. egregie profecit hoc doctore STREBAEVS, qui l. c p. 297. ſic ſint crebrae, *inquit*, translationes, quibus nihil eſt iucundius, niſi quum longius petuntur. frequentetur hypallage, et, ut cum CICERONE dicam, ex contrariis ſumta uerbis, crebra crebris, paria paribus reſpondeant: relataque ad idem uerbum et geminata, atque duplicata, uel etiam ſaepius iterata ponantur, conſtructioque uerborum tum coniunctionibus copuletur, tum diſſolutionibus relaxetur.

(3) declarat CICERO DEMETRII PHALEREI exemplo, cuius orationem ob has uirtutes cum maxime commendat in *oratore* p. 676. uehementes autem iſtas figuras quum ſublime dicendi genus ſibi uindicet, tum CICERONIS auctoritate ſeiungat a ſe temparatus orator. l. c.

(4) tenuis forma comprehenſionibus non numquam utitur, iisque breuioribus, (cap. I. §. IV.) ſublimis ob concitationem, uehementiam, ardorem, ſaepe conuerſionibus partium quatuor, ſaepe ultra limites procedit: ſaepe inciſim, ſaepe membratim dicit. relinquitur ergo modico noſtro et temperato, ut copioſius utatur iſtis uerborum continuationibus, et ultra tria membra haud facile procedat, niſi aequabilitatem iſtam, quae tantopere ornat medium, migrare uelit, atque illud etiam

eſt,

eſt, quod ſibi uult DEMETRIVS p. 71. *περὶ ἑρμηνείας* dum ita Πλάτων *μέν τοι, ἐν πολλοῖς αὐτῷ τῷ ῥυθμῷ γλαφυρός ἐστιν ἐκτεταμένῳ πως, καὶ οὔτε ἕδραν ἔχοντι, οὔτε μῆκος. τὸ μὲν γὰρ, ἰσχνὸν καὶ δεινόν. τὸ δὲ μῆκος, μεγαλοπρεπές. ἀλλ' οἷον ὀλίσθῳ τινὶ ἔοικε τὰ κῶλα, καὶ οὔτε μέτροις παντάπασιν, οὔτε ἀμέτροις.* i. e. *PLATO ſane in plurimis ipſa hac modulatione floridus eſt extenſa forte paullulum, et neque certam ſedem, neque iuſtam longitudinem habente. illud enim gracile et callidum; hoc magnificum. ſed quaſi cadente cuidam ſimilia membra uideantur, et neque plane numeroſa, nec ſine omni numero.*

(5) facit hoc CICERO in *oratore* p. 676. quid multa? e philoſophorum ſcholis tales fere euadunt: et, niſi coram erit comparatus ille fortior; per ſe hic, quem dico, probabitur. eſt enim quoddam etiam inſigne et *florens* orationis, *pictum* et politum genus, in quo omnes uerborum, omnes ſententiarum inligantur lepores. hoc totum e ſophiſtarum fontibus defluxit in forum; ſed ſpretum a ſubtilibus, repulſum a grauibus in ea, de qua loquor, mediocritate conſedit.

§. VI.

NEC a ſententiis, quae acute ſunt excogitatae, noſter abſtinebit orator. quum enim ex philoſophorum ſchola totus ueniat (1), quin et iis proferendis uim aliquam et uenuſtatem oſtendere de-

debeat, nemo dubitabit. in ſalibus ſpargendis, ubi res poſtulat, parcum eſſe haud decet (2).

(1) perſpicitur id ex §. V. not. 5.

(2) fontes horum ſalium, et, ut a CICERONE uocantur, ridiculorum detecti ſunt a duumuiris celeberrimis DEMETRIO PHALEREO et CICERONE. ille *περὶ ἑρμηνείας* p. 56. ſeq. non tantum qui ſunt *ἐν λέξει*, ſed et *ἐν τοῖς πράγμασι* ſignificat, inluſtratque exemplis: hic uero de *oratore* lib. II. p. 472. *ſeqq.* iisdem fere inſiſtit ueſtigiis. ad diſciplinam CICERONIS eosdem produxit HEINECCIVS in *fundam. ſtili.* p. 124. adiungi poteſt ARISTOTEL. *rhet. lib. III. cap. XII. fol.* 357.

§. VII.

VTEMVR autem hoc orationis genere in panegyricis (1), in hiſtoriis eloquentia ueſtitis, quas pragmaticas (2) dicunt, in epiſtolis (3), quae ultra ſpeciem tenuitatis adſurgunt, in programmatibus (4) et orationibus (5), in uitarum denique deſcriptionibus (6).

(1) in media ſedent encomia et panegyrici, in quibus eſt dulce orationis genus, et ſolutum et effluens et uerbis ſonorum, ita STREBAEVS de *uerbor. electione* p. 301.

(2) occurrunt ſaepe hiſtoriarum ſcriptores, qui praeter ſimplicem iſtum narrandi morem, adſurgunt

gunt paullulum, et concinno ſuauique ſtilo legentium aures demulcent, uariisque translationum luminibus, ueluti ſtellis, orationem diſtinguunt. hunc in cenſum ueniunt ex ueteribus LIVIVS, PATERCVLVS, TACITVS, immo ſi uoces quasdam aeuo imputandas exceperis, etiam IVSTINVS; ex recentioribus HERTIVS, SLEIDANVS, THVANVS, CELLARIVS, MOSHEMIVS.

(3) ſcribuntur etiam ad uiros dignitate conſpicuos epiſtolae, quae decori cauſſa, praeter moratum dicendi genus, elaboratum quid et concinnum et ornatum ſpirant, quo ipſo ad medium ac temperatum characterem recte referuntur. huius cenſus ſunt CICERONIS epiſtolae, quas ad imperatores, ad conſules deſignatos, ad ſenatum dedit; non paucae, quas exarauit ad ATTICVM, cum primis ad fratrem quae datae ſunt, et pleraeque omnes PLINII. hodie, quum mores dedicandi libros inoleuerint; fieri ſolet litteris, ut foetum noſtrum, nosque ipſos, patronis commendemus. quo in genere praeſtant aliis BERGERVS, BOEHMERVS, VOCKERODT, POSNERVS, SCHWARTZIVS, WALCHIVS, GESNERVS.

(4) ſollemnia quum indicenda ſint uel feſta, uel alius generis momenta: paullulum extollendus eſt, ultra ſubmiſſum illud et ſubtile genus, noſter ſtilus. hinc programmata rebus ſollemnibus dicata mediocri ſer-

ſermone conſcribenda ſunt, niſi, rem inſignem uerbis tenuibus et ſubmiſſis exponendam eſſe, arbitratus fueris. huius generis ſcripſit plura SCHVRTZFLEISCHIVS, GVNDLINGIVS, BVRCKHARDVS, SYRBIVS, HEVMANNVS, et nuperrime excellentiſſimus GEBAVER, quum academiam gottingenſem exordiretur, et ſcholas aperiret.

(5) pleraeque orationes, quae nunc habentur, aut panegyricae ſunt, aut ſcholaſticae. illae ſublimi, hae mediocri formae uindicari debent. hinc legendi ſunt ex ueteribus in orationibus non nullis CICERO, ex recentioribus BVDDEVS, MOSHEMIVS, WALCHIVS, HEVMANNVS, SCHWARTZIVS, FACCIOLATVS, KAPPIVS, REVSCHIVS.

(6) haec quum ſaepe in laudem ſcribantur, habent aliquid floridi et interiecti inter ſublime et humile. quo et programmata iſta, quae in ſollemnibus uirorum doctorum exſequiis diuulgari ſolent, reuoces. excellunt in hoc genere CAMERARIVS, POSNERVS, SVANTENIVS, WALCHIVS, FABRICIVS.

PAR-

PARTIS II.

CAP. III.

DE STILO SVBLIMI.

DICENDORVM ORDO.

ſtili ſublimis nomina. eius oppoſitum ſtilus ſufflatus et frigidus §. I.
definitio ſtili ſublimis § II.
tribus modis grandis fit oratio, primum compoſitione, cuius ſeptem modi producuntur. §. III.
nimirum membrorum longitudo §. IV.
numerus §. V.
circumducta oratio §. VI.
compoſitio aſperior §. VII.
ſtructura uerborum et particularum §. VIII.
figurae dictionum §. IX.
concurſus uocalium §. X.
grandis etiam fit oratio rebus, quae ſunt uel diuinae, uel humanae §. XI.
denique grandis fit oratio uerbis, quorum undecim genera nominantur §. XII.
nimirum uerba translata §. XII.
uerba ex coniunctione facta §. XIV.
ſoluta §. XV.
nouiter excogitata §. XVI.
allegorica §. XVII.
praeciſa §. XVIII.
in principio iterata §. XIX.
caſibus et modis inflexa §. XX.
ſimilia et aſpera §. XXI.
epiphonematica §. XXII.
poetica §. XXIII.
exempla quaenam nobis in hac dicendi forma cum ex ueteribus tum ex recentioribus commendanda §. XXIV.

§. I.

PERFECTISSIMVS omnium character orationis eſt (1) grandis ille, quem *ualidum*, *grandem* atque *robuſtum* (2) nomi-

minat FABIVS; *grauem* CORNIFICIVS (3), et ipſe TVLLIVS modo *grandiloquum*, *uehementem*, *uarium*, *copioſum*, *grauem* (4); modo *ampliſſimum* (5) modo *amplum*, *copioſum*, *grauem*, *ornatum* (6); modo *excelſum*, *magnificum*, *grandem* (7); modo *grandem* et *grauem* (8) uocat. cui opponitur genus dicendi ſufflatum et frigidum (9), quod et in uerbis ineptum tumorem, et in ſententiis frigidas ſequitur argutias.

(1) ita hunc ſane praefert omnibus CICERO paſſim; atque FABIVS etiam *inſtitut. orat. lib. XII. cap. X. p.* 721. *quare ſi ex tribus his generibus* neceſſario ſit eligendum unum, quis dubitet, hoc praeferre omnibus et *ualidiſſimum* alioqui, et maximis quibusque cauſſis *adcommodatiſſimum.*

(2) *inſtitut. orat.* lib. XII. cap. X. p. 720. ubi ita: *alterum*, inquit, *grande* atque *robuſtum*, *quod conſtituunt* ἁδρόν.

(3) ad HERENNIVM *lib. IV. p.* 177. uerba iam dedimus ſupra *cap. I. §. II. not. 2. p.* 233.

(4) in *oratore* p. 658. tria ſunt omnino genera dicendi, quibus in ſingulis quidam floruerunt, peraeque autem, id quod uolumus, perpauci in omnibus. nam et *grandiloqui*, ut ita dicam, fuerunt cum ampla et ſententiarum grauitate et maieſtate uerborum, *uehementes*, et *uarii*, *copioſi*, *graues* cet.

(5) in *oratore* p. 675. *uberius eſt aliud, aliquantoque robuſtius, quam hoc humile, de quo dictum eſt; ſubmiſſius autem, quam illud, de quo iam dicetur*, ampliſſimum.

(6) l. c. p. 677. tertius eſt ille *amplus, copioſus, grauis, ornatus*, in quo profecto uis maxima eſt.

(7) iterum in *oratore* p. 682. quem etiam, quo *grandior* ſit, et quodam modo *excelſior*, ut de PERICLE dixi ſupra, ne phyſicorum quidem eſſe ignarum uolo. omnia profecto, quum ſe a caeleſtibus rebus referet ad humanas, *excelſius magnificentiusque* et dicet, et ſentiet.

(8) *oratorum autem ſi quis ita numerat plura genera, ut alios* grandes *aut* graues, *aut* copioſos; *alios* tenues, *aut* ſubtiles, *aut* breues; *alios eis* interiectos *et tamquam* medios *putet: de hominibus dicet aliquid, de re parum.* ita CICERO *de optimo genere oratorum* p. 777.

(9) expoſuit hanc rem ita CORNIFICIVS lib IV. ad HERENNIVM p. 181. *graui figurae, quae laudanda eſt, propinqua eſt, ea, quae fugienda eſt, quae recte uidebitur adpellari, ſi* ſufflata *nominabitur. nam ut corporis bonam habitudinem imitatur ſaepe: ita grauis oratio ſaepe imperitis uidetur ea, quae* turget et inflata eſt; *quum aut nouis, aut priſcis uerbis, aut duriter aliunde translatis, aut grauioribus, quam res poſtulat, aliquid dicitur hoc modo:* nam qui perduellionibus uenditat patriam, non ſatis ſupplicii dederit, ſi praeceps in neptunias depultus erit lacunas.

poe-

poenitet igitur iſtum, qui montes belli fabricatus eſt, campos ſuſtulit pacis. *in hoc genus plerique quum declinaſſent, et ab eo, quo profecti ſunt, aberrauerunt, et ſpecie grauitatis falluntur, nec proſpicere poſſunt orationis tumorem.* copioſius paullo rem docuit PHALEREVS *περὶ ἑρμηνείας* p. 47. ſeqq. ex quo ſua hauſit VOSSIVS *inſtitut. orator. lib. VI. p.* 455. HEINECCIVS in *fundam. ſtili p. I. cap. II. p.* 99. WALCHIVS in *hiſtoria critica lat. ling. p.* 162. ex huius doctrina τὸ ψυχρὸν oritur ex *ſententia, uerbis, compoſitione.* ex ſententia, quum quis aut res exiles uerbis magnificis effert; aut, quae prorſus fieri nequeunt, tamen audet proloqui. exemplum in DEMETRIO hoc eſt: καθάπερ ἐπὶ τοῦ κύκλωπος λιθοβολοῦντος τὴν ναῦν τοῦ Ὀδυσσέως, ἔφη τις, φερομένου τοῦ λίθου, αἶγες ἐνέμοντο ἐν αὐτῷ. ἐκ γὰρ τοῦ ὑπερβεβλημένου τῆς διανοίας καὶ ἀδυνάτου, ἡ ψυχρότης. i. e. *quemadmodum de CYCLOPE, nauim VLYSSIS lapidibus petente, non nemo dixerat: uolante per aerem lapide, caprae in ipſo paſcebantur. etenim ex ſententia fidem excedente oritur hoc frigus.* ex *uerbis* hoc frigus procreſcit, quum aut ab uſu longe ſunt remota, aut peregrina, aut epitheta intempeſtiua, aut translata indecore. ex *compoſitione*, ſi numeri non habeatur ratio, ut quum longae ſyllabae cumulentur hoc modo. ἥκων ἡμῶν εἰς τὴν χώραν· πάσης ἡμῶν ὀρθῆς οὔσης. uel numerus poeticus ſi aperte inſeratur, nec furtim uideatur coagmentatus. ψυχρὸν δὲ inquit DEMETRIVS p. 49. καὶ τὸ μέτρα τιθέναι

συνεχῆ, καθάπερ τινὲς, καὶ μὴ κλεπτόμενα ὑπὸ τῆς συνεχείας. i. e. *frigidum etiam eſt numeros ponere perpetuos, quod ſolent quidam, et non occultare continuum.* cum primis autem huc refert hyperbolen: μάλιστα δὲ ἡ ὑπερβολὴ ψυχρότατον πάντων p. 51. rationem ſubiungit p. 52. διὸ δὴ καὶ μάλιστα ψυχρὰ δοκεῖ πᾶσα ὑπερβολή, διότι ἀδυνάτῳ ἔοικε. i. e. *propterea uero cum primis frigida uidetur hyperbole, quod illa rebus, quae fieri nequeunt, eſt ſimilis.*

§. II.

EST autem nobis grandis oratio, quando de rebus arduis (1) ac uehementibus, uerbis ſelectis et magnis, translatis excelſioribus, ſententiis grauiſſimis, compoſitione ſedula, dicere ſolemus (2).

(1) falluntur egregie, qui eam grandem iudicant orationem, quum rebus exilibus eam ueſtem circumiiciunt, quae ſplendida eſt, et gemmis fulget. quodſi enim, naturam ſequi, prudentes decet: res exiles enarrandae ſunt ſubmiſſe, mediocres modice, et magnificae copioſe ac grauiter. hoc uitio ſeſe macularun cum primis FLORVS, APVLEIVS, CASSIODORVS, ENNODIVS, alii. ſed et olim fuiſſe eius generis oratores, patet ex DEMETRIO PHALEREO l. c. p. 47. καί τοι τινές φασι, δεῖν τὰ μικρὰ μεγάλως λέγειν, καὶ σημεῖον τοῦτο ἡγοῦνται ὑπερβαλλούσης δυνάμεως.

ἐγὼ

ἐγὼ δὲ Πολυκράτει μὲν τῷ ῥήτορι συγχωρῶ, ἐγκωμιάζοντι, ὡς Ἀγαμέμνονα ἐν ἀντιθέτοις καὶ μεταφοραῖς, καὶ πᾶσι τοῖς ἐγκωμιαστικοῖς τρόποις· ἔπαιζε γὰρ, οὐκ ἐσπούδαζε. καὶ αὐτὸς τῆς γραφῆς ὁ ὄγκος παίγνιόν ἐστι· παίζειν μὲν δὴ ἐξέσω, ὥς φημι· τὸ δὲ πρέπον ἐν παντὶ πράγματι φυλακτέον : τουτέστι, προσφόρως ἑρμηνευτέον : τὰ μὲν μικρὰ, μικρῶς· τὰ μεγάλα δὲ, μεγάλως. i. e. *atqui dicunt non nulli, oportere exilia dici magnifice, ſignum que illud non mediocris uirtutis exiſtimant. equidem POLYCRATI, rhetori, qui e. c. AGAMEMNONEM laudat oppoſitis et translatis et omnibus modis in laudationibus obuiis, facile hoc concedo. ludit enim, non ſerio rem agit. ipſe nimirum ſcriptionis labor ludus quidam eſt : ludere ergo, ut dixi, licet : in ipſo autem negotio decorum eſt obſeruandum. h. e. commode unum quodque exponendum, exilia nimirum exiliter, magna uero magnifice.*

(2) conſentit haec noſtra definitio prorſus cum ea, quam dedit *auctor* ad HERENNIVM *lib. IV. p.* 178. in graui conſumetur oratio figura, ſi, quae cuiusque rei poterunt ornatisſima uerba reperiri, ſiue propria, ſiue translata, ſiue extranea, ad unam quamque rem adcommodabuntur, et, ſi graues ſententiae, quae in amplificatione, et commiſeratione tractantur, eligentur; et ſi exornationes ſententiarum, aut uerborum, quae grauitatem habebunt, de quibus poſt dicemus, adhibebuntur. legendi praecipue de hoc charactere ſunt DIONYSIVS LONGINVS περὶ

ὕψες et PHALEREVS περὶ ἑρμηνείας p. 19. ſeqq. quem ante alios ſequi mens eſt.

§. III.

TRIBVS potisſimum rationibus ſublimis efficitur oratio, compoſitione, rebus, ac uerbis: quibus enarrandis iam occupabimur. ad *compoſitionem* quod adtinet, ſeptem fere modis orationem ea reddit magnificam, membrorum nempe longitudine, numero, circumducta oratione, uerbis aſperis, ſtructura uerborum et particularum, figuris dictionum, et uocalium concurſu.

§. IV.

PRIMVM, quod in compoſitione commendatur, membrorum eſt longitudo: illa enim membra ſi paullum fuerint longiora, exſpectationem in auditore prouocant, quod eſt ſublime (1). huc etiam recte referuntur comprehenſiones longisſimae, quatuor nimirum partium, quibus eleganter uſus eſt CICERO (2).

(1) hinc et ipſe DEMETRIVS, carmen hexametrum ob magnitudinem heroicum dictum fuiſſe, adſerit: διὰ τῦτο καὶ ἑξαμέτρον ἡρῶον τε ὀνομάζεται ὑπὸ τῦ μήκες, καὶ πρέπον ἥρωσιν· p. 3. ubi de membrorum magnitudine agit.

(2)

(2) de quibus ſupra *part. I. cap. IV. ſect. III. §. XII. ſeqq. p.* 206. praecipimus. praecipit idem DEMETRIVS p. 10. qui maxime ultimum colon uult eſſe longisſimum. ἐν δὲ ταῖς συνθέτοις περιόδοις τὸ τελευταῖον κῶλον μακρότερον χρὴ εἶναι, καὶ ὥσπερ περιέχον καὶ περιειληφὸς τὰ ἄλλα. οὕτω γὰρ μεγαλοπρεπὴς ἔσται καὶ σεμνὴ περίοδος, εἰς σεμνὸν καὶ μακρὸν λήγουσα κῶλον. εἰ δὲ μή, ἀποκεκομμένη, καὶ χωλῇ ὁμοία. i. e. *in compoſitis autem periodis ultimum membrum fiat prioribus aliquanto maius, et quaſi eminens et complexum reliqua. ſic enim magnifica erit et ſplendida circuitio, quum in magnum atque ſplendidum deſinit membrum. ſin uero minus: praeciſae et claudicanti ſimilis erit orationi.*

§. V.

ALTERVM, quod in compoſitione grandem efficit ſermonem *numerus* (1) eſt. qui quo curatius obſeruatur, eo ſublimior euadit ipſa oratio. quumque is uel in mediocri iam commendabilis fuit figura (2), quin in hoc concitato genere ſit adhibendus, dubitari profecto non poteſt.

(1) ad numerum orationis excelſae quod adtinet, paeanes tum primi, tum quarti ab omnibus fere graecis habentur elegantisſimi; ita tamen, ut primus ille, qui a longa ſyllaba exorſus in breues deſinit, adhi-

beatur ſurgenti ; ultimus uero, qui a breuibus orſus in longam deſinit, finienti commodiſſimus iudicetur orationi. lege hic DEMETRIVM p. 20. et ſi minus a paeane comprehenſio quaedam poſſit inchoari, ſimile tamen quid, aut, ut cum DEMETRIO loquar, παιώνικόν τι quaeramus. ſpondaeus, qui crebro adhibetur, retardat orationem et aures laedit, DEMETR. p. 22. aliter ſentit LONGINVS περὶ ὕψους p. 224 ed. VERON. MDCCXXXIII. 4. qui numerum dactylicum praeſtantisſimum dicit. ἀλλ' αὐτῆς τῆς διανοίας οὐκ ἔλαττον τῇ ἁρμονίᾳ, πεφώνηται· ὅλον τε γὰρ ἐπὶ τῶν δακτυλικῶν εἴρηται ῥυθμῶν· εὐγενέστατοι δ' οὗτοι, καὶ μεγεθοποιοί· διὸ καὶ τὸ ἡρῷον ὧν ἴσμεν κάλλιστον, μέτρον συνιστᾶσιν. i. e. *uerum non minus illo numeri concentu, quam ſententia ipſa, grandis eſt oratio. tota enim numeris conſtat dactylicis ; qui per ſe ſunt generoſi et ad magnificentiam faciunt. unde et heroicum carmen, eorum, quae nouimus, pulcerrimum conſtituunt.* ceterum conferenda ſunt, quae generatim ſupra de numero praecepimus. *part. I. cap. III.* de *ſuauitate ſerm. lat.* §. XII. ſeqq.

§. VI.

CIRCVMDVCTAM etiam orationem non parum conferre ad orationis ſublimitatem (*) ueteres uoluerunt. neque male quidem. facit enim huc multum, quando ultra περικωλίαν ſermonem producimus. ſignum nempe hoc eſt animi ultra mediocritatem elati, qui fere impa-

patiens frenorum eſt, et libere procurrit. uidemus hinc CICERONEM ſaepius per *τάσεις* et *πνεύματα* incedere, ſplendidiusque dicendi genus efformare.

(*) DEMETRIO uocatur *περιαγωγὴ* ſermo circumductus et cumulatus, quo, quae pluribus poſſent, una concluduntur comprehenſione. inluſtrat rem exemplo THVCIDIDIS, cuius uerba ſi ſoluantur, aut crebrioribus nodis incidantur, omnis perit orationis maieſtas. de quo dicendi genere conferendus in primis eſt STVRMIVS de *eloquutione lib. I. cap. IX. lib. III. cap. XIV. et XXXI.* ſpectat huc conſequentium, quae res circumſtant, conlectio, de qua LONGINVS l. c. p. 68. edit. cit. *οὐκοῦν ἐπειδὴ πᾶσι τοῖς πράγμασι φύσει συνεδρεύει τινὰ μόρια ταῖς ὕλαις συνυπάρχοντα, ἐξ ἀνάγκης γένοιτ' ἂν ἡμῖν ὕψους αἴτιον, τὸ τῶν ἐμφερομένων ἐκλέγειν ἀεὶ τὰ καιριώτατα, καὶ ταῦτα τῇ πρὸς ἄλληλα ἐπὶ συνθέσει, καθάπερ ἕν τι σῶμα ποιεῖν δύνασθαι. τὸ μὲν γὰρ, τῇ ἐκλογῇ τῶν λημμάτων τὸν ἀκροατὴν, τὸ δὲ τῇ πυκνώσει τῶν ἐκλελεγμένων προσάγεται.* i. e. *quoniam enim omnibus rebus a natura quaedam particulae inſideant, quae cum ipſis rebus coexiſtunt, fieri nequit, quin altitudinis uideamus cauſſam, ſi ex propoſitis eligamus praeſtantisſima, et, ea quidem conligando inter ſe, tamquam unum aliquod corpus conſiciamus. illud enim, adſumtorum delectu, hoc autem, ſelectorum coaceruatione, auditorem capit.*

§. VII.

ΑΤΣΦΩΝΙΑΝ etiam compoſitionis ad magnificentiam referimus (1). ubi enim aſperior eſt conſonantium concurſus et raucior uerborum ſonus : ibi magnificentius quid ſonare ſolet oratio (2). at enim uero id tum demum probandum eſt, ubi rerum natura uocum aſperitatem quamdam poſtulat : in aliis aequabilis ac laeuis ſtructura maxime commendatur (3).

(1) ita *DEMETRIVS* l. c. p. 24.

(2) demonſtrat id THVCIDIDIS exemplo, qui ubique fere fugiat *τὸ λεῖον καὶ ὁμαλὲς τῆς συνθήσεως*, compoſitionem laeuem atque aequabilem.

(3) de qua re ſupra *part. I. cap. III.* §. 3. *ſeqq. p.* 124.

§. VIII.

SOLERE uerborum etiam ordinem ac coniungendi rationem ſublimitatem quamdam prodere, exemplis oſtendit, quem ſequimur, PHALEREVS. in uerborum ordine ſignificantiora (*) ſequi minus ſignificantia iubet, ut ne a robore deficere uideamur.

(*) *τάσσειν δὲ*, inquit p. 25. *τὰ ὀνόματα χρὴ τόνδε τρόπον· πρῶτα μὲν τιθέναι τὰ μὴ μάλα*

λα ἐναργῆ δεύτερα δὲ καὶ ὕςατα, τὰ ἐναργέςερα· *ordinare nomina ſas eſt boc modo: primo quidem ponenda ſunt non ualde manifeſta, ſequentia uero et ultima manifeſtisſima.* in uinculis autem ponendis primum cauere iubet anxiam illam, quae minuti eſt animi, diligentiam. tum repetitionem eiusdem uinculi commendat, qua grandior fieret oratio. denique particulis utendum eſſe iudicat, quae explendi numeri cauſſa inuentae ſunt. idque ubiuis auctorum locis confirmat.

§. IX.

FIGVRIS atque ſchematibus inluſtriorem fieri ac ſplendidam orationem, ſupra iam oſtenſum eſt, ubi de *ornatu ex figuris oriundo* tractabamus. heic uero dictionis potisſimum figurae ueniunt conſiderandae. ad has autem refertur (1) ἐπαναφορὰ et διάλυσις (2) πολύσυνδετον (3) et ἀναδίπλωσις.

(1) ubi pro caſu conſueto alias, minus conſuetus ponitur. grammatici uocant *ἀντίπτωσιν.* ſic VIRGILIVS, *urbem, quam ſtatuo, ueſtra eſt.*

(2) ubi et idem uerbum repetitur, et, quae coniuncta ſunt, ad amplificandum ſenſum diſſoluuntur. exemplum tamen, quod ex HOMERO de NIREO produxit, non placet; frigidum enim uidetur, rebus paruis magnificam adplicare formam.

(9)

(3) quod res multas coniungit, perque repetitas has coniunctiones uberiorem et ſplendidam reddit orationem.

(4) efficit haec omnino quamdam magnificentiam, cum primis ſi coniuncta ſit cum epanorthoſi. exempla uidimus ſupra, ex CICERONE pro MILONE.

§. X.

VLTIMO denique loco ad magnificentiam orationis in compoſitione non parum confert uocalium concurſus. (1) dubia eſt hac in re ueterum ſententia. ISOCRATES eum maxime fugit, non item THVCIDIDES et PLATO, qui hunc concurſum ſaepe cum cura ſequuntur. CICERO (2) omnino fugiendum eſſe ſuadet; ſed ipſemet in orationibus ita utitur, ut graue quid ſpirare uideatur eius dictio. neque etiam aliter poteſt fieri, quam ut hic concurſus commendetur; quoniam in coagmentata oratione nimia iſta uolubilitas multum de grauitate, quam quaerimus, decerpit. DEMETRIVS medium teneri debere, auctor eſt (3).

(1) DEMETRIVS uocat *σύγκρουσιν φωνηέντων* p. 31. et pagina ſequenti addit *διαιρεθέντα καὶ συγκρουσθέντα εὐφωνότερα*, *ſoluta et concurrentia ſonantiora ſunt.*

(2)

(2) in oratore p. 672.

(3) p. 31-34.

§. XI.

ALTERVM quod ad grandem orationem ducit, in rebus conſiſtit (1). quod enim rebus adcommodanda uerba ſunt, tum demum recte dicemus et grauiter, ſi de rebus excelſis, magnis, grauibus inſtituatur oratio. pertinent uero ad res magnas, partim res *diuinae* (2), partim *humanae* (3), quae uel ad dignitates hominum, uel ad rerum praeſtantiam, reducendae ſunt.

(1) quamquam omnium conſenſu in rebus praecipue quaerenda ſit ſublimitas ac magnificentia: non tamen credendum ſtatim eſt, eum, qui de rebus magnis dicat ſimul grauiter et magnifice loqui. occurrit etenim ſaepe uitium illud, quo humi repentes, nec magni quid concipientes animo, de rebus excelſis humiliter et ſubmiſſe proloquuntur. ita DEMETRIVS quoque p. 34. ὁ γὰρ τοῦ μεγάλου ἀκούων πράγματος, εὐθὺς καὶ λέγοντα οἴεται μεγάλως λέγειν, πλανώμενος· δεῖ γὰρ οὐ τὰ λεγόμενα σκοπεῖν, ἀλλὰ πῶς λέγεται. i. e. *qui enim, dum magnum aliquod negotium auribus percipit, ſtatim quoque, ſi illud enarret, ſe magnifice arbitratur dicere, ualde errat, oportet enim, non quae dicantur, ſpectare, ſed quomodo dicantur.* exemplum adducit THEOPOMPI qui

δει-

δεινὰ ϗ δεινῶς explicuerit ; quamquam aliter de THEOPOMPO iudicat CICERO in BRVTO p. 583.

(2) quaecumque de rebus diuinis ſuſcipitur oratio , niſi uerſemur in docendo , grauibus explicanda uerbis eſt , quo cum primis ſententiae referuntur , quas uel diuinus ſuppeditat codex, ab ipſo LONGINO *ſect. IX. p. 58. ed. cit.* inter ſublimia relatus , uel naturalis philoſophia , uel ſaniores philoſophi ueteres exhibent.

(3) quum in ipſis rebus humanis non eadem ſit dignitatis ratio : proinde nec eodem omnia exaranda ſtilo ſunt. ſublimiora ſunt, quae ad homines in alto dignitatis gradu conlocatos pertinent. ſic, quae de imperatoribus, regibus, ducibus, iudicibus , agunt , ad ſublimia referuntur, eodemque debent orationis genere conſignari. itemque actiones iſtorum hominum quum putentur eſſe praeſtantisſimae : bella , pax, triumphi , uenandi ſtudium , clades , praelia , urbium expugnationes , reliqua , eodem ſpectant. nec excludenda ſunt uitia , uel facinora , quae extra modum prorumpunt. ſic etiam commotiones mentis acutiores, ira , triſtitia, timor, odium cet. grauiter exponendae ſunt et concitate. denique uel in ipſis rebus naturalibus, quibus, aut pretium aliquod adſcripſerunt homines, aut terror animi adiunctus ſolet eſſe : qualia ſunt aurum , argentum, gemmae, ſol, luna, leones, aquilae, tonitrua, terrae motus, aeſtus maris, et quae ſunt alia.

§.

§. XII.

TERTIVM denique, quod grandem reddit ſermonem noſtrum, ex *uerbis* proficiſcitur. illa uero ſunt (*) uerba translata, ex coniunctione facta, ſoluta, nouiter excogitata, allegorica, praeciſa, in principio iterata, caſibus et modis inflexa, ſimilia et aſpera, epiphonematica et tandem poetica.

(1) uerba ponenda ſunt, *inquit CICERO* de *partit. orat.* p. 754. quae uim habeant inluſtrandi, ne ab uſu ſint abhorrentia, grauia, plena, ſonantia, iuncta, facta, cognominata, non uulgata, ſuperlata, in primisque translata, nec in ſingulis uerbis, ſed in continentibus ſoluta, quae dicuntur ſine coniunctione, ut plura uideantur. augent enim relata uerba, iterata, duplicata, et ea, quae adſcendunt gradatim ab humilioribus uerbis ad ſuperiora, omninoque ſemper quaſi naturalis, et non explanata oratio, ſed grauibus referta uerbis, ad augendum adcommodatior.

§. XIII.

AD primum ergo quod adtinet, referimus huc uerba *translata*. uti enim haec ornatum conciliant dictioni: ſic ſplendidam quoque et grandiorem eamdem reddunt. quo magis enim hae uoces remotae ſunt ab uſu communi: eo

ma-

maiorem excitant admirationem ac decus. cautiones tamen heic quaedam (*) obſeruandae ſunt.

(*) cautiones quasdam, quas, qui ὀγκηρόν, τι aut ſublime ſectari cupit, obſeruare debet, adiungit DEMETRIVS l. c. p. 36. ſecundum eius mentem translationes non debent eſſe crebriores, nec longius petitae, ſimilitudine cum maxime adiuncta. qua in re ſimul cauendum eſt, ne a rebus indignis ducantur translationes: δεῖ γὰρ ἐκ τῶν μειζόνων μεταφέρειν εἰς τὰ μικρά. i. e. *decet enim translationem a rebus maioribus ad minores inſtituere.* plura dedimus ſupra de *ornatu rhetorico*.

§. XIV.

Ad alterum ſi reſpiciamus, quod magnum eſt in uerbis, digniora profecto ſunt *compoſita* ſimplicibus, quod plerumque duplicem excitant notionem, et magis ſunt (1) ſonantia. cauendum tamen eſt a uocibus dithyrambicis et poeticis, quae ſaepe uel frigide ſatis componuntur, uel ad riſum captandum excogitantur (2) ſumenda ſunt ea compoſita, quae feliciter exprimunt res indicandas, et quae habent praeciſionem aliquam (3).

(1) hanc ob cauſſam ὀνόματα σύνθετα commendat DEMETRIVS p. 40.

(2)

(2) qualia uidemus in PLAVTO ſaepius. conf. ſupra *part. I. cap. IV. ſect. II. §. IV. not.* 3.

(3) hunc in cenſum refert DEMETR. ea, quibus pro integra definitione uti poſſumus. ὄνομα γὰρ, inquit, τιθήσεται ἀντὶ ὅλȣ τȣ̃ λόγȣ.

§. XV.

EADEM ratione efficiunt ſublimitatem *uerba ſoluta.* uti enim non numquam grauitatem conciliant uerba praeciſa, et coniuncta, ubi pro definitione uerbum ponitur: ſic contra et illud copioſae ac grandi ſeruit dictioni, quum pro *definito* ſumitur integra definitio (*). haec enim aliqua ſolutione circumſcribit copioſe, quae ſicce fuerant et parce dicta.

(*) PHALEREVS ita: τάχα δ' ἂν καὶ λυθέντος ὀνόματος εἰς λόγον ἕτερον τρόπον μεῖζον γένοιτο. i. e. *interdum etiam, ſoluto in definitionem nomine, uerſa ratione maior ſit oratio.* p. 4. adde CICERON. *de partit. orat. cap. VII. p.* 747. eſt itaque id genus totum ſitum in commutatione uerborum: quae ſimplicibus in uerbis ita tractatur, ut aut ex uerbo dilatetur, aut in uerbum contrahatur oratio. ex uerbo, quum aut proprium, aut idem ſignificans, aut factum uerbum in plura uerba deducitur. ex oratione, quum aut definitio ad unum uerbum reuocatur; aut adſumta uerba remouentur; aut in circuitus diriguntur; aut in coniunctione fit unum uerbum ex duobus.

§. XVI.

QVOD ad uerba nouiter excogitata adtinet, illa ideo magnificum quid uidentur adferre, quoniam is, qui rebus imponit uocabula, prudentiae ui ac copia gaudere creditur (1). ſed uero illud ualet in iis linguis, quibus etiam num utuntur gentes aliquae: non item in latina, uel graeca lingua, quibus omne uocabulum inſolens, aut nouiter confictum, ubi antiqua ſufficiunt (2), cane peius uitandum eſt.

(1) lege CICERONEM de *oratore lib. III. p.* 517. *ſeqq. it. p.* 546. cautiones etiam in *ὀνοματοποιία* obſeruandas inſeruit DEMETRIVS p. 42. quae, ſi rebus nouis excogitanda ſunt noua nomina, cum fructu adhibebuntur.

(2) uide ſupra *p.* I. *cap.* I. §. XXVI.

§. XVII.

NEQVE non allegorica plurimum conferunt ad magnificum dicendi characterem. quoniam enim illa et a communi hominum ſenſu ſunt remotiora, et proinde timidum aliquid inſinuant; ſimulque continuatis translationibus a uulgari ſignificatu recedunt: magnificum quid ſpirant et euehuntur altius (*).

(*)

(*) in quibus tamen cauendum eſt, ne nimium obſcuri euadamus, aut aenigmata connectamus, quod eſt turgidum, ideoque in uitiis ponendum. ſic DEMETRIVS p. 43. φυλάττεσθαι μέν τοι κἀπὶ ταύτης τὸ συνεχὲς, ὡς μὴ αἴνιγμα ὁ λόγος ἡμῖν γένηται. *cauendum uero et in hac continuatio, ut ne oratio nobis aenigmatica euadat.*

§. XVIII.

AD orationem ſublimem ſpectant etiam *uerba praeciſa*, haec enim συντομία (*), ſi iungatur cum ἀποσιωπήσει, ſplendidam facit et grandem orationem. quae nimirum reticentur, omnino uidentur maiora, quam ſi prolata fuerint. ceterum praeciſio iſta per ſe tantum abeſt, ut absque ellipſi ornet atque ſermonem reddat magnificum, ut potius ad μικροπρεπὲς referatur a DEMETRIO.

(*) eiusmodi modo συντομία eſt VIRGILII aen. lib. I. u. 139 ſeq.
quos ego: ſed motos praeſtat componere fluctus;
poſt mihi non ſimili poena commiſſa luetis.

§. XIX.

SEQVVNTVR *uerba* in principio *iterata*, per haſce διλογίας quando magnificentiam parere confirmat DEMETRIVS (*) noſter, iterationes uocum earumdem

 in

in principio factas intelligit. quo referas anaphoram et epizeuxin, figuras, de quibus ſupra disſeruimus; figuras, quae eo grandiorem reddunt orationem, quo magis cumulant uerba, quae nouas notiones excitant, et naturae concitatae uim produnt.

(*) l. c. p. 44.

§. XX.

SPECTANT huc quoque *uerba, caſibus ac modis inflexa.* τό πλάγιον illud, quod ad magnitudinem ſtili maieſtatemque commendat DEMETRIVS (*) in eo conſiſtit, quando uel ab obliquo exordientes, tandem ad rectum deuenimus; aut a recto incipientes obliqua ſubſequi iubemus. quorum exempla copioſisſime occurrunt in CICERONE.

(*) l. c. p. 45.

§. XXI.

SIMILIA et aſpera uerba, quae graui deſtinat figurae DEMETRIVS (1), ad eam reuocat *ſimilitudinem*, qua uerba rebus prorſus ſimilia excogitantur, quae ſono etiam ſuo naturam commentantur materiae. nec minus aſperitas (2) quaedam uerborum ratione compoſitae requiritur ſtructurae. (1)

(1) ubi ὁμοιότητα τῶν ὀνομάτων, καὶ δυσφωνίαν nominat.

(2) heic denuo monemus, hoc non in uniuerſum, ſed tum demum excelſum quid ſonare, quum aſpera, rudia, truculenta, deſcribenda ſunt.

§. XXII.

VERBA epiphonematica, quae ad ſermonem auguſtiorem reddendum pertinere dicit DEMETRIVS, ſignificant eidem λέξιν ἐπικοσμοῦσαν, quum poſt rem, aut factum, ſubditur oratio, quae ornet aut ſplendidius faciat. comparat enim ἐπιφώνημα iis, quibus ſe oſtentant diuites, qualia ſunt ſuggrundia aedium, item ſculpturae, quibus partes tectorum in plateas prominentes ornantur, et laticlaui: ſic etiam diuitis ac copioſi ſermonis ſigna ſunt (*) epiphonemata.

(*) hinc patet neque enthymemata, neque gnomas huc referri poſſe, licet ſint epiphonematis ſpecies; quum demonſtrent tantum, non autem diuitias quasdam aut ornatum oſtentent. horum alia praemittuntur factis, alia ſubiunguntur. parcus in his eſt CICERO: ſed copioſior SENECA. frigidus autem VALERIVS MAXIMVS.

§. XXIII.

DENIQVE adhiberi magnificentiae

gratia poſſunt *uerba* (*) *poetica*, quae ex DEMETRII ſententia, uel imitatione, uel transpoſitione, adhiberi poſſunt. de ſingulis exempla dedit. cauendum autem et heic eſt, ne, dum grandiorem ſtudemus efficere orationem noſtram, ad dithyrambos et poetarum caſtra ſtulte tranſeamus.

(*) uti enim ipſe CICERO de *oratore lib.* III. *p.* 546. confirmat, habere in oratione poeticum aliquod uerbum dignitatem, quem in locum prolem, ſobolem, effari, nuncupari, reor, opinor *refert*: ita etiam ſubiicit: *quibus loco poſitis, grandior atque antiquior oratio ſaepe uideri ſolet.*

§. XXIV.

QVEM AD MODVM hoc genus dicendi eſt, quod perfectisſimum iudicat et optimum CICERO: ita quoque ipſe exempla magnificae orationis dedit (1) praeclarisſima. neque PLINIO hanc laudem denegamus (2). ex recentioribus laudandi ſunt ob ſtili grauitatem et excellentiam illam magnificam GRAEVIVS (3), SCHVRTZFLEISCHIVS (4), GVNDLINGIVS (5) BVRMANNVS (6), et qui omnium inſtar eſt, inluſtris BERGERVS (7).

(1)

(1) quem ad modum non omnes eius orationes in eadem uerſantur cauſſa : ita nec ſublime genus ubique ſectatus eſt. cum primis autem perfectisſimum hoc genus elucet ex eius orationibus in VERREM, in PISONEM, in CATILINAM, ex *philippica* II, ex ea pro ARCHIA, MARCELLO et *lege manilia*, quas qui, non uulgo ut fieri ſolet, ſed cum cura perlegerit, et omnia orationis lumina notauerit, is demum imitatione iuſta hoc genus didicerit exprimere.

(2) non tulit digniorem fere panegyricum, qui omnes ſtili uirtutes complexus ſit, et acumen ſimul prodiderit, quam hunc quidem PLINII, quem in TRAIANVM conſcripſit, antiquitas. editiones dabimus infra.

(3) ſpectat huc eius oratio, quam in obitum magnae britanniae reginae, MARIAE habuit ſollemniter, quae cum aliis LIPSIAE prodiit MDCXCV.

(4) oſtendit magnificam ſtili figuram in *orationibus panegyricis* et *adlocutionibus uarii argumenti* VITEMBERG. MDCXCVII.

(5) occurrunt quaedam orationes uiri huius diſertisſimi in conlectione illa, quam euulgauit eruditisſimus KAPPIVS LIPSIAE MDCCXXII. 8. ſuſcepit uir quidam doctus conſilium, orationes gundlingianas coniunctim edendi, cui felicem iam diu optamus ſucceſſum: hac tenus ſpe noſtra deſtituti.

(6) eius orationis quaedam ſunt in con-

ctione illa, quam edidit KAPPIVS, nec eſt, quod eius dictionem concelebrem, quum iam dudum primas ei detulerint harum deliciarum periti.

(7) palmam praecepit multis inluſtris uir IO. GVILIELMVS BERGERVS in panegyrico, quem inuictiſſimo conſecrauit imperatori CAROLO VI. de quo ſupra.

****

PARTIS II.

CAP. IV.

DE STILO ASIATICO, RHODIO, ATTICO, LACONICO.

ORDO DICENDORVM.

alia ſtili diuiſio. ratione magnitudinis internae, in aſiaticum, rhodium, atticum, laconicum §. I.

aſiaticorum characterem multi reprehenderunt. ipſe tamen CICERO eum laudat §. II.

quaenam ſit ſtili aſiatici natura et conſtitutio §. III.

quum aſiaticus ſtilus in uitio ponatur, quinam eius locum occupet bonus character §. IV.

ſtili *rhodii* quaenam ſit natura et uirtutes §. V.

ſtilus *atticus* ſemper primus habitus. uerſatur in omni charactere. eius natura §. VI.

uirtutes ſtili attici eiusque ſectatores ex ueteribus §. VII.

ſtilus laconicus. eius natura, amatoresque cum ueteres, tum recentiores. §. VIII.

quodnam ex his cuilibet aetati conueniat genus §. IX.

§.

§. I.

Alia ſtili diuiſio eſt, qua uerborum quantitas et orationis interna magnitudo conſideratur. ueteres enim rhetores ad graeciae populos reſpiciebant, utque alii horum presſiores, alii copioſiores erant in dicendo: ſic inter *aſianorum*, *atticorum*, *rhodiorum*, et *ſpartanorum*, diuerſitatem diſſerendi diſtinguebant. quam deinde rem quum ad latinos quoque adplicarent: uarie de iis commentati ſunt. horum et nos ueſtigia preſſuri, de ſingulis praecipiemus. (*).

(*) meminit iam CICERO aſiaticorum, rhodiorum, et atticorum in BRVTO p. 579. ita quidem, ut *aſiaticos* parum preſſos et nimis redundantes, *rhodios* ſaniores, et *atticorum* ſimiliores dicat. his *ſpartanos*, qui paucos habuerunt oratores, conciſiores fuerunt multo, pluſque cogitatione ſuſceperunt, quam expreſſerunt uerbis.

§. II.

Ad aſiaticorum characterem quod adtinet, multae ſunt conqueſtiones (1) antiquorum, qui illum, tamquam genuinae corruptelam eloquentiae, quouis modo a uero dicendi cultore iusſerunt abeſſe. non tamen omnes eodem mo-

do iudicarunt, quin CICERO ipſe in laudem (2) quaedam dixit: quare nec ipſe uitii huius fuit expers, (3) et inde quoque ſuos adcuſatores (4) expertus eſt.

(1) primus abundantem hanc loquacitatem recte carpſit CICERO, ſenior iam factus. ita enim in BRVTO p 579. ſeqq. loquitur: *nam ut ſemel e pireaeo eloquentia euecta eſt, omnes peragrauit inſulas, atque ita peregrinata tota aſia eſt, ut ſe externis oblineret moribus, omnemque illam ſalubritatem atticae dictionis, quaſi ſanitatem, perderet, ac loqui paene dediſceret. hinc aſiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia; ſed parum preſſi et nimis redundantes.* grauius conqueritur multo PETRONIVS p. 3. *nuper uentoſa iſthaec et enormis loquacitas athenas ex aſia commigrauit, animosque iuuenum ad magna ſurgentes, ueluti peſtilenti quodam ſidere adflauit: ſemelque corrupta eloquentiae regula ſtetit et obmutuit.* non aliter QVINCTILIANVS. *inſtitut. orat. lib. XII. cap. X. p.* 712. et antiqua quidem, *inquit*, illa diuiſio inter *atticos* atque *aſianos* fuit, quum hi preſſi et integri, contra *inflati illi et inanes* haberentur; in his nihil ſuperflueret, *illis iudicium maxime ac modus deeſſet.* ſubiicit deinde cauſſam redundantiae illius: *aſiana gens tumidior alioqui et iactantior, uaniore etiam gloria inflata eſt.* prorſus ita ſentit de aſianorum eloquentia CELSVS in *compendio rhetor.* apud celeberrim. FABRICIVM *bibl. lat. tom. III. p.* 763. *an imitanda nobis*

ſit

ſit aſianorum licentia; qui uagi ac fuſi rapere potius adfectibus, quam diſputationibus perſuadere, didicerunt.

(2) pertinent huc uerba, quae protulit CICERO in BRVTO p. 650. genera autem, *inquit*, aſiaticae dictionis, duo ſunt: unum ſententioſum et argutum, ſententiis non tam grauibus et ſeueris, quam concinnis et uenuſtis: qualis in hiſtoria TIMAEVS, in dicendo autem, pueris nobis, HIEROCLES, ALABANDEVS, magis etiam MENECLES, frater eius, fuit: quorum utriusque orationes ſunt in primis, ut *aſiatico in genere*, laudabiles. aliud autem genus eſt non tam ſententiis frequentatum, quam uerbis uolucre, atque incitatum: quali eſt nunc aſia tota, nec flumine ſolum orationis, ſed etiam exornato et faceto genere uerborum: in quo fuit AESCHYLVS CNIDIVS et meus aequalis MILESIVS AESCHINES. in iis erat admirabilis orationis curſus, ornata ſententiarum concinnitas non erat.

(3) fatetur hoc ipſemet TVLLIVS, qui, poſtquam ex aſia rhodum uenit, ad MOLONEM ſe adplicuit. de quo ita p. 647. ſeqq. *is dedit operam, ſi modo id conſequi potuit, ut nimis redundantes nos* (quod ex aſiatico genere ipſi adhaeſerat) *et ſuperfluentes, iuuenili quadam dicendi impunitate et licentia, reprimeret, et quaſi extra ripas diffluentes coerceret. ita recepi me biennio poſt non modo exercitatior, ſed prope mutatus.*

(4) qui redundantiae illius aſiaticae TVLLI-

LIVM noſtrum adcuſarunt, ad ſcripta eius reſpexiſſe credendi ſunt, quae in iuuenili promulgauit aetate, quae ipſe, ut uidimus, huius uitii adcuſat. ceterum illud fecerunt nonnulli, partim apud FABIVM, partim apud auctorem dialogi de *corrupta eloquentia.* FABIVS horum meminit *inſtitut. orat. lib.* XII. *cap.* X. *p.* 711. at M. TVLLIVM, *inquit*, non illum habemus EVPHRANOREM, circa plurium artium ſpecies praeſtantem: ſed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentiſſimum, quem tamen et ſuorum homines temporum inceſſere audebant, *ut tumidiorem, et aſianum et redundantem; et in repetitionibus nimium, et in ſalibus aliquando frigidum, et in compoſitione fractum, exſultantem, ac pene, quod procul abſit, uiro molliorem.* AVCTOR *dial. illius cap.* XVIII. ita: *ſatis conſtat, nec CICERONI quidem obtrectatores defuiſſe, quibus inflatus ac tumens, nec ſatis presſus, ſupra modum exſultans, et ſuperfluens et parum atticus uideretur.* ſed uti iam a QVINCTIL. et aliis defenſus fuit: ita illud eo minus credendum, quo magis genuinam atticae dictionis rationem aliis praetulit omnibus.

§. III.

EX his, quae conqueſti ſunt uiri optimi, is aſiaticus uidetur ſtilus, qui plura loquitur, (1) quam cogitat; atque adeo dicendi formulis ſynonymicis (2) copioſis inluſtrationibus (3), multis et infla-

tis

tis figuris (4), amplioribus periodis (5), et numero tumidiore (6), fuſiorem reddit orationem.

(1) abuſus hic eſt ſublimis figurae, qua cogitationes noſtras ſublate ampleque proponimus. qui enim pauciora cogitat, quam loquitur, aberrat a fine ſuo, et otioſum ſe et nimis redundantem oſtendit, quod ſapientis et grauis uiri haud exiſtimatur.

(2) quum ſit in aſianis uerborum quaedam luxuries: non poteſt aliter fieri, quam ut rem eamdem pluribus, mutatisque, uerbis pronuntient. inde uerborum repetitiones crebrae; inde periphraſes, ſine cauſſa ſubiectae, atque cumulatae; inde uerba idem prorſus ſignificantia. quae tantum abeſt ut inluſtrent ornentque ſemper orationem, ut potius, ob nimium illorum uſum, et faſtidium pariant et obſcuritatem.

(3) occurrunt omnino, praeſertim in narrationibus, quae rerum adfectionibus, antecedentibus, conſequentibus, loco, tempore, aliisque conluſtranda ſunt: multa uidentur tamen ita per ſe clara, ut, qui illis cumulandis immoraretur, diem uideretur inluſtrare. hinc, qui aſiatico delectantur ſtilo, ubique, omnique in loco, et rem per ſe lucidam, inluminant; multis et magnis argumentis onerant magis, quam probant, atque per generum in ſuas ſpecies, totius in ſuas partes, diſtributiones, locorumque externorum inductiones

nes

nes fuſisſimam et copioſisſimam reddunt orationem.

(4) quum inflata ſit aſiana gens et turgida, quin et ſimilis eam ſequatur oratio, nemo dubitat. inde illorum ſententiae turgidae magis, et uenuſtae, quam ſeuerae et graues. hinc illorum copioſisſimae anaphorae, pleonasmi crebriores. hinc ſententiarum, uerborum luminibus obruta et obcoecata congeries. hinc, uel rerum propoſitarum cumulatae adtributiones, et *ſubiectorum* in propoſitione aliqua congeſta ubertas. hinc nimis copioſa contrariorum relatio, quam, licet a CICERONE, ſi modicus ſit illarum uſus, commendatam, in uitium denique abire, nemo inficiabitur.

(5) qui copioſum ac diues nactus eſt ingenium, et ubertate quadam uerborum redundat, non poteſt aliter, quam longisſimis exultare continuationibus. conqueſtus iam eſt, hanc graecorum, aſiam incolentium, uolubilitatem PLINIVS iunior *epiſtol. lib. V. epiſt. XX. p.* 274. ed. CELLAR. *mos eſt*, inquit, *pleriſque graecorum, ut illis ſit pro copia uolubilitas: tam longas tamque rigidas periodos uno ſpiritu, quaſi torrente, contorquent. itaque* IVLIVS CANDIDVS *non inuenuſte ſolet dicere, aliud eſſe eloquentiam, aliud loquentiam.*

(6) numerum aſianos, quo erant ingenio tumidiori, et loquacitate uentoſiori: eo maiorem etiam et ſelectiorem adhibuiſſe, facile patet. ſed uti ſupra nimiam numerorum curam in uitio poſuimus: ſic neque horum numerus, niſi uitioſus, eſſe potuit.

§.

§. IV.

IN uitio pleriſque hic character quum ſit habitus, nec immerito (1): *circumductum* hinc ac *copioſum* alii ſubſtituerunt (2). qui quum iuuentuti maxime commendaretur (3), tum in quibusdam rebus non maximis, a uiris non occupatis, ad uiros otioſos (4) adhiberetur, quo in genere CICERO ſequendus (5) eſt.

(1) adparet quidem primo adſpectu ſplendidus, atque ob copiam uerborum, numerique magnitudinem ornatus: qui tamen rectius rem conſiderare didicerunt, cogitationesque uerbis eſſe exaequandas, nouerunt: nihil, quod admirentur; quae carpant, multa, obſeruabunt.

(2) fecit hoc MORHOFIVS de *ratione conſcribendarum epiſtolarum* p. 112. editionis LVBEC. MDCCXVI. 8. quam curauit et notis auxit IO. BVRCH. MAIVS. *illi* inquit *aſiaticum, atticum et laconicum dicendi genus proponunt, a populis certis ita dictum. ſed rectius diuidemus in circumductum, mediocre et conciſum, quamquam haec, ratione formae externae, diuiſio potius accipienda uidetur, ratione ſcilicet periodorum* ſequutus eum eſt GROSSERVS, WALCHIVS, alii.

(3) quamquam hoc dicendi genus per omnia probandum non ſit; quod parum intelligentiae lectoribus imputant, et nimia luce obfuſcant: tamen iuuentuti potius, quam ſeni-

nibus concedendum eſt, illa enim et copiam ſermonis ſibi adquirit, dicendique ubertatem, qua ingenium adfluit, poteſt depaſcere. ſenes uero iudicii produnt infirmitatem, quum, plura, quam uolunt intelligi, profundunt, prius HORTENSII probauit exemplo TVLLIVS in BRVTO, dum p. 650. *ſed ſi quaerimus*, inquit, *cur adoleſcens magis floruerit dicendo, quam ſenior, HORTENSIVS: cauſſas reperiemus uerisſimas duas. primum, quod genus erat orationis aſiaticum, adoleſcentiae magis conceſſum, quam ſenectuti.* et ubi duo aſiaticae dictionis genera propoſuerat: *haec autem*, pergit, *genera dicendi, aptiora ſunt adoleſcentibus: in ſenibus grauitatem non habent.* et paucis interpoſitis: *etſi enim genus illud dicendi, auctoritatis habebat parum, tamen aptum eſſe aetati uidebatur.* plura uide apud SVSIVM in *lima ciceroniana* p. m. 391. ſeqq.

(4) hunc enim de laxo ſiue aſiatico dicendi genere canonem habet BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS *ſyſt. rhet. ſpecial.* lib. I. p. 815. *laxum et aſiaticum dicendi genus uſurpandum eſt in materiis non ita ſumme altis, et ſublimibus, atque adeo non ita magnam auctoritatem habentibus; et praeter ea ab hominibus non ita occupatis et ad homines non usque adeo occupatos.*

(5) hunc in cenſum ueniunt eius orationes iuueniles, quibus copioſum et redundans dicendi genus ineſſe, ipſe ſupra faſſus eſt. neque in reliquis adeo liber eſt ab hoc genere, cuius exemplum dedit HEINECCIVS *inſtitut. ſtil.*

p.

p. 90. qua in copia noſtrum ſequitur MVRETVS, cuius autem orationes quum ſuperent ubertate ac iciuna copia CICERONEM, eo minus commendandae ſunt, et in loquacitatem fere inanem deſinunt ſaepius. non longius abſunt SIGONIVS et MAIORAGIVS, qui tamen dignitatem magis obſeruant, et luxuriem aliquantum reſcindunt.

§. V.

MAGIS probatur *rhodium* dicendi genus (1). multum enim de luxurioſa aſiaticorum dictione amputat (2), et planius ornatiusque paullo atticorum genere incedit (3), adeoque nec in rerum (4) neque uerborum copia ſuperfluit, ſed ad cogitatorum rationem uerborum etiam numerum inſtruit (5).

(1) ex quo RHODVM exſilio delegerat locum AESCHINES, eoque intulerat ſtudia athenarum, quae, uelut ſata quaedam caelo terraque degenerant, ſaporem illum atticum peregrino miſcuerant; coepit ibi eloquentiae ſtudium maximi fieri, ut CICERONIS etiam tempore, qui elegantiori ſtuderent litteraturae et rhodum et athenas concederent. lege CICERONEM de *oratore lib. III. p.* 563. et QVINCTILIAN. *inſtitut. orat. lib. XII. cap. X.* p. 713. hinc ipſe CICERO ſibi hunc locum delegit, ubi MOLONE praeceptore aſiaticam luxuriem depaſceret. in BRVTO p. 647.

(2) perſpicuum hoc eſt ex FABIO, cuius haec uerba ſunt, *inſtit. orator. lib.* XII. *cap.* X. *p.* 712. *ſeqq.* tertium mox, qui haec diuidebant, adiecerunt genus *rhodium*, quod uelut medium eſſe, atque ex utroque mixtum uolunt. *neque enim attice preſſi, nec aſiane ſunt abundantes*, ut aliquid habere uideantur gentis, aliquid auctoris. — — — lenti ergo quidem ac remiſſi, non ſine pondere tamen, neque fontibus puris, neque torrentibus turbidis, ſed lenibus ſtagnis habentur. idem iudicat CICERO in BRVTO p. 580. *hinc aſiatici oratores non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia, ſed parum preſſi, et nimis redundantes: rhodii ſaniores et atticorum ſimiliores.*

(3) accedit enim propius ad opimum genus dicendi aſiaticum. digna ſunt uerba CICERONIS in *oratore p.* 659. quae huc transferam. omnes, qui probari uolunt, uoluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, et ad eorum arbitrium, et nutum totos ſe fingunt, et adcommodant. itaque *caria*, et *phrygia*, et *myſia*, quod minime politae minimeque elegantes ſunt, adſciuerunt aptum auribus ſuis *opimum quoddam, et tamquam adipatae dictionis genus:* quod eorum uicini, non ita lato interiecto mari, *RHODII numquam probauerunt*, graeci autem multo minus, athenienſes uero funditus repudiauerunt: quorum ſemper fuit prudens ſincerumque iudicium, nihil ut poſſent, niſi incorruptum, audire, et elegans.

(4) ſupra illud etiam uitioſum eſſe in aſianis diximus, quod rerum copiam amplificandis rebus externis, dilatarent praeter rationem, atque adeo redundarent in rebus etiam. quum rhodii ſint omnium confeſſione ſaniores paullo et preſſiores: illud in amplificandis rebus quoque animaduertitur. hinc ubi rerum augmentis res euadit dilucidior, ea inmiſcent, et medium curate ſeruant, ut nihil deficiat, nihil etiam ad modum redundet.

(5) cautius enim incedit noſter *rhodius*, et quum aſianus plura dicat, quam cogitet, uberior quidem noſter paullo eſt *attico*, qui uerba cogitationibus adpendit, nihil tamen, quod adeo reſcindas, cumulat. *atticus* ſobrium amat colorem matronae; uirginis florem quaerit *rhodius*. hanc formam in plerisque ſequitur orationibus CICERO, ubi copioſas quidem, non exſuperantes tamen, uerborum continuationes nectit. quo in cenſu eſt NEPOS etiam et CAESAR.

§. VI.

SEQVITVR ſtilus *atticus*, qui nullo non tempore primus omnium habitus fuit (1). athenienſes enim, quorum iudicium ſemper prudens atque ſincerum fuit (2), quiue ſtudiis excolendis ſummam nauabant operam, id quaeſiuerunt cum primis, ut ſignificans, ut ingenioſa, ut prudens ac ſolida, ut exſiccata deni-

que eſſet oratio (3). idque in humili mediocri et ſublimi charactere ſemper obſeruarunt (4) qua in re id intelligendum proponebant, quod cogitabant ipſi (5).

(1) confer STREBAEVM de *uerborum electione* p. 318. idem demonſtrat CICERO qui, quauis occaſione, atticum hoc genus *preſſum* et *ornatum* commendat, idque, quod in perfectisſimo requirit oratore, *atticum* dicit. non aliter ſentit FABIVS *inſtitutionum orat. lib.* XII. *cap.* X. *p.* 712. *nemo igitur dubitauerit*, dicens, *longe eſſe optimum genus atticorum*, *in quo*, *ut eſt aliquid inter ipſos commune*, *id eſt iudicium acre*, *terſumque: ita ingeniorum plurimae formae.*

(2) ita ipſe CICERO in *oratore p.* 659. quem locum dedimus §. *V. not.* 3.

(3) non aliter ſentit TVLLIVS in BRVTO p. 641. *ſin autem acutum*, *prudens*, *et idem ſincerum*, *et ſolidum et exſiccatum genus orationis probant*, *nec illo grauiore ornatu oratorio utuntur*, *et hoc proprium eſſe atticorum uolunt: recte laudant.* idem CICERO *ſuccum et ſanguinem incorruptum* illi adſcribit in BRVTO p. 576. quo in genere ut THVCIDIDEM, AESCHINEM, LYSIAM, ARISTOPHANEM, XENOPHONTEM excellere exiſtimamus: ita cum primis laudat DEMOSTHENEM CICERO, in BRVTO l. c. et alibi. a FABIO *attici* uocantur *preſſi* et *integri* l. c. p. 712. idem iudicat CORNELIVS CEL-

CELSVS in *compendio*, quod ipſi adſcribitur *rhetorico p. 763. tom.* III. *bibl. lat.* FABRIC. ita enim §. V. loquitur: *proxime quaerendum eſt, quo genere orationis uti debeat orator, atticorumne nobis ſequenda ſit actio, qui breues, adſtrictique et acres ſunt, pure interim res ipſas aculeosque uerſantes, quique adfectum ex occulto petunt.*

(4) teſtis ſit QVINCTILIANVS, qui loco ſaepe citato p. 713. ita habet: *qua propter mihi falli multum uidentur*, qui ſolos eſſe atticos credunt, tenues et lucidos et ſignificantes; ſed quadam eloquentiae frugalitate contentos, ac ſemper manum intra pallium continentes. nam quis erit hic atticus? ſit LYSIAS, hunc enim amplectuntur amatores iſtius nominis modum. — — — interrogare tamen uelim, an ISOCRATES attice dixerit? nihil enim tam eſt LYSIAE diuerſum. negabunt? at eius ſchola principes oratorum dedit. quaeratur ſimilius aliquid, HYPERIDES atticus? certe, at plus indulſit uoluptati. tranſeo plurimos, LYCVRGVM, ARISTOGITONA, et his priores ISAEVM, ANTIPHONTEM, quos ut homines inter ſe genere ſimiles, differentes dixeris ſpecie. quid ille, cuius modo fecimus mentionem AESCHINES? nonne his latior et audentior, et excelſior? quid denique DEMOSTHENES? nonne cunctos illos tenues et circumſpectos ſublimitate, ui, impetu, cultu, compoſitione ſuperauit? non inſurgit locis? non figuris gaudet? non translationibus nitet? non oratione ficta dat carentibus uocem. — — —

quem ipſum aſianum adpellabimus, plerumbue inſtinctis diuino ſpiritu uatibus comparandum? — — — itaque nunc ſi quis ad eas DEMOSTHENIS uirtutes, quas ille ſummus orator habuit, tamen quae defuiſſe ei, ſiue ipſius natura, ſiue lege ciuitatis uidentur, adiecerit, ut adfectus concitatius moueat, audiam dicentem, non fecit hoc DEMOSTHENES: et ſi quid exierit numeris aptius fortaſſe non poſſit, ſed tamen ſi quid exierit, non erit *atticum?* melius de hoc nomine ſentiant, *credantque, attice dicere, eſſe optime dicere.* copioſius haec diſputat CICERO in BRVTO p. 639. ſeqq. ex quibus haec in primis damus: ſin autem ieiunitatem, et ſiccitatem et inopiam, dum modo ſit polita, dum urbana, dum elegans, in attico genere ponit, hoc recte dumtaxat: *ſed quia ſunt in atticis alia meliora; uideat, ne ignoret, et gradus, et disſimilitudines, et uim, et uarietatem atticorum. atticos, inquit, uolo imitari. quos? nec enim eſt unum genus. nam quid eſt tam disſimile, quam DEMOSTHENES et LYSIAS? quam idem et HYPERIDES? quam omnium horum AESCHINES? quem igitur imitaris? ſi aliquem: ceteri ergo attice non dicebant. ſi omnes: qui potes? quum ſint ipſi disſimillimi inter ſe? et p.* 640. THVCIDIDEM inquit, imitamur. optime, ſi hiſtoriam ſcribere, non ſi cauſſas dicere cogitatis. THVCIDIDES enim rerum geſtarum pronuntiator ſincerus et grandis etiam fuit. cetera. adde eumdem TVLLIVM in BRVTO p. 574. et 583. ſeqq. (5)

(5) grandes erant uerbis, crebri ſententiis et compreſſione rerum breues attici ueteres. (CICERO in BRVTO p. 575.) hinc facile patet, quam preſſi et uerborum parci fuerint. grauitas enim non permittebat, ut, quam cogitarent, plura dicerent, et politum iudicium uerborum hanc copiam non patiebatur.

§. VII.

VIRTVTES ergo atticae dictionis quatuor abſoluuntur partibus, breuitate (1), ſinceritate (2) acumine (3) et elegantia (4), quibus e romanis maxime ſtuduerunt CICERO (5), SALLVSTIVS (6), PLINIVS (7), SENECA (8).

(1) maxima ſane adficimur dulcedine, quum ſapientis uiri ſermonem auſcultamus. is uerba ad ſtateram aurificis adpendit, nec plura commemorat, quam poſtulat rei dignitas. is medium ſeruat inter luxuriem ingenii redundantis et exſiccatum dicendi genus. is prius meditatur, quam ſcribit; neque plura, quam intelligentia requirit, linguam profari iubet. id in THVCIDIDE cum primis miramur, et in latinorum SALLVSTIO.

(2) infucatum illud et tumidum dicendi genus procul ab atticismo remotum eſt. ſincerum autem et prudens illud ſuccedit, quod CICERO tanto commendat opere. qui cincinnis et coloribus ſtudent, ſuum potius inge-

nium commendant, quam lectorum quaerun conuictionem et demonſtrationem ueritatis. interdum uix ipſi ſe capiunt, et uerba connectunt, quibus nullus ineſt ſenſus, aut quae ad rem praeſentem non faciunt. qui ſincerus et prudens uir eſt, atticos ſequitur, ab omni fuco abſtinet, animique ſui cogitata perſpicue ſed ſignificanter exprimit. lege TVLLIVM in BRVTO p. 639.

(3) nec acumen abeſſe debet ab atticorum genere. celebrauit hoc in PHALEREO TVLLIVS in BRVTO p. 577. hic (de PHALEREO loquitur) primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque rediddit: et ſuauis, ſicut fuit, uideri maluit, quam grauis. ſed ſuauitate ea, quae perfunderet animos, non qua perfringeret: et tantum ut memoriam concinnitatis ſuae, *non, quem ad modum de PERICLE ſcripſit EVPOLIS, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus eſſet auditus.* idem de DEMOSTHENE praedicat p. 576. de THVCIDIDE p. 575. ſic acutus eſt SENECA. ſic acutus PLINIVS. ſic admirationem ſibi conciliat SALLVSTIVS. quid ita? addiderunt ad concinnam breuitatem, ſinceramque ſanitatem, ingenii aliquod acumen, quo ſe ab exſiccato iſto et arido diſtinxerunt dicendi genere.

(4) hoc ita requirebat CICERO, ut eum uel maxime atticum diceret, qui nihil habeat inſolens aut ineptnm. ita in BRVTO p. 647. *et ſi nihil habere moleſtiarum, nec ineptiarum, atti-*

ticorum eſt, hic orator in illis numerari recte poteſt, in *oratore* p. 66b. LYSIAM atticiſmo uindicat. *dicat igitur attice uenuſtisſimus ille ſcriptor, ac politisſimus LYSIAS. quis enim id posſit negare? dum intelligamus, hoc eſſe atticum in LYSIA; non quod tenuis ſit, atque inornatus, ſed quod nihil habeat inſolens, aut ineptum.* qui cum plebe loquuntur, nullumque in uerbis ſelectum habent, ſicci fiunt atque aridi.

(5) concluditur hoc partim ex eo, quod is hoc genus ante alia commendat; partim ex epiſtolis, quas ad ATTICVM ſcripſit. in quibus concinnus, ſincerus, ſanus, acutus, et elegans eſt, ut nihil, quod ad hanc normam ſpectet, deſideretur. in hoc genere et alia elaborauit, ubi uel rerum elegantiorum, uel philoſophicarum, rationem habuit.

(6) SALLVSTIVS quum THVCIDIDEM ſtilo quaeſierit exprimere, quin atticus ſit, nemo dubitauerit. grandis eſt in uerbis, creber ſententiis, compresſione rerum breuis, et ob eam ipſam cauſſam interdum ſubobſcurus; quae omnia, de THVCIDIDE dicta, in SALLVSTIVM optime quadrant.

(7) PLINIVS in epiſtolis ſuis, praecipue quae ſunt ad TRAIANVM, atticus eſt: nihil ibi redundans, nihil deficiens, nihil ieiunum, nihil ſiccum; ſed omnia elegantia, concinna breuitate, et acuta dictione, inluſtrantur.

(8) uindicare heic aliquem ſibi locum

poſſit SENECA: niſi crebris ſententiis tumidior eſſet eius oratio. ſunt tamen quaedam eius ſana et recti coloris.

§. VIII.

VLTIMVM locum occupat ſtili genus *laconicum*. ſpartanorum ingenia quum eſſent ſicca et elata (1): plura cogitabant, et uolebant intelligi, quam uerbis indicabant (2). unde nec ullus ex hac gente orator exiit; quod ea breuitate uulgus, ad quod habentur orationes, non capitur (3). neque multi fuerunt ex antiquis (4), qui id genus ſequuti ſint. ex recentioribus LIPSIVS id fecit (5). nolim tamen, niſi ad amicos, ſaepius eo genere uti (6).

(1) fuiſſe haec eorum ingenia, quum multa doceant auctorum loca, tum DEMETRIVS grauitatem ingeniorum ex ſtili grauitate deriuat. is enim p. 4. *δίο καὶ οἱ Λάκωνες βραχυλόγοι ὑπὸ δεινότητος.* i. e. *proinde quoque lacedaemones conciſi uerbis ob grauitatem.*

(2) exemplum conciſi ſermonis eſt notum illud: *Διονύσιος ἐν κορίνθῳ.* quo PHILIPPO indicabant, macedonum regi, DIONYSIVM aeque magnum fuiſſe dominum, et tamen priuatum nunc corinthum colere. rem ipſam narrat adductus iam DEMETRIVS *p. m.* 5. *παράδειγμα δὲ βραχείας συνθέσεως, τό: λακεδαιμόνιοι Φιλίππῳ. Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ· πολὺ*

γὰρ

γὰρ δεινότερον φαίνεται ῥηθὲν οὕτω βραχέως, ἢ εἴπερ αὐτὸ μακρῶς ἐκτείναντες, εἶπον: ὅτι ὁ Διονύσιος ποτὲ μέγας ὢν τύραννος, ὥσπερ σὺ, ὅμως νῦν ἰδιοτεύων, οἰκεῖ Κόρινθον. i. e. *exemplum breuis ſtili hoc: LACEDAEMONII PHILIPPO. DIONYSIVS in CORINTHO. multo enim grauius uidetur dictum ſic conciſe, quam ſi idem extendentes in longum dixisſent: DIONYSIVS, magnus olim exiſtens dominus, quem ad modum TV, tamen nunc priuatus corinthi degit.*

(3) *oratoriam artem, ut multiloquam et fucoſam, et ad fallendum comparatam, auerſabantur.* uerba ſunt VBBONIS EMMII in *repl. graec. part.* I. *p.* 262. *et p.* 263. *breuiter et argute dicere, cauillari, cum gratia et grauitate iocari, in laude apud eos erat.* ipſemet CICERO de laconibus idem pronuntiat. *hoc autem ſtudium,* inquit in BRVTO p. 579. non *erat* commune graeciae, ſed *proprium athenarum.* quis enim aut argiuum oratorem, aut corinthium, aut thebanum ſcit fuiſſe temporibus illis? niſi quid de EPAMINONDA, docto homine, ſuſpicari libet. *lacedaemonium uero usque ad hoc tempus audiui fuiſſe neminem. MENELAVM ipſum, dulcem illum quidem tradit HOMERVS, ſed pauca dicentem. breuitas autem, laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in uniuerſa eloquentia laudem non habet.*

(4) praeter CICERONEM, qui non numquam cum ATTICO laconum more loquitur, PLINIVS etiam, qui atticorum alias more ſcribit, quasdem epiſtolas abrupto hoc et conciſo di-

dicendi modo confecit. exemplo ſit CICERONIS ad ATTICVM lib. XIII. epiſt. V. p. 843 SPVR. MVMMIVM *putaram in decem legatis fuiſſe: ſed uidelicet, etenim εὔλογον fratri fuiſſe. fuit enim ad corinthum. miſi tibi TORQVATVM. colloquere tu quidem cum SILIO, ut ſcribis, et urge. illam diem negabat eſſe menſe maio, iſta non negabat. ſed tu, ut omnia, iſtuc quoque ages diligenter. de CRISPO et MVSTELLA, ſcilicet, quum quid egeris. quoniam ad BRVTI aduentum fore te nobis cum polliceris, ſatis eſt, praeſertim, quum hi tibi dies in magno noſtro negotio conſumantur.*

(5) teſtes ſunt eius epiſtolae, quas ſtilum ſequi abruptum et conciſum, ſupra iam diximus. dabo exemplum aliquod ex eius *centuria* I. *epiſt.* IX. *legi tuas. ad os adpreſſi et ad pectus. o quae penna tibi me ſiſtat! ego, ille conſtans, deiicior una cogitationis hac plaga. ſcripta mea deſideras et nugas: ego te, te. ſed qui agis? ut ex nuntio intelligo, perbelle. gaudeo. nam timebam, ob ſubſtractum tibicinem* MOVFFLINVM *celeri caſu. nos fluctuamus, ut qui maxime. ſunt, qui ad arma inclinant, ſunt, qui ad* IRENEM. *aiunt et apud uos puncta eſſe pro iſta. quidquid eſt, aut erit, ego te non amo, ſed pereo. de ſcriptis ſcripſi ad OCELLVM noſtrum. non inuidebit.*

(6) ita enim conſueuerunt, quos adduxi, uiri optimi, qui niſi ad amicos, nullas dederunt. LIPSIVM exipio, qui, praeter epiſtolas omnes, alia etiam ſcripta hoc abrupto genere exarauit. fuerunt etiam, qui ſpeciatim regulas de ſtilo laconico reliquerunt: in

in quibus eſt BARTHOLDVS KECKERMANNVS in *ſyſtemate rhetor. ſpeciali lib. I. p.* 816. *ſeqq.* et GROSSERVS de *ſtilo part. ſpec. p.* 128. *ſeqq.*

§. IX.

QVOD SI quaeras, cui potiſſimum dicendi generi ſtudendum ſit? ad ingenium cum primis adtendendum eſſe, arbitror. *aſiaticum* tamen adoleſcentibus, *rhodium* iuuenibus, *atticum* uiris, *laconicum* ſenibus maxime ſolere familiare eſſe, docet experientia. *rhodium* ego atque *atticum* omnibus praeferendum eſſe cenſeo.

PARTIS II.

CAP. V.

DE STILO PHILOSOPHICO, HISTORICO, ET ORATORIO.

DICENDORVM ORDO.

noua ſtili diuiſio ratione argumenti quod tractatur. eſt enim ſtilus uel hiſtoricus, uel philoſophicus, uel oratorius uel poeticus. duo genera priora potiſſimum in cenſum ueniunt §. I.

quid

quid ſit ſtilus hiſtoricus, generatim deſcribitur §. II.
ſpecialem requiritur puritas §. III.
perſpicuitas §. IV.
metaphorarum parcior uſus §. V.
figurae minores §. VI.
periodi pauciores et oratio tracta uel fuſa §. VII.
numerus non finitus §. VIII.
acumen dictionis §. IX.
quid ſit ſtilus philoſophicus generatim exponitur. requiritur oratio tenuis et attica §. X.
libertas in uocibus nouis effingendis § XI.
ornatus ad argumentum adcommodandus §. XII.
totum orationis corpus quietum et ſedatum. §. XIII.
ſtilus oratorius quid ſit, in compendio dicitur §. XIV.

§. I.

Haec de ſtili generibus, quae ad *qualitatem* et *quantitatem* uerborum comprehenſionumque pertinent. quum uero tum demum digne ſtilus exerceatur, quando ad argumenti, quod tractandum eſt, naturam et indolem adtenditur: alia inde progerminat ſtili diſtributio. aliter enim deſcribendae ſunt res geſtae; aliter, quae ad hominum naturam, mores et uitam ſpectant. aliter poetae ſeſe exprimunt. (*)

(*) exortus inde eſt ſtilus *hiſtoricus*, *philoſophicus*, *oratorius*, *poeticus*. quibus adiiciunt alii *epiſtolicum* et *dialogicum*, quae uero genera non, niſi partes ſunt ſtili oratorii, et in eo differunt, quod humiliori modo ac ſtilo, quam reliqua, exarantur. poeticum iam non curamus, quum peculiarem requirat

rat operam, et ad ipſam poeſin ſpectet, quae ſeorſum tradenda eſt.

§. II.

HISTORIA quum ſit geſta res, ab aetatis noſtrae memoria remota (1): facile, quae ſtili ſit natura, inde coniicitur. uerba requiruntur pura et elegantia, nexus perſpicuus, translatorum non abundans uſus. figurarum, quae uehementiores ſunt, uſurpatione prorſus interdicimur. periodorum uſus parcior eſt, quum fuſum magis et tractum requiratur dicendi genus, et numeri non tam finiti. acumen tamen non plane reiicitur.

(1) ita definit hiſtoriam CICERO de *inuentione lib. I. p.* 244, et, qui eum feliciter exſcribit, *auctor ad HERENNIVM lib. I. p.* 109.

§. III.

PRIMVM, quod ad hiſtoricum pertinet characterem, in uerbis conſiſtit *puris* et *elegantibus*. quod enim in omni oratione requiritur, ut pura ſit eloquutio, id cum primis hiſtoriam ornat. illiberalis enim ingenii eſt, inquinata dictione delectari inſulſeque profari, quod latine et poteſt, et debet. elegans etiam de-

debet eſſe ſtilus, ut uerba non de triuio ſumta, ſed ſelectiora comportentur, rebusque prorſus conueniant: quem ſelectum in primis commendat (*) LVCIANVS.

(*) libro, quem *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν* inſcripſit. *op. tom. II. p.* 413. ed. SAMBVCI. ὡς γὰρ τῇ γνώμῃ τοῦ συγγραφέως σκοπὸς ὑπεθέμεθα, παῤῥησίαν καὶ ἀλήθειαν: οὕτω δὲ καὶ τῇ φωνῇ αὐτοῦ εἷς σκοπὸς ὁ πρῶτος, σαφῶς δηλῶσαι, καὶ φανότατα ἐμφανίσαι τὸ πρᾶγμα, μήτε ἀποῤῥήτοις, καὶ ἔξω πάτου ὀνόμασι, μήτε τοῖς ἀγοραίοις τούτοις, καὶ καπηλικοῖς, ἀλλ᾽ ὡς μὲν τοὺς πολλοὺς συνιέναι, τοὺς δὲ πεπαιδευμένους ἐπαινέσαι. i. e. *nam ut menti ſcriptoris hos fines conſtituimus, libertatem dicendi, et ueritatem: ita et uoci eius unus hic finis et primus ſit, ut plane deſcribat et lucidisſime rem exponat, neque uerbis obſcuris, aut extra uſum poſitis, neque hiſce uulgatis et ruſticis; ſed ita ut intelligantur plerique et eruditis laudentur.* hanc qui regulam obſeruauerit cum cura, is demum puram iſtam et inluſtrem breuitatem conſequetur, quam tantopere laudat in CAESARE noſter TVLLIVS de *claris orator.* p. 633.

§. IV.

CVM PRIMIS uero in hiſtoriis enarrandis requiritur *perſpicuitas.* quem ad modum enim recte ridetur praeceptor ille (1), qui diſcipulos obſcurare (2), quae di-

dicerent, iubebat; ita non minus hiſtoriarum enarrator ridetur, qui non niſi obſcura nectit oracula. poetis interdum paullo accedere propius hiſtoricos, non negamus (3); eosque non numquam uerba remotiora, concedimus, figurasque licentiores adhibere: ſed illud ſane laudem non meretur. quin potius, ut, dum uerbis ſunt presſi, plana ſit illa breuitas (4) et inluſtris, necesſe eſt. ſalluſtiana enim illa concinnitate, nihil poteſt ad aures eruditas et uacuas dici perfectius.

(1) apud QVINCTILIANVM *inſtitut. orat. lib. VIII. cap. I. p.* 434.

(2) graeco uerbo utens σκότισον, σκότισον. unde nimirum egregia illa laudatio: tanto melior, ne ego quidem intellexi.

(3) id quod THVCIDIDES, SALLVSTIVS, TACITVS, FLORVS, docent, et idem FABIVS l. c. p. 566. confirmat.

(4) in TACITO eſſe, quae obſcuriora ſint, non inficiamur; at ſunt haec hominis, non artis, uitia. recte hanc rem intellexit LVCIANVS, qui l. c. p. 413. ita: ἡ λέξις δὲ σαφὴς, καὶ πολιτικὴ, οἵα ἐπισημότατα δηλοῦν τὸ ὑποκείμενον· i. e. *dictio autem plana et ciuilis, quae rem ſubiectam quam ſignificantisſime posſit* ex-

exprimere. et quamquam in rebus ſublimioribus ſententiam permittat accedere propius ad poeticen, ſubiungit tamen ſtatim: *ἡ λέξις δὲ ὅμως ἐπὶ γῆς βεβηκέτω.* at dictio tamen humi incedat.

§. V.

AD translationum uſum quod adtinet, non interdicimur omni illarum uſu, quippe quibus ne carere quidem in ulla ſtili forma poſſumus. modo neceſsitas, modo requirit ornatus hoſce tropos. at qui nimium exſultat, ad poetarum caſtra tranſit. quod iniuſtum eſſe, LVCIANVS recte (*) adfirmat.

(*) l. c. p. 414. *τῷ μὲν (ἡ λέξις) κάλλει, καὶ τῷ μεγέθει τῶν λεγομένων συνεπαιρομένη, καὶ ὡς ἔνι μάλιστα, ὁμοιουμένη, μὴ ξενίζουσα δὲ, μηδ' ὑπὲρ τὸν καιρὸν ἐνθουσιῶσα. κίνδυνος γὰρ αὐτῇ, τό, τε μέγιστον, παρακινῆσαι καὶ κατενεχθῆναι ἐς τὸν τῆς ποιητικῆς κορύβαντα.* i. e. *dictio cum pulcritudine et dictorum magnitudine ſimul ſe efferat, et ei, quantum fieri poteſt, accedat: ceterum nec peregrinitatem prae ſe ferens, neque intempeſtiue exſultans. periculum enim eſt, idque maximum, ne mente moueatur, et ad corybantem poetices proripiatur.*

§.

§. VI.

RECTE uero ab hiſtoricorum caſtris abeſſe (1) iubemus eas figuras, quae adfectibus commouendis inuentae ſunt, quo pertinent *exclamationes*, *interrogationes*, *proſopopoeiae*, *communicationes*, reliquae, ad oratorem praecipue ſpectantes. hae enim narrationem rerum geſtarum, quae elegans quidem, ſed ſedata eſſe debet, perturbant, faciuntque, ut oratoris perſonam induat, quem fabulatorem (2) commodum eſſe decet.

(1) confer HEINECC. *in fundam. ſtil. cult.* p. 121.

(2) non male hanc in rem differit LVCIANVS *excit. loc.* p. 414. καὶ μὴν inquit καὶ σχήμασι κεκοσμήσθω ἀνεπαχθέσι, καὶ τὸ ἀνεπιτήδευτον μάλιστα ἔχουσιν, ἐπεὶ τοῖς κατηρτυμένοις τῶν ζωμῶν ἐοικότας ἀποφαίνει τοὺς λόγους. i. e. *iam uero et figuris ornetur non moleſtis, aut adfectatis, quoniam, ut iuscula, ita recte conditam orationem adſerre decet.* huc et ea uerba pertinent, quae paullo ante poſuerat p. 413. καὶ τὴν ἄλλην τῆς ῥητορείας δεινότητα μὴ κομιδῆ τεθηγμένος, ἀρχέσθω τῆς γραφῆς· ἀλλ' εἰρηνικώτερον διακείμενος. i. e. *praeterea et reliqua oratoriae grauitate non admodum inſtructus ſcripturam ordiatur: ſed ſedatior paullo et tranquillior ſit.*

§. VII.

QVONIAM porro plana breuitas et inluſtris illa concinnitas in hiſtorico laudatur: non poſſunt illae comtiores, longioresque uerborum circuitiones locum inuenire (1). breuiores illae bimembres conceduntur, quoties cum fuſa tractaque (2) oratione coniunguntur, quae aequabilem et leniter fluentem efficiunt orationem.

(1) periodorum hunc aliquem uſum concedit etiam LVCIANVS hiſce uerbis. p. 413. τὴν δὲ φωνὴν καὶ τὴν τῆς ἑρμηνείας ἰσχὺν, τὴν μὲν σφοδρὰν ἐκείνην, καὶ κάρχαρον, καὶ συνεχῆ ταῖς περιόδοις, καὶ ἀγκύλην ταῖς ἐπιχειρήσεσι μὴ κομιδῆ τεθηγμένος, i. e. *uoce autem et expoſitionis ui, cum primis uehemente illa, et aſpera, et circuitionibus continua, et argumentationibus flexa non ualde acutus ſit uel inſtructus.*

(2) id enim eſt, quod cum primis requirit CICERO, cuius locum, quum et reliquas ſtili hiſtorici uirtutes recenſeat, producam. de *oratore lib.* II. *p.* 426. nam quis neſcit, primam eſſe hiſtoriae legem, ne quid falſi dicere audeat? deinde, ne quid uere non audeat? ne qua ſuſpicio gratiae ſit in ſcribendo? ne qua ſimultatis? haec ſcilicet fundamenta nota ſunt omnibus. ipſa autem exaedificatio poſita eſt in rebus et uerbis. rerum ratio ordinem temporum deſiderat regionum deſcriptio-

ptionem: ut etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis conſilia primum, deinde acta, poſt ea euentus exſpectantur, et de conſiliis ſignificari, quid ſcriptor probet, et in rebus geſtis declarari non ſolum, quid actum, aut dictum ſit, ſed etiam, quo modo; et quum de euentu dicatur, ut cauſſae explicentur omnes, uel caſus, uel ſapientiae, uel temeritatis: hominumque ipſorum non ſolum res geſtae, ſed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cuiusque uita, atque natura. *uerborum autem ratio et genus orationis, fuſum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens, ſine hac iudiciali aſperitate, et ſine ſententiarum forenſium aculeis proſequendum eſt.*

§. VIII.

SEQVITVR numerus in hiſtoriis adhibendus. eum his in rebus non tam finitum, quam moderatum eſſe debere, facile (*) patet. quum enim naturalis illius pulcritudinis et ueritatis potior, quam comtae nimis orationis habenda ſit ratio: numerus etiam ille fluidior et negligentior, quam elaboratior cum cura imitandus eſt.

(*) ita de numero, quem in hiſtorica oratione ſequi fas eſt, iudicat FABIVS *inſtitut. orat. lib. IX. cap. IV. p. 556. hiſtoria non tam finitos numeros, quam orbem quemdam contextumque deſiderat. namque omnia eius membra cone-*

nexa ſunt, quoniam lubrica eſt, ac fluit, ut homines, qui manibus in uicem adprehenſis, gradum firmant, continent et continentur. quo cum plane conſentit, quem ſaepe iam produxi, LVCIANVS, p. 415. *καὶ μὴν καὶ συνθήκη τῶν ὀνομάτων εὐκράτῳ καὶ μέσῃ χρηστέον, οὔτε ἄγαν ἀφιστάντα καὶ ἀπαρτῶντα· τραχὺ γάρ, οὔτε ῥυθμῷ παρ' ὀλίγον, ὡς οἱ πολλοί, συνάπτοντα·* i. e. *iam uero compoſitione uocum moderata et media quadam utendum eſt, ita ut neque nimium diſtrahantur ac disſocientur; (illud enim foret aſperum) neque numeroſa omnia, ut multi faciunt, continuentur.*

§. IX.

NEQVE illud denique', quod ingenii aliquod acumen prodit, in hoc charactere, abiiciendum eſt (*); quin potius ſi modus in rebus ſeruetur, neque ueritatis transſiliantur limites, perquam commendandum eſſe, quum ipſa ratio docet, tum exempla confirmant ueterum.

(*) eo ſe TACITVS et CVRTIVS inſigniuerunt, qui ſententiis ſuis, quas interdum inmiſcent, ornatam magis et lucidiorem reddunt narrationem. cauendum autem, ne et heic ultra limites progrediamur, et frigidi potius efficiamur, quam acuti. fontes argutiarum, praeter ARISTOTELEM, HERMOGENEM, CICERONEM, QVINCTILIANVM, SARBIEVIVM, MASENIVM, THESAV-

SAVRVM, MORHOFIVM, detexit excellentisſimus HEINECCIVS in *fundamentis ſtili cult. rom.* p. m. 136.

§. X.

ACCEDIMVS nunc ad philoſophorum dicendi rationem, quorum omnis oratio quum docendi cauſſa ſuſcipiatur: tenuis (1) ſit atque attica (2), oportet. hinc ille doctor in uocibus excogitandis liberior, in ornando ſermone parcior, in toto genere quietus et ſedatus, eſſe debet.

(1) docuimus hoc ſupra *part. II. cap. I. §. VIII. not.* 4. *p.* 227.

(2) atticorum quum praecipua uirtus fuerit, ut res uerbis exaequarent, neque plus, neque minus, uellent intelligi, quam uerbis indicarent: hanc philoſophis formam conuenire, nemo negauerit. illorum enim eſt, res docere iuſta ratione. qui uero id fiat, ubi aut plus, aut minus uelis indicare, quam dixeris? uerba quum cogitationum ſigna ſint, non plura decet proferre, quam, quae ualeant noſtras in aliorum animis cogitationes excitare.

§. XI.

EX EO, quod generatim de philoſophorum dictione docuimus, qualis il-

la ſit, quam iis in uocibus effingendis conceſſimus (1) libertas, intelligitur. quousque nimirum ſuppetunt uoces commodae, quarum magnus eſt apud CICERONEM uſus, ad barbaras uoces non eſt confugiendum. quoties uero nouis rebus noua (2) tribuenda ſunt nomina: toties nec iſta fingendi licentia uertetur uitio.

(1) *uocum* cura, quamuis quidam negent, ſumma eſſe philoſophis debet. determinanda illis eſt ſingulorum poteſtas uocabulorum, ut illorum ualore ſemper, omnique in loco, poſſint uti. oratoribus conceditur, ut modo hanc, modo illam, ſignificationem uocum adhibeant: philoſophis non conceditur. oratores enim perſuadent tantum; philoſophi demonſtrant. hinc facile perſpicuum eſt, quanta in *uerbis propriis* adhibendis ſapientium cura eſſe debeat. *translationes* enim quum diuerſas, et ſaepe obſcuras, producant ideas: cauere easdem debet philoſophus, ne falſas pro ueris obtrudat lectoribus ideas.

(2) quando non occurrunt in omni latio propriae uoces: tum uel ad graeciam, uel ad translata deſcendendum eſt. neque etiam *effictio nouorum* uitio uertitur *uerborum*, ſi deſunt ſigna, quibus ideae, cogitatione tantum ſeparatae, exprimantur. haec uero, qui eo trahat, ut barbariem eſſe philoſophis liberam arbitretur, multum et turpiter fallitur. *pura* debet eſſe omnis *oratio*, et ſi quis alius, phi-

philoſophiae ſane ſtudioſus eam debet tueri omni modo, quippe qui remouet a ſe omnia, quae inquinata ſunt, quae falſas et obſcuras ideas progignunt, quae nubem pro IVNONE obtrudunt. quanta in antiquorum ſcriptis optimarum uocum copia ſit et facultas, uti ſupra iam indicaui: ita uel ex ſolis CICERONIS topicis patet, in quibus plerique *termini*, ut loquuntur hodie, *technici*, aut artis potius uocabula occurrunt. hanc uero qui proprietatem uocum et puritatem, et determinatam ſignificationem uerborum omnium, ſedulo ſectatur: ille non poteſt non fieri *perſpicuus*. omnis enim obſcuritas maxime ex ambigue dictis, aut ex copioſiori, quam cogitationes uolebant, uel anguſtiori, quam requirebant, ſermone deriuatur. haec uero, ut iam diximus, cauere debet philoſophus, et cauet etiam, qui prudens eſt. qui poteſt ergo fieri obſcurus, dum ſignis utitur certis? determinatis? claris?

§. XII.

AD ORNATVM quod adtinet, quem non omnem philoſophis negamus, parcum eum eſſe debere, nec prius adhibendum, quam in rebus ad uirtutem ſpectantibus commendandis; aut uitiis disſuadendis ille uerſetur, qui philoſophiam non ignorant, facile intelligent (*)

(*) ornatus ſermonis ex translatis et figuris conſtat. translatorum uſus, niſi eorum,

quae propriorum loco adhibentur et determinantur definitione, prorſus iubetur exſulare, ne obſcurus fiat, aut falſas et inadaequatas proferat ideas. idem de figuris fere dicendum: ubi in demonſtrationibus uerſatur. quoniam tamen philoſophus in iis etiam non numquam occupatur, quae probabilia tantum ſunt, et reſpuunt demonſtrationem: poteſt omnino figurarum aliquid, exornationis cauſſa, ſuperaddere, ne prorſus nudus euadat, et aliqua ſaltim ueſte tegatur. ſedatiores tamen eſſe debent, nec iſtae floridiores, quibus ſe an macularit potius SENECA? an inluſtrauerit? equidem neſcio. acumen ſicubi ſe offerat ſponte, adhibendum eſt, non quaerendum anxie. cauenda tamen ſunt illa, quorum luſus in uerbis eſt, quod indignum uidetur philoſopho.

§. XIII.

INTEGRVM tandem orationis corpus, quod iam ſupra monuimus, ſedatum eſſe et quietum (1) decet. mollis enim eſt oratio philoſophorum, CICERONE auctore (2) et umbratilis, nec ſententiis, nec uerbis inſtructa popularibus, nec iuncta numeris ſed ſoluta liberius. nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutum. caſta, uerecunda, uirgo incorrupta quodam modo.

(1)

(1) de integro philoſophici ſermonis corpore ita diſputat CICERO in *oratore* p. 669. quamquam et philoſophi quidam ornate loquuti ſunt, - - tamen horum oratio neque neruos, neque aculeos oratorios, ac forenſes habet. loquuntur cum doctis, quorum ſedare animos malunt, quam incitare. ſic de rebus placatis, ac minime turbulentis, docendi cauſſa, non capiendi, loquuntur: ut in eo ipſo, quod delectationem aliquam dicendo aucupentur, plus non nullis, quam neceſſe ſit, facere uideantur.

(2) l. c. n. 64.

§. XIV.

DE ſtilo *oratorio*, ut ſpeciatim agamus, uix eſt neceſſe. omnem enim, quam hac tenus expoſuimus, illam puritatem (1), perſpicuitatem (2), et ornatum (3) praecipua quadam ratione ſibi uindicat. excurrit deinde ad omnes, quos adduximus, characteres, et quaſi unum quoddam corpus (4) inde conſtituit, ita quidem, ut pro rerum natura parua ſubmiſſe, modica temperate, magna grauiter dicat (5); hincque modo *rhodiorum* more paullulum exſpatietur, modo ad frugalitatem *atticorum* ſeſe reuocet.

(1) de qua commentati ſumus *part.* I. *cap.* I. *p.* 25.

(2) hanc expoſuimus *part.* I. *cap.* II. *p.* 96.

(3) illum cap. III. eiusque ſectionibus III. adduximus copioſe ſatis.

(4) hoc tam uerum eſt, et ad oratorem requiritur, ut, qui ſecus agat, contemnendus uideatur CICERONI orator. elegantiſſima ſunt, quae hanc in rem diſputat in *oratore* p. 677. ſeq. at uero hic noſter, *inquit*, quem principem ponimus, grauis, acer, ardens, ſi ad hoc unum eſt natus, aut in hoc ſolo ſe exercuit, *aut huic generi ſtudet uni*, *nec ſuam copiam cum illis duobus generibus temperauit: maxime eſt contemnendus* — — — hic autem *copioſiſſimus*, ſi nihil eſt aliud, *uix ſatis ſanus uideri ſolet.* qui enim nihil poteſt tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, diſtincte, facete dicere, praeſertim quum cauſſae partim totae ſint eo modo, partim aliqua ex parte tractandae: ſi is non praeparatis auribus inflammare rem coepit: furere apud ſanos, et quaſi inter ſobrios bacchari uinolentus uidetur.

(5) uid. CICERO in *oratore* p. 678.

PAR-

PARS III.
DE ADMINICVLIS STILI ROMANI.
CAP. I.
DE LATINIS GRAMMATICIS ILLARVMQVE VSV.

ORDO DICENDORVM.

olim prouecta demum aetate ad grammatices ſtudium accedebant uiri; hodie primum eſſe decet §. I.

diuiſio grammaticorum in ueteres ac recentiores, ueteres ſunt VARRO, SOSIPATER, DIOMEDES, PRISCIANVS, FLACCVS, FESTVS, DONATVS §. II.

triſtia medio aeuo grammatices erant fata §. III.

poſt renatas litteras grammatices ſtudium laetiora habuit fata. effloruit apud italos per MANCINELLVM, MANVTIVM, SCALIGERVM, §. IV.

apud hiſpanos excoluerunt illud NEBRISSENSIS, de la CERDA. SANCHEZ, apud luſitanos ALVAREZ. §. V.

apud gallos DESPAVTER. apud anglos LINACER. apud danos BANGIVS §. VI.

inter belgas VERRAEPEVS et VOSSIVS, inter germanos MELANCHTHON, FRISCHLINVS, SCHOPPIVS §. VII.

recentiſſimi et optimi ſunt VRSINVS, CELLARIVS, LANGIVS. auctores grammaticae marchicae, et tandem SCHWARTZIVS §. VIII.

legitimus grammaticarum uſus, cum apud iuuenes, tum apud uiros §. IX.

§.

§. I.

QVAMQVAM eo tempore, quo floruit latina lingua, nemo, niſi prouectiori demum aetate, (1) grammatices ad ſtudia ſeſe adplicuerit, ipſaque perfectionem linguae ſibi adquiſiuerit exercitatione: hodie tamen, ſiquis ſine grammatices uſu (2) ad eam adſpirauerit, ubi nemo ſit, qui adcurate cum infantibus loquatur, mea quidem ſententia errare uidetur longisſime.

(1) demonſtrat hoc uir magnus DAN. GEORG. MORHOFIVS de *pura dictione* cap. XV. §. IV. p. 260.

(2) mihi non aliter agere uidentur hi homines, quam qui ſine pixide nautica nauigant. incerti fluctuant, nec ubi conſiſtant, quoue tendant, ſatis ſciunt. quumque FACCIOLATVS, latinam linguam ex grammaticis addiſci non poſſe, adfirmat, id de perfecta linguae cognitione, ſine auctorum lectione, intelligendum eſt. neutrum poteſt ſeparari. nec enim ſine grammatica recte leguntur auctores, neque ſola grammatica ſufficit, ut latine quis posſit diſcere. non inutilis ergo labor erit, quem in enarrandis grammaticorum ſcriptis conſumemus.

§.

§. II.

GRAMMATICORVM labores in antiquorum et recentiorum ſcripta diſtribuemus. ad antiquiores referimus M. TERENTIVM VARRONEM (1), SOSIPATRVM (2), DIOMEDEM (3), PRISCIANVM (4), VERRIVM FLACCVM, et S. POMPEIVM FESTVM (5), AEL. denique DONATVM (6). quorum ceterorumque reliquias conlegerunt DIONYSIVS GOTHOFREDVS (7) et ELIAS PVTSCHIVS (8).

(1) reliquit is libros XXIV. de *latina lingua*, ex quibus III. priores, et, poſt nonum, omnes perierunt. prodierunt eius opera coniunctim cum notis IOSEPHI SCALIGERI, TVRNEBI, VICTORII, et AVGVSTINI. DVRDRECHTI ex officina IOAN. BEREWOVT MDCXIX. 8. plures editiones habet FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 77. *ſeqq. p.* 763. *tom.* II. *p.* 82. *ſeqq.* conf. etiam MORHOFIVM *de pura dictione* p. 264. et FVNCCIVM de *uirili aetate L. L. cap. V. p.* 311.

(2) FLAVIVS SOSIPATER CHARISIVS *inſtitutionum grammaticarum libros V.* ad filium reliquit; quibus tamen praeter *etymologiam*, *ſyntaxin*, et *proſodiam*, integram fere *doctrinam rhetoricam* de tropis atque ſchematibus copioſe inmiſcuit, ut fere integer liber IV. ſit rhetoricus. editiones uide apud ſummum FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. p. 781. ſeq.

(3)

(3) DIOMEDES iſte grammaticus, qui SOSIPATRVM fere exſcripſit, reliquit libros III. *de oratione et partibus orationis et uario genere metrorum.* loco *metrorum* legit hic *rhetorum* B. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 782. et, qui eum ſequitur, WALCH. in *hiſt. crit. lat. ling.* p. 253. ſed de *metris* librum agere, qui euoluerit, facile uidebit. inmiſcet et hic, quae ad *rhetoricam* pertinent. editiones uide apud laudatum FABRICIVM, apud PVTSCHIVM eius opuſcu'um occupat locum ſecundum.

(4) PRISCIANVS caeſarienſis, qui conſtantinopoli grammaticam docuit, plura reliquit ſcripta, quae huc pertinent. apud PVTSCHIVM occurrunt. 1) *commentariorum grammaticorum libri XVIII. p.* 538 - 1214. ex quibus praecipue duo poſtremi commendari merentur, quod in coniungendis uocibus ad graecam ſimul linguam reſpexit, huiusque cum latina conuenientiam indicauit. 2) *partitiones uerſuum XII. aeneidos principalium p.* 1215 – 1286. in quibus ſingula uerba et ſecundum regulas etymologicas et ſyntacticas et proſodicas examinat. 3) de *accentibus liber p.* 1286-1300. quo, quae accentu uel eleuentur uel deprimantur uocabula, deque ſignis grammaticis praecipit. 4) de *declinatione nominum liber p.* 1300 – 1320. in quo tamen non flectendi tantum per caſus, ſed et per tempora, et perſonas, rationem habuit. 5) de *uerſibus comicis liber p.* 1320 – 1330. docet hic, quo modo a graecis ſenſim in iambo-

rum

rum ratione deflexerint latini. 6) de *praeexercitamentis rhetoricae ex HERMOGENE lib. p.* 1330 – 1346. ubi de fabula, narratione, uſu, ſententia, operatione, refutatione, loco communi, laude, comparatione, adloquutione, deſcriptione, poſitione, et legislatione ſtrictim agit. 7) de *figuris et nominibus numerorum*, et de *nummis uel ponderibus liber* ad SYMMACHVM *p.* 1345–1358. eſt hic ille grammaticus, qui ſeueris ſuis, quas de latina lingua tulit, regulis meruit; ut, quicumque leges eius migrent, uapulare iubeant uehementer hunc grammaticum; unde et NICODEMI FRISCHLINI PRISCIANVS uapulans, fabula facetisſima, occaſionem habuit.

(5) meruiſſet hic VERRIVS ante SOSIPATRVM poni, quum, SVETONIO teſte, ſub AVGVSTO iam uixerit; uerum, quoniam non niſi fragmenta ex eo ſuperſunt, quae p. 110. ſeq. conlectionis GOTHOFREDI leguntur, huc eum retulimus. ſic etiam ex FESTI de uerborum ſignificatione plurima perierunt. reliquiae ſunt in GOTHOFREDI *conlectione* p. 242. ſeqq. utrumque hunc auctorem edidit IVSTVS IOSEPH. SCALIGER, apud PETRVM SANTANDREANVM MDXCIII. 8. confer etiam FABRICIVM *bibl. lat. tom. I. p.* 763.

(6) hic, qui quarto poſt. C. N. ſeculo uixit atque ante PRISCIANVM fuit, primus fere hanc diſciplinam in artis formam redigere, quaeue a reliquis erant omiſſa, ſupplere

coepit. reliquit ex PVTSCHII conlectione 1) *artis grammaticae editionem I.* qua de uoce, littera, ſyllaba, pedibus, tonis, poſituris agit. p. 1735. 2) eiusdem *editionem ſecundam* p. 1743. ſeqq. ubi de partibus orationis, de nomine, de comparatiuo, de generibus nominum, de pronomine, de uerbo, de aduerbiis, de participio, de coniunctione, de praepoſitione, de interiectione praecipit. 3) de *barbariſmo*, *ſoloecismo* et *ceteris uitiis*, de *metaplaſmo*, de *ſchematibus* de *tropis* p. 1767 – 1779. ex eius ſcriptis ea deſumta ſunt, quae hodie puerorum manibus teruntur.

(7) poſſideo hanc editionem: *auctores latinae linguae in unum redacti corpus: quorum auctorum ueterum et neotericorum elenchum ſequens pagina docebit, adiectis notis DIONYSII GOTHOFREDI. I. C. una cum indice generali in omnes auctores. S. GERVASII. excudebat PETRVS de la ROVIERE* MDCII. 4. recenſionem huius editionis uberrimam dedit eruditisſimus FABRICIVS *tom.* I. *bibl. lat. p.* 763. *ſeqq.*

(8) putſchiana conlectio hac gaudet inſcriptione: grammmaticae latinae auctores antiqui: CHARISIVS. DIOMEDES. PRISCIANVS. PROBVS. MAGNO. P. DIACONVS. PHOCAS. ASPER. DONATVS. SERVIVS. SERGIVS. CLEDONIVS. VICTORINVS. AVGVSTINVS. CONSENTIVS. ALCVINVS. EVTYCHES. FRONTO. VELIVS LONGVS. CAPER. SCAVRVS. AGROETIVS. CASSIODORVS. BEDA. TERENTIANVS. VICTORINVS. PLOTIVS. CAESIVS BASSVS.

SVS. FORTVNATIANVS. RVFINVS. CENSORINVS. MACROBIVS. incerti. quorum aliquot numquam ante hac editi, reliqui ex mſtis codicibus ita augentur, et emendantur, ut nunc primum prodire uideantur. opera et ſtudio HELIAE PVTSCHII. cum indicibus locupletisſimis. HANOVIAE typis wechelianis apud CLAVDIVM MARNIVM et heredes IOA. AVBRII. MDCV. 4. recenſionem pleniorem dabit laudatus FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. p. 781. ſeqq.

§. III.

POST haec tempora quum ad barbariem prolaberetur latinitas: neque in grammaticis multum fuit praeſtitum (*). poſtquam uero renatae fuerant in italia litterae cultiores: grammatices etiam ſtudia pulcriori flore ſurrexerunt.

(*) quam triſtia fuerint medio aeuo làtinitatis grammaticesque fata, docte conqueſtus eſt, et ſpeciminibus inluſtrauit, celeberrimus WALCHIVS in *hiſtoria crit. linguae lat.* p. 258. multa etiam, quae ad germaniam pertinent, habet uir humanisſimus IACOBVS BVRCKHARDVS, in elegantisſimis de *linguae latinae in germania per XVII. amplius ſecula fatis* commentariis, qui prodierunt HANNOVERAE clↄ Iↄccxiii. 8. *cap.* III. *p.* 58. *ſeqq.*

§. IV.

VTI ex italia renaſcentium litterarum fons deriuatus eſt ad gentes alias: ita et primus, qui grammatices ſtudium ex angulo produxit, italus fuit ANTONIVS MANCINELLVS (1), quem ex ciuibus MANVTIVS (2) et SCALIGER (3) ſequuti ſunt.

(1) operam ſuam is conlocauit editioni DONATI, quem emendatum et auctum edidit MCCCCLXXXVII. fol. uid. REINHARDI *inſtitutiones ſtili lat.* p. 61.

(2) eruditus hic litterarum elegantiorum ſtator communicauit cum eruditis *grammaticarum inſtitutionum libros IV.* qui prodierunt VENET. MDXXIII. 4. et MDLXXXI. 8. cum primis laudati ſaepiſſime NICODEMO FRISCHLINO, grammatico omnium conſenſu celebri.

(3) quem huc uocamus, IVL. CAESAR SCALIGER, eſt doctiſſimus eruditiſſimi filii parens. publicauit *libros XIII.* de *cauſſis lat. ling.* ſaepius editos, in aliis LVGDVNI MDXL. MDXCVII. et MDCXXII. 8. laudatur ob acumen ingenii et adcuratiſſimum de rebus propoſitis iudicium. confer MORHOFIVM de *pura dictione* p. 266. et celeb. WALCHIVM *hiſtor. crit. lat. ling.* p. 261.

§. V.

IMITATI hos deinde fuerunt hiſpani, qui-

quibus omnem grammatices laudem adtribuit MORHOFIVS (1). ſpectant huc AEL. ANT. NEBRISSENSIS (2), LVD. de la CERDA (3) et FRANCISCVS SANCHEZ (4), quibus adiungendus luſitanus quidam, EMMANVEL ALVAREZ (5).

(1) *nulla gens hac in re hiſpanorum induſtriam ſuperauit, adeo, ut, quidquid in grammaticis ſingulari cura excogitatum, ac penſitatum fuit, illorum curae unice debeatur.* ita iudicat MORHOFIVS de *pura dictione cap. XV. §. VI. p. 265.*

(2) uocatus eſt ANTONIVS DE LEBRIXIA, et obiit diem ſupremum M D XXII. ipſe ſibi AELII nomen adſciuit, hincque uulgo AEL. ANTONIVS NEBRISSENSIS nominatus fuit. prodiit eius *grammatica* COMPLVT. MDXXIV. et LVGDVNI MDXLI. de qua et reliquis eius operibus copioſe tractauit MORHOFIVS de *pura dictione* cap. *XV.* p. 267. ſeqq.

(3) inſtitit hic ueſtigiis ANTONII DE LEBRIXIA, cuius *grammaticam* retexit, multaque de ſuo addidit, noua aliqua methodo, nouisque commentariis artem illam proponens. uid. MORHOF. l. c. p. 268.

(4) FRANCISCVS SANCHEZ ſiue SANCTIVS longisſime ſuperauit anteceſſorum ſuorum induſtriam. reliquit *mineruam, ſeu de cauſſis latinae linguae commentarium.* quod opus deinde SCIOPPIVS maxime commendauit, et PERIZONIVS optimis obſeruationibus

auctum edidit LVGDVNI BATAVOR. *quartum* MDCCXIV. 8. hiſtoriam huius habet celeb. WALCHIVS *hiſt. crit. L. L. p.* 262. *ſeqq.* adde MORHOF. *polyhiſt. lib IV cap. X. p.* 121. et de *pura dictione* p. 273. ſeq.

(5) maxime luſitanum huncce commendat SCIOPPIVS in *oratione de ueteris ac nouae grammaticae latinae origine dignitate ac uſu*, cuius *inſtitutionis grammaticae libri tres* prodierunt in aliis GENVAE MDCLXXXVI. 8. de quibus lege praeter SCIOPPIVM, celeb. WALCHII *hiſt. crit. L. L. p.* 260. *ſeqq.* et MORHOF. de *pura dict. p.* 272.

§. VI.

NEQVE aliis gentibus defuerunt, qui excolendis grammatices ſtudiis operam impenderent et ſtudium. ex *gallis* notari meretur DESPAVTERIVS (1); ex *anglis* LINACER (2); ex *danis* BANGIVS (3).

(1) quidnam de DESPAVTERIO habendum ſit, in aliis docet MORHOFIVS de *pura dictione* p 277. qui et auctores adducit, quos egregie iudicaſſe de hoc uiro, conſtat.

(2) eius proſtant de *emendata ſtructura latini ſermonis lib. VI.* qui, praeter alias editiones, ex recognitione CAMERARII prodierunt LIPSIAE MDLXIX. 8. lege etiam MORHOF. de *pura dictione* p. 278. et quae ibi notauit uenerab. MOSHEMIVS. add. WALCHIVS in *hiſtoria crit. lat ling. p.* 272 ſeqq.

(3)

(3) THOMAE BANGII *obſeruationum philologicarum libri II.* abſolutiſſimam complectuntur grammaticam, quae uel eruditis multum utilitatis praeſtare poſſit. prod. HAFNIAE MDCXL. 8. cui etiam *praecepta grammaticae latinae minora* eodem anno edita debemus. lege WALCHIVM *l. c. p.* 280. et MORHOF. *de pura dictione p.* 275.

§. VII.

NEQVE minus belgae atque germani hoc in ſtudio excelluerunt. ex *belgis* VERREPAEVS (1) et VOSSIVS (2); ex *germanis* MELANCHTHON (3), FRISCHLINVS (4) et SCIOPPIVS (5) commendantur, quorum ſcripta ſingularem in his artibus laudem promeruerunt.

(1) SIMON. VERREPAEI grammaticam memorat MORHOFIVS de *pura dictione* p. 278. mihi numquam uiſam. poſſideo alias ab hoc auctore ſcripta ſequentia, multa laude digna. 1) *praeceptiones de uerborum et rerum copia, item de figuris, ſiue de tropis et ſchematibus per quaeſtiones in uſum ſcholarum luculenter et breuiter explicatas auctore* SIMONE VERREPAEO COLON. MDLXXXII. 8. 2) de *epiſtolis latine conſcribendis lib. IV. conlecti digeſti ac in lucem editi* opera SIMONIS VERREPAEI. MDLXXIX. 8. 3) SIMONIS VERREPAEI de *epiſtolis latine conſcribendis lib. V. denuo exactiore methodo, ſchematiſmis et ſcholiis inluſtrati et acceſſione noua poſtremum aucti* COLON. MDXCVIII. 8. hoc opus, quod

 di-

diuerſum eſt ab antecedente, quaeſtionibus et reſponſionibus conſtat, non uero dialogis, ut antecedens. 4) *epiſtolae ſelectiores* IO. LVDOV. VIVIS VALENTINI *in uſum ſcholarum in III. libros digeſtae opera* SIMON. VERREPAEI COLON. cIↄ Iↄ LXXII. 8.

(2) magnum omnino et XL. annorum opus eſt, quod ARISTARCHVM inſcripſit GERARDVS IOA. VOSSIVS. poſſideo ego editionem, quae AMSTELOD. MDCLXXXXV. in fol. prodiit. ex SANCTIO multa eum deſcripſiſſe, arbitratur MORHOFIVS de *pura dictione* p. 274. multa quoque in eo monet RICHARDVS IOHNSONIVS in *commentar. grammat.* LONDINI MDCCXVI. 8. editis. uid MOSHEM. ad MORH. l. c. adde etiam WALCHIVM p. 269. *hiſt. crit.* proſtat quoque uiri huius litterariſſimi ſtudio contractius aliquod opuſculum grammaticum, quod in ſcholis confederati belgii receptum uſu eſt. ad manus mihi eſt ſequens editio. *latina grammatica ex decreto inluſtr. D. D. hollandiae weſtfriſiaeque ordinum in uſum ſcholarum adornata; multis quidem in locis LVDOV. LITHOCOMI uerbis, quibus ſcholae adſueuerant, reſeruatis: ſed erroribus, quibus ſcatebat, emendatis; inutilibus reſectis; pluribus, quae deſierent, ſuppletis, et omnibus meliori ordine diſpoſitis, ſtudio atque opera GER. IOA. VOSSII editio quarta, noua huiusce anni cum aliquot in locis caſtigatior prioribus; notis uero longe auctior.* AMSTELOD. cIↄ Iↄ LXI. 8.

(3)

(3) communis hicce totius fere germaniae praeceptor, cum multis diſciplinis aliis, tum grammatices praeceptis conſcribendis horas etiam aliquot impendit. et, qua erat ſtili perſpicuitate atque elegantia, praeclare multa praecepit. uide WALCH. l. c. p. 272. earum praeceptionum uſus, ultra ſeculum, in multis germaniae partibus, ſaxonia praeſertim, perdurauit.

(4) NICODEMVS FRISCHLINVS et *grammatica ſtrigili*, et *grammatica latina* praeclarum ſibi nomen apud iuſtos rerum harum aeſtimatores adquiſiuit: neque dialogi, quos ſcripſit aduerſus CRVSIVM, ſi, quae ſcommata ſunt, ſegreges; laude ſua ſunt defraudandi: quippe multis praeclaris obſeruationibus referti. plura hanc in rem diſputaui in uita huius uiri p. 75 – 88. et alibi, quae prodiit HELMST. MDCCXXV. 4.

(5) eius maxime huc ſpectat *grammatica philoſophica*, quae ſaepius lucem uidit, et digna eſt, quae ſaepius legatur. multa de ea collegit WALCHIVS. *hiſt. crit. lat. ling.* p. 265. ſeqq. et MORHOF. de *pura dictione* p. 282. plura ſuppeditabimus aliquando, ut uitam SCIOPPII communicabimus cum eruditis.

§. VIII.

EX recentisſimis (1) grammaticorum ſcriptis multa etiam ſunt, quae laudem merentur et celebrationem.

X 5 prae-

praecipui horum ſunt VRSINVS (2), CELLARIVS (3), LANGIVS (4), *auctores grammaticae marchicae* (5), et SCHWARTZIVS (6). in quibus conferendis multum operae pretium fecerint latii cultores.

(1) innumera quidem uulgarium grammaticorum cohors eſt, qui poſt hos uiros eruditos in hoc campo deſudarunt: uerum de infima plebe ſunt, quorum ſcripta, pauca ſi excipias, quae bona habent, ex aliis deſcripſerunt, multisque et innumeris fere erroribus impleuerunt.

(2) GEORGII HENRICI VRSINI, gymnaſii ratisponenſ. rectoris labores, quos grammaticis impendit ſtudiis, eruditorum magis, quam iuuenum, uſibus deſtinati ſunt. edidit is *inſtitutionum pleniſſimarum, quibus linguae latinae praecepta uernacula ſolide traduntur, et cauſſae notis additis adcurate eruuntur, uel examinantur, in uſum docentium ſimul et diſcentium conlectarum confectarumque tomos II.* RATISPON. MDCCI. 8. praecepta ipſa germanice proponuntur, regulis concinnis et genuinis; cauſſae uero regularum, exemplorumque ratio, latinis uerbis ſubiunguntur, in quibus non tantum ſelectus laudari meretur, ſed et adcurata locorum ex auctoribus adnotatio, quae plerisque libellis grammaticis, maxime tritis, deeſt.

(3) CELLARII *erleichterte grammatica*, quae ſubiungi ſolet eius *libro memoriali* maxime

xime commendanda iuuentuti uidetur, partim, quod regulae ſunt paucae et tamen perſpicuae et ſufficientes; partim quod uernacula lingua conceptae, quae omnino captui puerorum adcommodata eſt optime; partim denique quod recentisſima GESNERI opera ſunt expolitae.

(4) eodem ex capite laudanda IOACHIM LANGII *verbeſſerte und erleichterte lateiniſche grammatica*, quae copioſior paullo eſt, et in proſodia plenior ornatiorque. editiones plurimae proſtant et in multorum manibus uerſantur.

(5) omnibus tamen hiſce palmam dubiam reddidit adhuc *grammatica marchica*, de qua ob perſpicuitatem, concinnitatem, adcuratum iudicium, exemplorum copiam, regularum ueritatem, prorſus egregie ſentio, CICERONEque dignum opus arbitror. prodiit BEROL. MDCCXVIII. 8. poſt ſaepe et in ſaxonia repetita fuit editio.

(6) antequam de ornatisſimi huius uiri labore ſententiam noſtram expromamus, quum ipſius operis indicem, tum plenum eius recenſum dabimus. index libri hic eſt: *IO. CONRADI* Schwartz *P. P. grammatica latina, ex perluſtratione ueterum ſcriptorum concinnata, auctoritatibus idoneis firmata, et ueris cuiusque rei cauſſis comprobata in uſum gymnaſii caſimiriani et ſcholae ſenatoriae coburgenſis* COBVRGI CIↃIↃCCXXXII. 8. praemiſſa praefatione, qua partim, cur latine ſcripſerit, rationes dicit, partim, quo modo ſua differat a reliquis grammaticis, indicat, ad

ad ipſum opus ſe accingit, quod ante poſitis praenotionibus in *quatuor libros* diuidit. *liber* I. agit de *orthoepia* quinque capitibus, quorum I. tractatur de *ipſa orthoepia generatim.* II. de *litteris*, ſeu *orthographia.* III. de *reliquis ſignis orthographiae.* IV. de *ſollertia disiungendi ſyllabam a ſyllaba.* V. de *figuris orthographicis. liber* II. *duobus* capitibus de *proſodia* tractat. et I. quidem de *proſodia proſaica.* II. de *proſodia uorſae orationis latinae* ſectionibus VIII. harum I. de *quantitate ultimarum ſyllabarum.* II. de *pedibus.* III. de *uerſibus.* IV. de *reliquis nominibus uerſuum.* V. *uocabula quaedam artificialia uerſuum continet:* VI. de *uirtutibus uerſuum.* VII. de *carmine.* VIII. de *figuris proſodiacis*, agit. *liber* III. in *etymologia* eſt occupatus et quidem XV. capitibus. I. de *etymologia ſimplici.* II. de *nomine* in ſectiones VII. diſpeſcitur. I. complectitur *regulas generales* de *generibus nominum.* II. de *maſculinis* ex *terminatione cognoſcendis.* III. de *genere adiectiuorum*, ſeu de *motione.* IV. de *comparatione adiectiuorum.* V. de *numero.* VI. de *caſu.* VII. de *declinatione.* hanc in nouas *ſectiunculas* diuidit, quarum I. de *declinatione prima.* II. de *declinatione ſecunda.* III. de *declinatione tertia.* IV. de *quarta declinatione.* V. de *quinta declinatione.* VI. de *adiectiuorum declinatione.* ſectio maior VIII. quae de *anomalia nominum* tractat, ſex nouis ſectiunculis abſoluitur; quarum I. de *heterogeneis.* II. de *heteroclitis.* III. de *defectiuis numero.* IV. de *defectiuis caſu.* V.

V. de *abundantibus*. VI. de *indeclinabilibus* agit. ſectio IX. de *ſpecie nominum*. ſect. X. de *figura nominum*. XI. de *actione* et *paſſione nominum*. XII. de *ſignificatione nominum* et *rectione*. caput III. huius libri de *etymologia pronominis* agit ſectionibus V. et I. de *qualitate* et *perſona pronominum*. II. de *genere*, *motione*, *numero*, *caſu pronominum*. III. de *declinatione pronominis*. IV. de *ſignificatione pronominum*. V. de *ſpecie et figura pronominum*. *caput* IV. quod *etymologiam uerbi* complectitur XIX. ſectionibus abſoluitur. I. agit de *actione* et *paſſione uerborum*. II. de *qualitate uerbi*. III. de *genere uerbi*. I. de *ſpecie uerborum*. V. de *figura uerborum*. VI. de *tempore*. VII. de *numero et perſona*. VIII. de *modo uerborum*. IX. de *ſignificatione uerb*. X. de *ſimilitudine praeteritorum in disſimili ſignificatione*. XI. de *coniugatione uerbi*. XII. de *terminationibus praeteritorum primae coniugationis actiuorum*. XIII. de *praeteritis et ſupinis ſecundae coniug*. XIV. de *praeter. et ſup. tertiae coniug*. XV. de *praet. et ſup. quartae coniug*. XVI. de *uerbis heteroclitis*. XVII. de *uerbis defectiuis*. XVIII. de *uerbis abundantibus*. XIX. de *uerbis imperſonalibus*. cap. V. agit de *participio*. cap. I. de *aduerbio* ſectionibus V. quarum I. de *ſignificatione*. II. de *comparatione aduerb*. III. de *abundantibus aduerbiis*. IV. de *aduerbiis inſeparabilibus*. V. de *ſpecie* et *figura tractat*. caput VII. de *praepoſitione*. ſect. I. de *ſpecie*, *figura*, *ſocialitate*. ſect. II. de *ſignificatione* et *rectione praepoſitionum* agit. cap. IX.

IX. de *interiectione* tractat cap X *etymologiam figuratam* conſiderat decem ſectionibus. I. continet *regulas* de *enallage*, II. de *enallage pronominum*, III. de *enallage uerborum*. IV. de *enallage participiorum*. V. de *enallage aduerbiorum*, VI. de *enallage praepoſitionum*. VII. de *enallage coniunctionum*. cap. XI. de *antimeria* ſectiones habet ſeptem. I. *antimeriam nominis*. II. *antimer. pronominis*. III. *antim. uerbi*. IV. *antim. participii*. V. *antim. aduerbii*. VI. *antim. praepoſitionis*. VII. *antim. coniunctionis*. caput XII. *graeciſmi* rationem nouem ſectionibus abſoluit. I. agit de *graeciſmo proſodiae*. II. de *graec. ſpeciei et figurae nom*. III. de *graec. generis nom*. IV. de *graeciſmo declinationis et quidem ſectiunc*. 1. de *declinatione nom. graecorum*. 2. *declin. ſecundae*, 3. *declin. tertiae*. 4. de *conuenientia* 1. et 2. *declinationis cum graecis*. V. de *patronymicis* et *gentilibus* et *deminutiuis*. VI. de *graeciſmo pronominum*. VII. de *graeciſmo uerb*. VIII. de *enallage graeca*. IX. de *antimeria graeca*. caput. XIII. quod de *archaiſmo* diſputat, ſect. I. agit de *archaiſmi orthographia*. II. de *archaiſmi proſodia*. III. de *archaiſmo etymol* et *primo* quidem *nominis*. IV. de *archais. pronominum*. V. *uerborum*, VI. *aduerbiorum*, VII. *praepoſitionum*. VIII. *antimeria archaiſmi*. cap. XIV. de *neoteriſmo* agit. ſect. I. de *neoteriſmo orthograph*. II. *proſodiae*. III. *etymologiae*. cap. XV. de *idiotiſmis*. cap. XVI. de *barbariſmo*. *liber* IV. capitibus XXII. conſtat et *ſyntaxin* continet. cap. I. *regulas generales* X. complectitur prae-

praeſtantisſimas. cap. II. *ſyntaxin concordiae*, ſeu *conuenientiae* praeceptis ſeptem. cap. III. de *ſyntaxi tranſitiua* et quidem de *ſyntaxi genitiui*. cap. IV. de *ſyntaxi datiui*. cap. V. de *ſyntaxi adcuſatiui*. cap. VI. de *ſyntaxi uocatiui*. cap. VII. de *ſyntaxi ablatiui*. cap. VIII. de *conſtructione modorum*. cap. IX. de *figuris ſyntacticis*. ſect. 1. de *ellipſi nominum*. 2. de *ellipſi pronom*. 3. de *ellipſi uerborum*. 4. *participiorum*. 5. *aduerbiorum*. 6. *praepoſitionis*. 7. *coniunctionis*. 8. *interiectionis*. 9. de *zeugmate*, *euocatione* et *prolepſi*. cap. X. de *pleonaſmo*. ſect. I. de *pleonaſmo nominis*. 2. *pronominis*. 3. *uerbi*. 4. *participii*. 5. *aduerbii*. 6. *praepoſitionis*. 7. *coniunctionis*. cap. XI. agit de *ſynchyſi*. cap. XII. de *ſyntheſi*. cap. XIII. de *ſyllepſi*. agit. cap. XIV. conſiderat figuram ἓν διὰ δυοῖν. cap. XV. agit de *hyperbato* et *parentheſi*. XVI. de *tmeſi*. XVII. *periphraſi*. XVIII. *graeciſmo ſyntactico*. ſect. 1. de *ſyntaxi concordiae graeca*. 2. *ſyntaxi genit. gr*. 3. *dat. graeca*. 4. *ſynt. accuſ. gr*. cap. XIX. de *ſyntaxi archaiſmi*. ſect. 1. de *antiqua ſyntaxi concordiae*. 2. *ant. ſyntax. gen*. 3. *datiui*. 4. *accuſat*. 5. *ablat*. 6. *antiqua praepoſitionum conſtructione*. 7. *gerundiorum*. 8. de *antiqua craſi*. cap. XX. de *anacolutho*, *ſoloeciſmo* et *ſimilibus rebus*. cap. XXI. de *aliis quibusdam rebus in poliendo ſermone obſeruandis*, ſeu de *ſyntaxi ornata*. cap. XXII. de *ordine uocabulorum et poſitu*, *ut clariora uideantur*, ſeu de *naturali conſtruendi ratione*. adparet ex hac, quam dedimus, ſciagraphia, quam ſtupendo labore et induſtria uerſatus ſit uir do-

doctiſſimus ; quiue rem uſtius perpendunt, primas facile in hoc genere ipſi concedent, profectioribus tamen accommodatior labor uidetur , quam tyronibus , qui ſane tot rebus, per ſe utiliſſimis , capiendis pares exiſtimandi haud uidentur.

§. IX.

AD uſum harum inſtitutionum quod adtinet , alia conuenire iuuenibus , alia uiris ; res ipſa docet. hiſce ita conferendae (1) ſunt , ut , ſi quae dubia occurrant , aut in legendis auctoribus , aut in ipſa meditatione , habeant , quo recurrant , facilemque uiam ſibi faciant. iſtis uero (2) ita iis utendum , ut fundamenta linguae ex illis hauriant , inque coniungendis uocibus certiores fiant.

(1) quum enim res memoriae ſit grammatices ſtudium : multa exire ſenſim ex memoria poſſunt , quae relegendis uberioribus eruditorum hac in re ſcriptis , praeſertim quae SANCTIVS , SCIOPPIVS et SCHWARTZIVS dederunt , non tantum repetuntur , ſed altius etiam inprimuntur. quae ſi conferantur cum auctoribus ipſis , ſaepe ſuppeditant occaſionem altius in res penetrandi , deque non nullis momentis adcuratius ferendi iudicium.

(2) peruerſam iſti uiam ingredi mihi uidentur,

dentur, qui, totis grammaticis et ſpisſis ſaepe uoluminibus memoriae tradendis, macerant imbecilles puerorum animos. facilior uia eſt, quae per crebram exercitationem ſuſcipitur. ita enim facilius adquiritur habitus. iſti, *ut moniales pſalterium*, quaedam pronuntiant. quinam uero regularum ſenſus ſit, prorſus ignorant, nec ullam adplicandi normam animo complectuntur. at uero qui, praemisſis *declinandi*, *coniugandique* modis, in etymologiae non minus, quam ſyntaxios ſtudio ita uerſatur, ut, praelectis ex auctore uerbis, examen aliquod inſtituat, iubeatque diſcipulos, quae ſunt in grammaticis ea de re obſeruationes, euoluere, euolutas clara uoce praelegere, praelectas ipſe adplicet, et adplicare doceat, idque indefeſſo ſemper ſtudio continuet, nec prius ad componendi uiam progrediatur, quam auctorem aliquem hoc modo pertractauerit: is ſane fructum ſentiet uberrimum, nec umquam, de male conlocato tempore querelas audiet inſtitui.

****

PARTIS III.

CAP. II.

DE LEXICIS LATINIS ILLORVMQVE VSV LEGITIMO.

DICENDORVM ORDO.

memoriae imbecillitati ob-] uiam itum eſt per lexica §. I.

ini-

initium horum ex tumultuaria conſtitit opera, §. II.
lexica maiora et praeſtantiora §. III.
lexica ex minoribus praeſtantiora §. IV.
lexica latinitatis purae et incorruptae §. V.
nomenclatores §. VI.
phraſium ſcriptores §. VII.
quem ad modum his ſit fontibus utendum §. VIII.

§. I.

QVVM tanta ſit memoriae noſtrae imbecillitas, ut multarum non rerum modo, ſed uocum etiam obliuio mentem ſubeat: non male fuit huic malo obuiam itum eo peritorum labore, quo lexica, rerum et phraſium latinarum theſaurum continentia, nobis cum communicarunt.

§. II.

QVO VSQVE romanae linguae uſus perdurauit apud integram gentem: non niſi tumultuaria quaedam grammaticorum ſcripta promulgata (1) ſunt. ſed poſtquam uſus exoleuit, atque inter eruditos tantum floruit; maior huic ſtudio labor impenſus fuit (2). cum primis uero poſt renatas elegantiores litteras laetiorem faciem et *lexica* acceperunt.

(1) eo ſpectant FESTVS de *uerborum ſignificationibus*, et VERRIVS FLACCVS de *uerborum ſignificatione*, et alii, quorum memi-

minit reuerend. WALCHIVS in *hiſt. crit. ling. lat.* p. 333.

(2) copioſior quidem labor eſt eorum, qui hoc tempore coeperunt cônſcribere lexica; ſed qui ſimul illam aetatem barbaram et caligines eruditionis conſiderat: non mirabitur labes illas et tenebras, quae et in hiſce libris regnant. produxit quaedam huc ſpectantia, quem iam laudaui, WALCHIVS l. c. p. 334. ſeq. et MORHOFIVS *polyhiſt. tom. I. lib. IV. cap. IX. p.* 110.

§. III.

EX laetiori litterarum aruo laetiora quoque lexica producta ſunt. teſtantur hoc labores PEROTTI (1), CALEPINI (2), STEPHANI (3), CAELII SECVNDI CVRIONIS (4), STEPHANI DOLETI (5), LVDOVICI LVCII (6), BASILII FABRI (7), et ANDREAE REYHERI (8): quibus multum lucis, ad intelligendos auctores latinos, facultatemque ſcribendi comparandam, accenſum eſt.

(1) primus hic planiorem in lexico conſcribendo uiam ſequutus, barbariem profligare coepit. at coepit tantum, quum praeter MARTIALEM, uix ſit, qui lucem inde accipiat. uocauit hoc ſuum lexicon: *cornu copiae*, atque edidit VENETIIS MCDXCII. lege WALCHIVM *l. c. p.* 337. copioſius haec ex-

poſuit MORHOF. *polyhiſt. l. c. p.* 110. *ſeq.* et de *pura dictione p.* 82.

(2) deſcripſit hic fere ſua omnia ex PEROTTO, multis ideo cenſuris uexatus. quum tamen miro quodam fato uiri certatim eruditi ſymbolas ſuas ad hoc opus conferrent: adcreuit deinde liber in tantam molem, qua hodie XI. linguas continens, romani cum primis pontificis ſectatoribus tantopere commendatur. hiſtoriam huius lexici, quod multa probanda continet, lege apud MORHOF. de *pura dictione* p. 83. *polyhiſt. l. c. p.* 110. *ſeq.* WALCHIVM *hiſt. crit. ling. lat. p.* 337. adde auctores ab eo productos.

(3) longe felicior fuit in ſupplendis eis, quae fuerant deſiderata, ROBERTVS STEPHANVS; cuius labor quam probus fuerit, partim ex eruditiſſimorum elogiis, partim ex plagiariorum, qui eius ſcrinia compilarunt, magna copia perſpicitur. edidit *dictionarium, ſeu latinae linguae theſaurum, non ſingulas modo dictiones continens, ſed integras quoque latine et loquendi et ſcribendi formulas, ex* CATONE, CICERONE, PLINIO auunculo, TERENTIO, VARRONE, LIVIO, PLINIO SECVNDO, VIRGILIO, CAESARE, COLVMELLA, PLAVTO, MARTIALE: *cum latina tum grammaticorum, tum uarii generis ſcriptorum interpretatione* PARIS. MDXXXVI. *fol. tribus tomis.* uenit mihi nuper felici ſidere ad manum ſecunda praeſtantiſſimi operis editio, quam merito cimeliis meis adnumero, cuius haec eſt inſcriptio:

ptio: *dictionarium, ſeu latinae linguae theſaurus, non ſingulas modo dictiones continens ſed integras quoque latine et loquendi et ſcribendi formulas ex optimis quibusque authoribus, ea quidem nunc acceſſione, ut nihil propemodum obſeruatu dignum ſit apud oratores, hiſtoricos, poetas, omnis denique generis ſcriptores, quod hic non promtum paratumque habeat. editio ſecunda.* PARISIIS *ex officina ROBERTI STEPHANI, typographi regii*, M D XLIII. *cum priuilegio regis. folio.* habet haec editio hoc ſingulare, quod, quum prima tantum ex TERENTIO collecta eſſet et PLAVTO, noſtra reliquos auctores habeat adiectos. praetereaque *quo prolixius*, ita ipſa praefationis uerba habent, *ad nos diuertentes hoſpites acciperemus, a doctiſſimo quoque aetatis huius, quidquid in hoc commentandi genere adnotasſet, et popoſcimus et accepimus. quos equidem omnes nominatim hic adpellarem, niſi uererer, ne de ſingulorum doctrina dicere parans nec ſatis ample pro cuiusque meritis dicere uiderer, et modum tamen epiſtolae excederem. quamquam de GVLIELMO BVDAEO tacere non poſſumus uiro litteris et graecis et latinis omnique doctrina eruditisſimo: qui pro ſua humanitate, ſtudioque in litteras ſingulari, de quibus neque bene merenti finem, neque modum illum umquam fecit, ὑπομνηματισμὺς nobis ſuos communicauit, et quibus, quidquid ad inſtitutum opus pertineret, deſcriberemus.* cet. conſtat opus tomis II. in folio. non tribus, quorum I. cum littera K. fol. 816. et poſterior fol. 817. orditur 1544. finit. ſub finem acceſſerunt quaedam ſup-

 ple-

plementa non contemnenda, ultima folii pagina haec uerba habet : PARISIIS, excudebat ROBERTVS STEPHANVS, typographus regius in ſua officina anno M D XLIII. XII. calend. Iul. plura lege apud MORHOF. l. c. p. 111. de *pura dictione* p. 84. ſeq. WALCH. *hiſt. crit. L. L. p.* 359. *ſeqq.*

(4) notamus hunc uirum ideo inter celebres lexicographos, quod eius auſpiciis et opera *forum* illud *romanum* lucem adſpexit. notum eſt, et iam dudum uiris eruditis obſeruatum, quantum plagium commiſerit, dum integrum STEPHANI theſaurum exſcripſerit, nihilque praeter indicem libri mutauerit. exſtat in noſtra bibliotheca publica opus ita inſcriptum : *theſaurus linguae latinae, aurei romanae eloquentiae ſeculi, in foro et extra forum, penus atque promtuarium, omnes uoces, recteque loquendi formulas, ex puriſſimis ſcriptoribus petitas, multo quam ante hac umquam et locupletiores et emendatiores comprehendens. ex officina frobeniana* BASIL. M D LXXVIII. *tribus tomis in folio.* qui liber quum camdem dedicationem habeat, quam praemiſit CVRIO, ALBERTI BVRERI nomine praeſcriptam, augetur inde numerus plagiariorum STEPHANI a MORHOFIO productorum de *pura dictione* p. 84. et *polyhiſt. lib. IV. cap. IX. p.* 112. hic uero BVRERVS, niſi fuerit nomen a FROBENIO confictum, impudentiſſimus fuerit, neceſſe eſt, quum uel ipſam dedicationem, quae extra controuerſiam CVRIONIS eſt, ſibi adſcripſerit. cete-

ceterum etſi inique fecerit CVRIO, quod ſuppreſſo STEPHANI nomine opus euulgauerit: non tamen ea fuit impudentia, ut ſibi opus adſcriberet, qui praeter recognitionem et emendationem nihil ſibi adrogat. quum non ubiuis obuium ſit opus: dabo uerba quaedam, ex quibus plagii crimen atque odium multum imminuetur. ita uero: *horum igitur* inquit, *et nos conatum induſtriamque imitati, in* NIZOLIO *primum, qui* CICERONIS *tantum, et paucorum praeter ea, qui ad eum ſcripſere, uerba ſententiasque complectitur, augendo, expediendoque et explicando multum operae laborisque poſuimus: deinde* NICOLAO EPISCOPIO, *ac* HIERONYMO FROBENIO, *nobiliſſimis typographis, et in pulcerrimo munere ſociis, hortantibus et petentibus, in hoc opere concinnando elaborauimus: qui theſaurus linguae latinae primum eſt adpellatus. poſt ſequuta eſt ueneta editio, cui multum* MARIVS NIZOLIVS *contulit. nam et opus ipſum emendauit et aliquot latinis uocibus locupletauit. — — his duobus ſucceſſimus* (en fatentem ingenue) *nos, qui primum totum opus recognouimus, innumeris certe corruptelis etiam tum foedum: deinde adhibita iudicii lima, multa barbara et inepta, plurima in loquendi formulis potiſſimum, ſuperuacanea et inutilia, expunximus, atque horum omnium loco latina et neceſſaria ſubſtituimus.* et interiecta pagina: *itaque theſaurus linguae latinae, aut ſi placet, forum romanum, uel utroque modo hoc praeclarum opus inſcribi poteſt. nam*

quo modo antea inſcriptum erat, dictionarium, ſiue theſaurus, non uideo, qua ratione de lingua latina praecipientes uoce non latina uti uoluerint. — — quare nos quoniam AVCTOR *duobus nominibus opus inſcripſerat, altero barbaro, altero graeco, et ſequens corrector errorem non correxerat, bino nomine* PLATONIS *et* CICERONIS *more inſcripſimus.* ſi quid ego iudico, plagii crimen non tam in CVRIONE, quam FROBENIO, quaerendum eſt, quum is auctorem ſe non eſſe, ſed correctorem, aperte faſſus ſit: FROBENIVS autem, lucri cauſſa, STEPHANI nomen ſuppreſſerit.

(5) edidit hic STEPHANVS DOLETVS infelicisſimus litterator, qui poſt acerbisſimas cum ERASMO et adſeclis lites tandem ob purioris religionis profesſionem flammis conſumtus periit, *tomos duos commentariorum linguae latinae*, quorum primus LVGDVNI apud SEBAST. GRYPHIVM prodiit MDXXXVI. ſecundus ibidem MDXXXVIII. fol. non negauerim, quae ad phraſium et uerborum copiam pertinent, ea maximam partem e STEPHANO eſſe deſumta: qui tamen hoc ipſum opus rectius conſiderauerit, uſumque illius perſpexerit, fatebitur, ni fallor, uera eſſe, quae ipſemet auctor de ſe in praefatione tomi I. profeſſus eſt. *at uero*, inquit, *non in id ſum ea mente ingreſſus, ut uiris doctis compluribus, qui in linguam latinam ante me multa et ingenioſe et erudite commentati ſunt, laudem in hoc genere praeriperem (praeripere enim neque poſſim neque conor) ſed*

ſed ut, *quae ab illis tentata magis ſunt*, *quam abſoluta*, ea pleniora, cumulatioraque, et ordine commodiori digeſta *iuuentuti traderem.* tertium tomum, quem ſubiicere uoluit, fato praepeditus inrermiſit. coeperunt hi commentarii iam dudum in raris haberi, quum praeter primam editionem nulla proſtet. confer hanc in rem MORHOF. *polyhiſt. lib. IV. cap. IX.* §. *XI. p.* 113. adde WALCHIVM *l. c. p.* 342.

(6) edidit uir hic eruditus, ut ſuppleret ex auctoribus aliis, quae deerant in NIZOLII CICERONIANO lexico, *aerarium*, *ſiue theſaurum linguae latinae* FRANCOFVRTI MDCXIII: ex quibus operibus deinde fabricatum fuit *lexicon baſileenſe*, cuius tomus prior complectitur lexicon NIZOLIANVM, poſterior lexicon LVCII. uide hanc in rem WALCHIVM *hiſt. crit. lat. ling.* p. 345. ſeq. qui opus non ſine laude producit. confer tamen MORHOFIVM de *pura dictione* p. 87.

(7) quamquam celeberrimus MORHOFIVS lexicon hoc FABRI, *foro* iſti *romano*, cuius ſupra fecimus mentionem, longisſime poſtponat, de *pura dictione* p. 89. et alibi, cum primis in *polyhiſt. lit. tom. I. lib. IV. cap. IX.* §. *XVI. p.* 115. alia tamen longe ſenſurum crediderim, ſi eam, quam eruditisſimo GESNERO debemus, editionem conſpexiſſet. prodiit haec LIPS. MDCCXXVI. fol. ea enim ex parte, qua labor eius nobis profuit, tantam adhibuit curam, quantam in his rebus adhiberi fas eſt. quodſi enim et reliquam partem de-

nuo peruolutaret, ſuasque adiiceret adnotationes: certe neque rebus ineptis aut uocabulis barbaris ſtulte augeretur opus, et uarias ſingularum uocum ſignificationes, optimis auctorum locis munitas, ubique uideremus ſubiunctas. (facta haec ſunt in recentisſima editione, quae MDCCXXXV. fol. lucem uidit.) ne nunc quidem ulla eſt fori romani auctoritas, ſi conferas FABRVM: cui etſi perfectisſimi laudem lexici et omnibus abſoluti numeris non concedas: palmam tamen prae reliquis, quae adhuc lucem adſpexerunt, offerre, ſi iuſtus iudex ſis, cogaris. hiſtoriam elegantisſimi huius operis, quidque eruditi uiri in illud contulerint operae, leges copioſe apud uenerandum WALCHIVM l. c. p. 346 ſeqq. adde auctores ab eo laudatos.

(8) REYHERI labor, ex paruis initiis in magnam molem excreuit. edidit enim primo GOTHAE MDCXLV. 8. tom. II. *theſaurum ſermonis latini elegantioris ex romanae linguae principibus.* quum uero, quod ex ſecunda praefatione patet, celeberrimus SLEVOGTIVS et HORSTIVS ampliorem continuationem litteris expoſcerent: produxit GOTHAE MDCLXVIII. 8. 3. tomis *theſaurum ſermonis latini ſiue theatrum romano teutonicum, omnia ferme utriusque linguae uocabula, exhibens, philologiae, philoſophiae, medicinae, iuris prudentiae, ac theologiae tironibus et ſtudioſis adprime utile, in ſectionibus III. cum indice locupletisſimo editum.* quam excepit editio LIPSIENS. MDCLXXVI. fol. CELLARII cura emiſſa.

emiſſa. tandem et IVNCKERVS acceſſit. cuius quum in hiſtoria profectus, quam in latinorum ſermone, ampliores eſſent: multam quidem diligentiam, minorem tamen ſucceſſum obſeruarunt eruditi. neque eſt, quod FABRVM huic poſtponas; quippe in quo omnia ſunt multo et clariora et adcuratiora. confer ceterum de hoc lexico WALCHIVM l. c. p. 356.

§. IV.

HAEC ſunt praecipua in his litteris ſubſidia. non deſunt tamen, iuuentutis qui commodis et ſumtibus ſubuenturi, minora protulerunt lexica. ex quibus praecipui ſunt WEISMANNI (1) KIRSCHII (2) HEDERICHII (3): quibus et STEINBACHII laborem (4) non male adiunxeris.

(1) ſi quis omnia minoris momenti lexica producere uelit, magnum eorum numerum poſſit conligere. ſed uix momentum trahunt. noti ſunt DECIMATORES, FRISII, KOENIGII, DENTZLERI, LINDNERI, SIBERI, NEVBAVERI, DASIPODII, CORVINI, MORELLI, GARTHII, GVRTLERI, SPIESSERI: aſt illud commune omnibus uitium eſt, partim, quod in ſignificationibus diuerſis adnotandis parci ſunt; partim, quod auctorum loca generatim tantum notant, et alterum exſcribit alter. paullo diligentior eſt WEIS-

MAN-

MANNVS, cuius lexicon in forma quarta ſaepius lucem uidit, et in plerorumque manibus eſt editum in aliis M DCC III, 4. FRANCOF. ad moenum.

(2) edidit ADAMVS FRIDERICVS KIRSCHIVS *abundantisſimum cornu copiae linguae latinae et germanicae ſelectum:* quod quintum prodiit NORIMB. MDCCXXXI. 8. *mai.* habet hoc auctor peculiare, quod, praeter quantitates ſingulis uocibus adſcriptas, uarias uocum ſignificationes adcurate determinet, obſoleta non omittat, et, cum nouis, certis quibusdam ſignis ab antiquis et probatis ſegreget, auctoribusque muniat. in praefatione laudat PEXENFELDERVM et POMEY, qua in re facile conſenſum conſequetur: uix uero, ubi COMENII *ianuam* et *orbem pictum* ualde concelebrat, idem experietur.

(3) recte uidit doctisſimus HEDERICHIVS deeſſe plerumque id genus lexica, quibus latine aliquid ſcripturis, uel interpretandis germanicis ſcriptoribus, opus eſt. hinc non male hunc defectum ſuppletum iuit *promtuario ſuo latinitatis probatae et exercitae.* quod lucem uidit LIPS. MDCCXXIX. 8. cui dum partem ſubiunxit alteram, quam analyticam nominauit uir doctus: habet ſane iuuentus, quibus multum poteſt iuuare ſuam et in intelligendis auctoribus et in oratione latina induſtriam.

(4) aliud quidem uiri celeberimi fuit inſtitutum, quippe qui germanicum in primis lexicon conſcribere in animo habuit. uerum, quum,

quum, exterorum in gratiam, non commodiori lingua uoces et formulas germanorum interpretari quam latina poſſet: fecit id ea ratione, qua et multum prodeſſe poſſit ornando ſermoni latino. eius opus ita inſcriptum eſt: CHRISTOPH. ERNEST. STEINBACHII. M. D. *vollſtändiges deutſches wörter-buch uel lexicon germanico latinum cum praefationibus et auctoris et IOHAN. VLRICI KOENIG. S. R. M. polon. et elector. ſaxon. conſiliar. aulici*, WRATISL. MDCCXXXIV. 8. tom. II.

§. V.

NEQVE minus poſt haec generaliora latinitatis ſcripta in cenſum hunc noſtrum ueniunt ſingularia illa, quae ad cultum linguae latinae comparata ſunt. in quibus IANI (1), VOIGTII (2) APINI (3) NOLTENII (4) labores eo maiorem promerentur laudem quo magis a barbariſmis ſtilum auocantes ad puriorem caſtamque dicendi rationem nos traducunt.

(1) conf. part. I. cap. I. §. XIV. p. 41.

(2) l. c. §. X. p. 37.

(3) l. c. §. XII. p. 39.

(4) l. c. §. XIII. p. 40.

§. VI.

MVLTVM etiam conferunt ad linguam la-

latinam ea lexicorum genera, quae *nomenclatorum* nomine inſigniuntur. quum enim uoces rerum ſigna ſint: iuſtum eſt, ut ante, quam coniungere ſigna poſſimus, copiam illorum aliquam nobis adquiramus. eum in cenſum ueniunt IVNIVS (1), FRISCHLINVS (2), CHYTRAEVS (3), SIBERVS (4), CELLARIVS (5).

(1) medicus hic celeberrimus tantam nominis gloriam conſequutus eſt hoc labore ſuo, ut fere omnes ſua ex eo, et grati et ingrati, deſcripſerint. ſunt mihi ad manus editiones duae, quarum prima prodiit FRANCOF. MDCXI. 8. altera ſic inſcripta eſt: *nomenclator octilinguis, omnium rerum propria nomina continens. ab ADRIANO IVNIO antehac conlectus. acceſſit huic poſtremae editioni alter nomenclator e duobus ueteribus gloſſariis, HERMANNI GERMBERGII opera et ſtudio* GENEVAE MDCXIX. 8. iudicia de hoc opere uide apud WALCHIVM *hiſt. lat. ling. p.* 265. MORHOF. *polyhiſt. p.* 108. item de *pura dictione p.* 65.

(2) optimum erat, quod habebat in animo FRISCHLINVS, inſtitutum, et ipſi STVRMIO, at quanto uiro! perprobatum. tribus enim libris complexus erat omne ſtudium latinae linguae: quorum primus ſingularum rerum et ſubſtantiarum nomenclaturam continere debebat. alter, quae ad *praedicamentum actionis et paſſionis* pertinent, uerba comple-

plecteretur, tertius *dialogos* ex his duobus confectos; ut adeo mature diſceret iuuentus puram et propriam latinitatem. ſed infelici morte praepeditus, non niſi primum librum prodidit hac inſcriptione: NICODEMI FRISCHLINI *nomenclator trilinguis, graeco latino germanicus, continens omnium rerum, quae in probatis omnium doctrinarum auctoribus inueniuntur, adpellationes: quarum aliquot millia nusquam ſunt obuia opus noua quadam methodo ſecundum categorias ARISTOTELIS non ſine labore maximo continuatum* FRANCOF. MDLXXXV. MDCXCIV. 8. lege uitam FRISCHLINI a me conſcriptam *cap. III* §. II. *not. d. p.* 90. *ſeqq.*

(3) ſequutus eſt uir hic eruditiſſimus THEOPHILI GOLII inſtitutum, qui IVNII nomenclatorem ad STVRMII praeſcriptum in meliorem redegit ordinem. fecit tamen id, ut et auctores non numquam indicaret, et interpretationem linguae ſaxonicae ſubiungeret. inſcriptus eſt ita: *nomenclator latino ſaxonicus rerum nauticarum nomenclaturis et phraſibus paullo plenius inſertis* ROSTOCHII. MDLXXXII. MDCIX. 8. MDCXXXIV. 8. HAMBVRGI. MDXCIV. 8. hunc imitatus eſt KIRCHMANNVS, cuius nomenclatorem, qui in uſum ſcholae lubecenſis ſine auctoris nomine prodiit LVBEC. MDCXLV. 8. laudat SEBASTIANVS MEIERVS in praefatione, quam praefixit ſuo nomenclatori, LVBECAE MDCLIX. 8. edito, ſaepiusque deinde repetito. hic MEIERI nomenclator, in quo ad uoces, in kirchmanni-

niano adnotatas, quaedam phraſes additae ſunt, et hodie noſtris in ſcholis pertractatur.

(4) habemus ab hoc non incelebri uiro *gemma gemmarum*, *ſiue nomenclatoris iuniani epitome*, *non epitome. acceſſit de ſignificatione uerborum ad ius pertinentium liber ſingularis* WITTEBERG MDCX. 8. in quo non ſolum uoces rerum, ſed phraſes etiam ubertim inſertae ſunt, ut forte MEIERO hic libellus lectus non ſit, quum queratur in ſui nomenclatoris praefatione, in plerisque nomina ſat multa et uerba: nullas uero loquendi formulas ſe reperiſſe.

(5) confecit humaniſſimus hic, et litteratiſſimus uir, *librum memorialem probae et exercitae linguae latinae*, quem MERSEBVRGI MDCLXXXVIIII. 8. editum, plures ſubſequutae ſunt editiones. quo in libello, uti non niſi probatiſſimas romanae linguae uoces exhibuit, ita commodo uſus ordine eſt, ut praemiſſis *primitiuis*, quae inde procreſcunt, uocabula, melioris et facilioris ordinis cauſſa, ſequi iubeat. commendandus ergo maxime iuuentuti eſt, quae hac ratione et facilius, et meliora comprehendit uocabula.

§. VII.

NON minorem huic ſtudio praeſtant operam atque auxilium, qui uel ex uno, uel pluribus, phraſes ac dicendi formulas conlegerunt ſcriptoribus. pal-

mam

mam ex his aliis praeripuerunt HADRIANVS CARDINALIS (1), BARTHOLOMAEVS RICCIVS (2), ANTONIVS SCHORVS (3), ALD. MANVTIVS (4), GEORGIVS CRAVSERVS (5), WOLFGANGVS SCHONSLEDERVS (6), et HERMAN. VLNERVS (7), quibus lexica ſingulorum auctorum merentur (8) adiungi et indicum ſcriptores.

(1) index huius libri hic eſt : *HADRIANVS T. T. S. CHRYSOGONI S. R. E. presbyter cardin. batouienſ. de ſermone latino et modis latine loquendi. eiusdem uenatio ad ASCANIVM CARDINALEM. item iter IVLII. II. pont. rom.* BASIL. *anno* MDXXXIII. 8. dedicatio CAROLO, hiſpaniae principi, inſcripta eſt. opuſculum, ſecundum litterarum ordinem, praecipuas latini ſermonis dictiones exponit, exemplisque inluſtrat, ita, ut illius auxilio, non penetrare tantum uideamur in celſisſimam latinitatis arcem; ſed uberiorem etiam ſcribendi efficiamus facultatem.

(2) egregius hicce latinae linguae cultor multum laboris adhibuit, ut iuuaret et puram et ornatam dicendi rationem. quumque non liceat promiſcue omnibus uti uocibus in ſermonis iunctura : fecit id ſuo labore, ut ſecundum litterarum ordinem uerba poneret, et omnes conſtruendi modos, quibusque *ſubſtantiuis* eo in uerbo uti fas eſſet, ſubiiceret, quod

opus, ſi continuaretur a uiro quodam docto, et, quae omiſſa ſunt, ſubplerentur, ornatiſſimum in hoc genere haberi poſſit. errauit MORHOFIVS, qui argentinenſem editionem, quae MDXXXV. 4. lucem uidit, primam dicit. adiecta enim eſt huic editioni ad lectorem admonitio, cui haec inſerta uerba ſunt: *editus eſt et ante hac liber iſte, ſed ita, ut iis dumtaxat uſui fuerit, qui aldina exempla habuerunt.* prodiit eodem anno COLONIAE apud IOANNEM GYMNICVM in 8. cui tamen praeferenda eſt argentoratenſis editio, uel ideo, quod praemiſſa illi eſt tabula ſatis longa, in qua aldinarum editionum paginae cum CRATANDRI et HERVAGII editionibus CICERONIS conferuntur. lege et MORHOFIVM *de pura dictione p.* 109. 110.

(3) edidit uir hic latine doctisſimus, qui ſummis elogiis a MORHOFIO, VAVASSORE, SCIOPPIO, aliisque celebratus eſt, *phraſes linguae latinae, rationemque obſeruandarum earum in auctoribus legendis, quae praecipuam ac ſingularem uim aut uſum habent.* prodierunt in aliis COLON. MDLXXVIII. 8. ARGENTOR. MDLXXX. 8. LIPSIAE MDXCVII. 8. et nouisſime TVBINGAE multis accesſionibus ornatae MDCCXXVI. 8. lege ſis etiam MORHOF. de *pura dictione* p. 110. ſeqq.

(4) notae ſunt MANVTII *purae elegantes et copioſae latinae linguae phraſes*, quae in aliis expoſitae ſunt luci publicae cum praefatione CASELII MORGIIS MDLXXXII. 12. FRANCOF. MDCX.

MDCX. 8. multum prae ſe ferunt elegantiae. confer tamen MORHOFIVM de *pura dictione p.* 113.

(5) opuſculum eius hac inſignitum inſcriptione eſt: *ſcintillae tullianae: h. e. elegantiarum latinarum promtuarium ex CICERONE, praecipuo dicendi magiſtro, praecipue conlectum et ſcholaſticae iuuentutis bono editum, cum indice quadruplici, elegantiarum, auctorum, germanicarum, graecarum et ebraicarum uocum, et dictorum biblicorum obiter laudatorum. opera ac ſtudio GEORGII CRAVSERI, eisfelda franci, p. l. c.* RVDOLPHS. *a.* MDCLXVI. 8. nullum heic certum ordinem obſeruauit auctor; ſed excerpſit praeſtantiores uocum phraſiumque ſignificationes, prout ſeſe legenti obtulerunt. neque inepte prorſus uerſatus eſt in hoc negotio; ſed, praeter obſeruationes elegantiſſimas, id inprimis praeclarum eſt, quod uagas haſce errantesque muſas indice quodam in ordinem reuocauit.

(6) multis elogiis et merito exornat hunc SCHONSLEDERI laborem MORHOFIVS de *pura dictione* p. 117. ſeq. et merito quidem, quum ad uariandam orationem, uariisque formulis rem eamdem exprimendam, nemo meliorem operam contulerit. prodiit primum MONACHII MDCXXX. 8. hac inſcriptione ornatus. *adparatus eloquentiae, in quo latinae linguae opes ex antiquis probisque ſcriptoribus depromtae et in locos communes digeſtae, ad orationem ornandam, uariandam, amplificandamque repraeſen-*

ſentantur, *auctore* WOLFGANGO SCHONSLEDER e ſocietate IESV : quae deinde ſaepius repetita eſt editio. poſt haec autem LIPSIAE edi coeptus eſt hic commentarius, praefatione CELLARII exornatus MDCLXXXVII. MDCXCVIII. MDCCXXIV. 8. nihil tamen operi, quod optandum fuerat, praeter praefationem, noui acceſſit.

(7) de VLNERI *phraſium elegantiſſimarum copioſa ſuppellectile* uide WALCHIVM *hiſt. crit. lat. ling*. p. 380.

(8) multum induſtriae non nullis adhibitum auctoribus eſt, ut phraſeologia illorum clara redderetur, et uſui iuuentutis commoda. pertinent huc, IOA. KRIEGII CVRTIVS *dearticulatus*, *praecipuas ſupplementi et eius auctoris formulas ſententiasque inluſtres uernacula noſtra donatas exhibens*. GEDANI CIↃ IↃC XCVI. 8. HENRICI GOEBELII CVRTIVS. *inluſtratus per phraſeologias*, *ſententias*, *imitationes*. FRANCOF. MDCCXV. 8. ANDR. IVL. DORNMAYERI *lexicon elegantioris latinitatis* ex NEPOTE, CAESARE, CICERONE et CVRTIO BEROL. CIↃ IↃCCXVIII. 8. BARTHOLDI FEINDII *phraſeologia plautino-terentiana*. HAMBVRGI MDCXCVIII. 8. IOA. KNOLLII *lexicon* CORNELII NEPOTIS *tripartitum* RVDOLSTAD. CIↃ IↃ XCIX. 8. PAREI *lexicon lucretianum* FRANCOFVRTI MDCXXXI. 8. plura uide apud WALCHIVM l. c. ubi et p. 401. ſeq. eos enumerat, qui *optimos* in auctores claſſicos *indices* confecerunt.

§.

§. VII.

AD uſum horum quod adtinet librorum, ille duplex eſſe poteſt. partim, ut in intelligendis antiquis auctoribus habeamus, quo in determinandis ſignificatibus confugiamus; partim ut in uariando ſermone latino, copiam uerborum, diuerſam uim, et probitatem, diſcamus diiudicare. qua in re tamen iuuenes cum primis monendi ſunt, ut in interpretando non minus, quam latine uertendo, a germanorum homonymis ſibi imponi ne patiantur: ſed omnem prius ſenſum totius loquutionis conſiderent, quam permutandam eam putent cum latinis. in legendo mature adſueſcant FABRI lexico, in ſcribendo SCHONSLEDERVM, nouis ſubinde dicendi formulis locupletandum, diligenter ad uſus ſuos conuertant.

PARTIS III.

CAP. III.

DE AVCTORIBVS LATINIS LEGENDIS.

ORDO DICENDORVM.

ex ſolis grammaticis ſapere uelle, ſtolidum eſt. requiritur cum primis auctorum lectio. §. I.

quinam auctores legendi? diſpeſcuntur in quatuor claſſes §. II.

ſcriptores aetatis aureae §. III.

ſcriptores aetatis argenteae §. IV.

ſcriptores aetatis aeneae §. V.

ſcriptores aetatis ferreae §. VI.

generatim de illis iudicatur §. VII.

§. I.

Qvem ad modvm illi a recto aberrant tramite, qui ſine ſubſidiis, quae offert grammatice, ad genuinam linguae romanae cognitionem adſpirant: ita et illorum uacillat opinio, qui, ſolis grammatices regulis confiſi, ſine auctorum lectione idem conſequendum arbitrantur. coniungenda haec ſunt, et ea, quae docuit grammatice, confirmanda uidentur et amplificanda ex *auctorum lectione.*

§.

§. II.

ANTE uero, quam ipſam legendorum auctorum rationem exponam, placet, promiſſi (*) cauſſa, quinam auctores ſint legendi, quidue de iſtorum uita, ſcriptis, editionibus, habendum ſit, adducere, idque ſecundum quatuor iſtas aetates ab eruditis, cum primis MORHOFIO, excogitatas, ediſſerere.

(*) *part. I. cap. I.* §. *XXVII. not.* 2. *p.* 64.

§. III.

REFERVNTVR uero ad aetatem I.) *auream* PLAVTVS (1), TERENTIVS (2), CICERO (3), SALLVSTIVS (4), CAESAR (5), NEPOS (6), LIVIVS (7), VITRVVIVS (8), LVCRETIVS (9), CATVLLVS (10) TIBVLLVS (11), PROPERTIVS (12), VIRGILIVS (13), HORATIVS (14), OVIDIVS (15).

(1) M. ACCIVS PLAVTVS, CLXXXIV. ante C. N. annos mortuus, excellentiſſimus erat ſui temporis comoediographus, e cuius fabulis XX. ad nos peruenerunt, omnium elegantiarum et ſalis plenae. in pingendis hominum moribus artifex nobiliſſimus, latine ſcripſit prorſus, et perſonarum characteres artificioſe excogitauit, obſeruauitque ſollertiſſime. qui multum in eius ſtilo deſiderant, ad

loquentium naturam et ſtatum non reſpiciunt: quod facere omnino debuiſſent, quum ſeruorum alius ſermo, alii ſales ſint, quam ciuium; ſaepe, immo plerumque, frigidi. commentarius, quem TAVBMANNVS reliquit, atque cum ipſis fabulis WITTEMBERG, MDCXII. et MDCXXI. in 4. diuulgauit, omnium conſenſu optimus eſt. auctores, qui praeter ea in hunc commentati ſunt produxit HALLBAVERVS in *inſtitut. ſtili.* p. 440. MORHOF. *polyh. lib. IV. cap. XI. p.* 132. FABRIC. *bibl. lat. tom. I. p.* 8. *tom. II. p.* 4. *ſeqq.* adde cel. GOTTL. STOLLII *introd. in hiſtoriam litt. p.* 247. *ed. lat.* et FVNCCIVM de *adoleſcentia linguae latinae* p. 132. ſeqq.

(2) PVBLIVS TERENTIVS, ex africa oriundus, CLV. ann. ante C. N. obiit. eius uita omnibus fere *comoediarum* editionibus praemittitur. reliquit *comoedias ſex*, elegantiores et ornatiores ipſis *plautinis.* ex editionibus *lindenbrogiana* et *weſterhouianae* praeſtantisſimae ſunt. reliquas adducit HALLBAVERVS *l. c. p.* 29. MORHOF. *polyh. tom. I. lib. IV. cap. XI.* §. 6. *p.* 134. celeb. FABRICIVS *bibl. lat. uol. I. p.* 30. *uol. II. lib. I. cap.* 3 *p.* 32. *ſeqq.* adde celeberr. STOLLIVM *introduct. in hiſt. litt. p.* 248. *edit. lat.* et FVNCCIVM l. c. p. 159. ſeqq.

(3) M. TVLLIVS CICERO XL. ante C. N. annis mortuus, multos habuit, qui uitam eius enarrarunt, quos uide apud HALLBAVERVM *l. c. p.* 32. MORHOFIVM *l. c.* §. 7. *p.* 136. FABRICIVM *bibl. lat. tom. I. p.* 89.

89. *tom. II. p.* 96. *ſuppl. tom. I. p.* 26. hic ſcriptis ſuis meruit, ut inter elegantisſimos polygraphos numeretur. reliquit enim ex ordine *lambiniano*, qui IX. tomis diſtribuit. *tom. I.* de *inuentione rhetorica lib. II.* de *oratore* ad *Q. fratrem lib. III.* de *claris oratoribus lib. I.* qui BRVTVS *inſcriptus eſt. oratorem ad* BRVTVM. *topica* ad TREBATIVM, *iuris conſultum. partitiones oratorias.* de *optimo genere oratorum.* tom. *II. orat.* pro P. QVINCTIO. pro SEX. ROSCIO *amerino.* pro Q. ROSCIO *comoedo. diuinationem* in C. VERREM. *adcuſationis* in C. VERREM *lib. V.* pro M. FONTEIO. pro A. CAECINNA. tom. *III.* pro *lege manilia.* pro AVLO CLVENTIO. *agrarias orationes in* RVLLVM III. pro C. RABIRIO *perduellionis reo.* in L. CATILINAM *orationes IV.* pro L. MVRAENA. pro L. FLACCO. pro P. SYLLA. pro A. LICINIO ARCHIA *poeta. poſt reditum ſuum ad quirites. poſt reditum in ſenatu. pro domo ſua ad pontifices.* de *haruſpicum reſponſis* pro CN. PLANCIO. tom. *IV.* pro P. SEXTIO. in VATINIVM. pro M. COELIO. pro L. CORNELIO BALBO. *de prouinciis conſularibus.* in L. PISONEM. pro T. ANNIO MILONE. pro C. RABIRIO *poſtumo.* pro M. MARCELLO. pro Q. LIGARIO. pro *rege* DEIOTARO. in MARCVM ANTONIVM *philippicas XIV. fragmenta orationum.* tom. *V. epiſtolarum libros XVI. ad familiares, ex quibus lib. VIII. ſolas* COELII *epiſtolas* ad CICERONEM complectitur. *epiſtolarum* ad M. BRVTVM *librum ſingularem. epiſtolarum fragmenta.* tom. *VI. epiſtola-*

rum lib. XVI. ad T. POMPONIVM ATTICVM. ad Q. CICERONEM *fratrem lib. III.* tom. *VII. academicarum quaeſtionum lib. II. de finibus bonorum et malorum lib. V. tuſculanarum quaeſtionum lib. V.* tom. *VIII. de natura deorum lib. III. de diuinatione lib. II. de fato lib. I. de legibus lib. III. ſomnium ſcipionis.* TIMAEVM, *ſeu de uniuerſo.* tom. *IX. de officiis lib. III.* LAELIVM, ſiue de *amicitia.* CATONEM *maiorem*, ſeu *de ſenectute librum ſingularem. paradoxa ſtoicorum ſex* ad M. BRVTVM. *fragmenta poematum*, in quibus continentur *aratea.* de *petitione conſulatus.* haec ſcripta partim coniunctim edita ſunt ſaepisſime, partim ſeparatim quaedam lucem adſpexerunt. editiones utriusque generis uide apud HALLBAVERVM *l. c. p.* 34. *ſeqq.* adde WALCHIVM *in hiſtor. crit. p.* 577. praecipue celeb. FABRICIVM *bibl. latina tom. I. p.* 141. *ſupplem.* 44. *tom. II. p.* 102. MORHOF. *p.* 137. STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 171. *ſeqq.* et pasſim *ed. lat.* FVNCCIVM denique de *uirili aetate LL. part. II. p.* 135. *ſeqq.* ex optimis ſunt ALDINA MDXIX. 8. 9. uol. *lambiniana* ARGENT. MDLXXXI. uol. IX. 8. GRONOVII LVGD. MDCXCII. uol. IV. quam VERBVRGIVS AMST. MDCCXXVI. 16. uol. 8. edidit, multorum cenſuram paſſa eſt, et ERNESTINA LIPSIAE MDCCXXXV. 8. *ſelectae orationes*, poſt CELLARIVM optime ſunt editae a celeberrimo HEVMANNO ERFVRTI MDCCXXXIV. 8. *epiſtolarum ad familiares* pariter ac ad ATTICVM praeſtantisſimae ſunt aldinae cum commentariis FRANCOF. MDXXX. 8. 3. uol. et GRAEVII cum *notis ua-*

ri-

riorum. quae ſunt ad familiares, exierunt AMST. MDCLXXII. 8. tom. II. ad atticum AMST. MDCLXXXIV. 8. tom. II. *officiorum* lib. III. optime prodierunt AMST. MDCLXXXVIII. 8. edente GRAEVIO et COBVRG. MDCCXX. 8. cura WEINRICHII.

(4) C. SALLVSTIVS CRISPVS natus erat *amiterni ſabinorum* A. V. C. DCLXVII. ante C. N. LXXXIV. mortuus autem an. V. C. DCCXIX. (male apud celeberrimum WALCHIVM in *hiſt. crit. lat ling*. 285. MDCCXIX.) ante C. N. XXXII. reliquit de *coniuratione catilinaria* librum. *bellum iugurthinum*, et *orationes duas* de *re publica ordinanda*. declamationes in CICERONEM et CATILINAM ſuppoſitae ſunt. editiones fere omnes recenſentur a MORHOFIO *polyhiſt. l. c. p.* 143. STOLLIO *hiſtor. litter. p.* 341. *n.* 8. *ed. lat.* FABRICIO in *bibl. lat. tom. I. p.* 152. *tom. II. p.* 180. WALCHIO *hiſtor. crit. lat. ling. p.* 588. *ſeqq.* HALBAVERO *l. c. p.* 39. cum primis uero FVNCCIO l. c. p. 303-306. ad praeſtantisſimas pertinet *minelliana* ROTTEROD. MDCLIII. 8. et CORTIANA MDCCXXIV. 4. quae *waſſianae* CANTABR. MDCCX. 4. palmam facit dubiam.

(5) C. IVLIVS CAESAR natus ante C. N. annos XCVIII. in curia occiſus ante C. N. annos XLIV. quae reliquit monumenta ingenii, egregia ſunt, et multum ob ſtili nitorem commendanda. ſunt uero *commentariorum de bello gallico lib. VII.* et de *bello ciuili lib. III.* iudicia de hoc ſcriptore uide apud POPE BLO-

BLOVNTIVM in cenſura celeb. auct. *p. m.* 66. *ſeqq.* adde WALCHII *criticam hiſt. p.* 66. editiones recenſent FABRICIVS *bibl. lat. tom. I. p.* 166. *tom. II. p.* 194. MORHOF. *polyhiſt. tom. I. lib. IV. cap. XI. p.* 145. WALCHIVS *l. c. p.* 67. HALLBAVERVS *p* 37. et FVNCCIVS *l. c. p.* 221 - 224. praeſtantiſſimae ſunt IVNGERMANNI cum *metaphraſi graeca* PLANVDIS FRANCOF. MDCVI. 4. infeliciter recuſa ibidem MDCLXIX. CLARKIANA CANTABR. MDCCXII. fol. iuuentuti commodiſſima CELLARII LIPS. MDCCV. cauendae tamen editiones, quae ab anno MDCCXX. ad MDCCXXX. prodierunt, quae multis mendis ſcatent. lege etiam STOLLIVM *l. c. p.* 341. *ſeqq.*

(6) CORNELIVS NEPOS, in primis CICERONIS aeuo inclaruit. deceſſit ante C. N. XXX. annos. reliquit *uitas graeciae clariſſimorum ducum XX.* quibus adiecit de *regibus perſarum* et *graecorum commemorationem : uitam* HAMILCARIS et HANNIBALIS imperatorum carthaginenſium ; CATONIS et T. POMPONII ATTICI. iudicia conlegit POPE BLOVNT. *p. m.* 71. editiones enumerant MORHOF. *l. c. p.* 146. STOLLIVS *l. c. p.* 335. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 63. *tom.* II. *p.* 74. WALCHIVS *hiſtor. crit. p.* 564. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 37. et FVNCCIVS *l. c. p.* 238 - 240. optimae ſunt *boſiana* IEN. MDCLXXV. 8. nunc recuſa PATAVII MDCCXXXIV. 8. et ex recenſione MICHAELIS MAITTAIRE LOND. MDCCXV. 12.

(7) T. LIVIVS PATAVINVS natus V. C.

C. DCLXXXV, et CLAVDII imperatoris ſtudiorum magiſter fuit. obiit A. V. C. DCCLXX. poſt C. N. XVII. ſcripſit *hiſtoriam romanam ab V. C. ad bellum germanicum* et *mortem* DRVSII ad annum V. C. DCCXLIV. libris CXLII. ſuperſunt tantum libri XXXV. deficiunt enim libri alteri X. et poſt XLV. omnes. quorum loco epitomae ſolent addi. iudicia de hoc ſcriptore lege apud POPE BLOVNT in *cenſur. celeb. auct. p. m.* 91. editiones laudantur a MORHOFIO *l. c. p.* 148. FABRICIO *bibl. latin. tom. I. p.* 181. *ſuppl. p.* 57. *uol. II. p.* 207. STOLLIO *hiſt. litt. p.* 342. *ed. lat.* WALCHIO *hiſtor. crit. ling. lat. p.* 606. *ſeqq.* HALLBAVERO *l. c. p.* 38. et FVNCCIO l. c. p. 268 – 273 laudatiſſimae ſunt *gronouiana* AMSTELOD. MDCLXXIX. 8. et *hearniana* OXONII MDCCVIII. 8. *uol. VI.* iam DRACKENBORCHIANA praeſtat omnibus.

(8) M. VITRVVIVS POLLIO floruit AVGVSTI OCTAVIANI tempore; et A. XXXIX ante C. N. mortuus eſt. reliquit *libros X* de *architectura.* uide POPE BLOVNT *p. m.* 78. ſtilus quaedam habet, quae plebeiitatem ſapiunt. uid. MORHOF. *polyb. lib. IV. cap. XI.* §. 17. *p.* 165. celeb. FABRICIVM *bibl. lat. tom. I. p.* 289. *tom. II. p.* 393. WALCHIVM *p.* 57. STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 392. *ſeqq.* HALLBAVERVM *p.* 43. FVNCCIVM l. c. p. 303. *ſeqq.* optima editio eſt, quam dedit IO. *de* LAET AMSTELOD. MDCXLIX. fol.

(9) TITVS LVCRETIVS CARVS, etſi non plane conueniat inter eruditos, claruit ta-

tamen circa CV. annum ante C. N. fuit fere coaeuus TVLLII, et TERENTII VARRONIS, quamquam paullo antiquior. accepto philtro ſua ſe manu interfecit. reliquit *libros VI.* de *rerum natura*, carmine heroico ſcriptos, in quibus EPICVRVM et EMPEDOCLEM ſequitur. de ſtilo eius uariae ſunt eruditorum ſententiae, quas recenſet POPE BLOVNT *in cenſura celebr. auct. p.* 55. editiones uide apud MORHOFIVM *polyh. lib. IV. cap. XI. p.* 151. FABRICIVM *bibl. lat. p.* 44. *tom. II. p.* 59. FVNCCIVM de adoleſcentia L. L. p. 163. ſeqq. STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 301. *ed. lat.* HALLBAVERVM *l. c. p.* 30. ex quibus eminent *gloſaniana* et *hauercampiana.*

(10) C. VALERIVS CATVLLVS natus ante C. N. DCLXVIII. romae mortuus trigeſimo aetatis anno. ſcripſit multa, ex quibus tantum ſupereſt *epigrammatum* liber. confer STOLLIVM *l. c. p.* 288. *ſeqq.* quid de CATVLLO ſentiant eruditi, lege apud POPE BLOVNTIVM *p.* 69. editiones enarrat MORHOF. *lib. IV. cap. XI.* §. 13. *p.* 153. FABRICIVS *tom. I. p.* 44. *tom. II. p.* 70. HALLBAVERVS *p.* 42. FVNCCIVS de uirili aetate L. L. p. 175. ſeqq. praeſtantisſima eſt GRAEVII *cum notis integris doctorum uirorum*, TRAIECTI AD RHEN. MDCLXXX. 8.

(11) ALBIVS TIBVLLVS, natus eodem, quo OVIDIVS, anno. reliquit *IV. elegiarum libros*, terſos et elegantes, quod uniuerſi teſtan-

ſtantur eruditi. confer POPE BLOVNT. in cenſura celebr. auctor. p. 83. ſeqq. STOLLIVM hiſtor. litt. p. 280. FVNCC. l. c. p. 186. ſeqq. coniunguntur eius elegiae plerumque cum CATVLLO.

(12) SEXTVS AVRELIVS PROPERTIVS ex *meuania*, *imbriae* oppido, oriundus, *romae* poſtea magnam nominis celebritatem conſequutus eſt, partim ingenii comitate, partim carminum elegantia. reliquit is *quatuor elegiarum libros*, qui cum CATVLLIANIS et TIBVLLIANIS plerumque prodierunt. confer de hocce poeta POPE BLOVNTIVM *in cenſura auct. celeb. p.* 82. FABRICII *biblioth. lat. tom. I. p.* 259. *tom. II. p.* 354. STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 281. *ſeqq.* FVNCCIVM *l. c. p.* 192. *ſeqq.* editiones allegat *p.* 199. *ſeqq.*

(13) P. VIRGILIVS MARO, natus in pago, qui *andes* dicitur, haud procul a *mantua*, unde *mantuanus* dictus eſt. poſt haec uero *romae* inclaruit, et AVGVSTO per MAECENATEM commendatus, in eius ſe fauorem ualde inſinuauit. ſcripſit uates hic inter romanos ſummus *eclogas* X. *georgicorum libros* IV. et *aeneidos libros* XII. qui de eius uita ſcripſerunt, commemorati ſunt WALCHIO *hiſtor. crit.* p. 360. qui praeſtantisſimas quoque editiones recenſet. de quibus adde MORHOFIVM *libr.* IV. *cap.* XI. §. XIV. *p.* 157. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 207. *tom.* II. *p.* 236. HALLBAVERVM *l. c. p.* 40. STOLLIVM

VM *hiſtor. litt. p.* 229. 259. 301. FVNCCIVM *l. c.* §. 18. *p.* 201. editiones recenſet *p.* 235 - 239. ex editionibus praeſtant *taubmanniana*, *ruaeana* et *masſcuiciana.*

(14) Q. HORATIVS FLACCVS, uenuſii, quod apuliae oppidum eſt, natus fuit, anno V. C. DCLXXXIX, ante uero C. N. LXV. MAECENATI ad modum carus atque AVGVSTO etiam probatus, omnium conſenſu lyricorum fere ſolus legi dignus. obiit anno VIII ante C. N. reliquit *carminum libros* IV. ad CILNIVM MAECENATEM *epodon. librum unum*; *carmen ſeculare*; *ſermonum libros* IV. ad eumdem MAECENATEM et *carmen ad* PISONES *de arte poetica.* quaenam eruditorum ſint de elegantisſimo poeta ſententiae, diſces ex iis, quae conlegit POPE BLOVNTIVS in *cenſura uiror. celebr. p.* 75. adde FVNCCIVM de *uirili aet. L. L. p.* 239. editionum fere omnes cumulate recenſent MORHOFIVS *l. c.* §. 15. *p.* 160. *ſeqq.* FABRICIVS *bibl. latin. tom.* I. *p.* 237. *tom.* II. *p.* 326. *ſeqq.* WALCHIVS *hiſt. crit. lat. ling. cap.* X. *p.* 632. *ſeqq.* STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 207. 263. 272. HALLBAVERVS *l. c. p.* 41. *ſeqq.* FVNCCIVS *l. c. p.* 248 - 251. optimae ſunt cruquiana ANTWERP. MDLXXVIII. 4. WILHELMI BAXTERI LONDINI MDCCI. 8. et BENTLEIANA CANTABR. MDCCXI. 4. AMSTEL. MDCCXIII. 4.

(15) P. OVIDIVS NASO, ſulmonenſis patria, natus eſt anno V. C. DCCXI. ante C. N.

N. XLI. ipſemet *lib.* IV. *eleg.* X. *triſtium*, uitam ſuam delineauit. ad extremum AVGVSTO exoſus, in exilium pulſus eſt, ubi LX. aetatis anno diem obiit. uaria ſcripſit, ex quibus ſuperſunt, quae ſequuntur: *heroidum epiſtolae* XXI. *amorum lib.* III. de *arte amandi lib.* III. *remedior. amoris liber* I. *metamorphoſeon libri* XV. *faſtorum libri* VI. *triſtium libri* V. *e ponto libri* IV. IBIS. editiones operum omnium copioſe commemorantur MORHOFIO *l. c. p.* 163. FABRICIO *bibl. lat. tom.* I. *p.* 279. *tom.* II. *p.* 385. *ſeqq.* addatur STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 282. WALCHIVS *hiſtor. crit. p.* 627. FVNCCIVS *l. c. p.* 267. *ſeqq.* et HALLBAVERVS *l. c. p.* 40. ex integri operis editionibus ſollertiſſimae ſunt *heinſianae* et KNIPPINGII, quae lucem uidit LVGD. BAT. MDCLXX. 8. *trib. uol.* praecipua BVRMANNI in 4. *metamorphoſeon* libri optime prodierunt ex editione PONTANI ANTWERP. MDCXVIII. fol. et MINELLII ROTEROD. MDCLXXXVI. 12. libri triſtium praeclariſſime ſunt editi a MINELLIO et VERPORTENIO. iudicia uide apud BLOVNTIVM *p.* 85. *cenſur. celebr. auct.* et FVNCCIVM *l. c. p.* 251. *ſeqq.*

§. IV.

AD aetatem argenteam reuocantur M. MANILIVS (1), C. IVLIVS HYGINVS (2), CAESAR GERMANICVS (3), T. PHAEDRVS (4), VELLEIVS

PATERCVLVS (5), VALER. MAXIMVS (6), CORN. CELSVS (7), M. ANN. SENECA (8), L. ANN. SENECA (9), SENECA tragicus (10), M. ANNAEVS LVCANVS (11), T. PETRONIVS ARBITER (12), POMPONIVS MELA (13), GRATIVS (14), A. PERSIVS FLACCVS (15), Q. CVRTIVS RVFVS (16).

(1) M. MANILIVS ad extrema uitae AVGVSTI imperatoris floruiſſe dicitur. ſcripſit ad eum *aſtronomicon*, poëma iucundum et eruditum, cuius *quinque* tantum *libri* ſuperſunt hodie. quid iudicandum ſit de eo, docet POPE BLOVNT *p.* 77. qui recenſum editionum deſiderat, legat uelim MORHOFIVM *polyh. lib.* IV. *cap.* XII. §. 1. *p.* 168. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 295. *tom.* II *p.* 410. celeb. STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 302. *ſeqq. edit. lat.* FVNCCIVM *l. c. p.* 289. *ſeqq.* HALLBAVERVM *p.* 44. optima eſt *ſcaligerana* PARIS MDLXXVII. 8.

(2) C. IVLIVS HYGINVS libertus fuit AVGVSTI et OVIDII familiaris. multa conſcripſit, quae omnia periere. exſtant tamen ſub eius nomine *fabulae* CCLXXVII. quae, quamquam mythologiae ſtudioſis non ſint inutiles, ſtilo tamen exaratae ſunt plebeio et minus diſerto. iudicia conlegit POPE BLOVNT *p.* 90. *ſeqq.* et FVNCCIVS de *imminente LL. ſenectute p.* 285. *ſeqq.* reliquit etiam *poe-*

poeticon aſtronomicon ad M. FABIVM lib. IV. editiones protulit MORHOFIVS *polyb. lib. IV. cap.* XII. *p.* 169. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 307. *tom.* II. *p.* 416. FVNCCIVS *l. c. p.* 298. *ſeqq.* HALLBAVERVS p. 44. praeſtantisſima eſt SCHEFFERI AMSTEL. MDCLXXIV. 8.

(3) CAESAR GERMANICVS, AVGVSTI imperatoris nepos, DRVSI filius, ut multis uirtutibus, quae imperatorem ornant, inluxit, ſic ingenio et eloquentia clarus fuit. obiit, ueneno ſublatus a patre adoptiuo, anno .V C. DCCLXXII. Chriſti XIX. tranſtulit *hexametris uerſibus*, ſed liberiori paullum ſtilo, ARATI *phaenomena*. paucas, quae exſtant, editiones produxit MORHOFIVS *polyb. lib. IV. cap.* XII. §. 3. *p.* 170. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 300. *tom.* II. *p.* 412. HALLBAVERVS *l. c. p.* 45. FVNCCIVS de *uirili aetate LL. p.* 291. *ſeqq.* optima habetur GROTIANA LVGD. MDC. 4. repetita a celeberrimo SCHWARTZIO COBVRG. MDCCXV. 8.

(4) TITVS PHAEDRVS, thrax, libertus imperatoris AVGVSTI, TIBERII tempore, anno chriſti XX. claruit. *quinque fabularum aeſopiarum*, quos reliquit, libris magnam ſibi famam ingenii adquiſiuit. diu latuit hic fetus, donec MDXCVI. a PITHOEO primum produceretur. quanam floreat apud peritos laude, oſtendit POPE BLOVNT *in cenſura auct. celeber. p.* 96. *ſeqq.* editionum farraginem nobis cum communicauit MORHOFI-

VS *lib. IV. cap. XII.* §. 4. *p.* 170. plures ſuppeditat FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 316. *tom.* II. *p.* 435. WALCHIVS *hiſt. crit. p.* 562. *ſeqq.* HALLBAVERVS *p.* 60. FVNCCIVS de *imminente ſenectute LL. p.* 96-99. STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 115. *ſeqq.* cultisſimae ſunt *waſiana* et *burmanniana.* iuuentutis in uſum eſt LEONHARDI, IENAE MDCCXXVII. 12. prodita, cui praemiſſa eſt *de ſtilo* PHAEDRI diſſertatio.

(5) P. VELLEIVS PATERCVLVS, eques romanus, uariis muneribus functus et una cum fratre praetor ab imperatore TIBERIO conſtitutus, condidit *hiſtoriam romanam ad VINICIVM conſulem, duobus libris diſtinctam,* ex qua tamen multa ſunt deperdita. uariae proſtant de eius ſcripto peritorum opiniones, quas contulit in unum POPE BLOVNT *in cenſura uirorum celeb. p.* 101. *ſeqq* et FVNCCIVS l. c. p. 477. ſeqq. in eo tamen conſentiunt plerique, uirtutem ſtili adulandi ſtudio nimis obſcurari. qui eruditorum labores, huic auctori adhibitos, cupiunt cognoſcere, adeant MORHOFIVM *polyh. lib. IV. cap. XII. p.* 172. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 312. *ſeqq. tom.* II. *p.* 428. WALCHIVM *hiſt. crit. p.* 594. STOLLIVM *l. c. p.* 338. *ſeqq.* FVNCCIVM *l. c. p.* 490 - 493. HALLBAVERVM *l. c. p.* 56. praeſtantisſima eſt PETRI BVRMANNI *cum notis uariorum* LVGD. BATAV. MDCCXIX. 4. iuuentuti commendandae ſunt *boecleriana* ARGENT. MDCLXIII. 8. HEINSII AMSTEL. MDCLXXVIII.

MDCLXVIII. 12. et WALCHII LIPS. MDCCXII. 12.

(6) VALLERIVS MAXIMVS, romanus, extremis TIBERII temporibus poſt caedem SEIANI ſcripſit *libros* IX. *dictorum, factorumque memorabilium*, opus iucundum, ſed ob ſtili aſperitatem ſua aetate indignum. quod uide apud POPE BLOVNTIVM *p.* 99. *ſeqq.* uarias eius editiones congesſit MORHOFIVS *l. c. p.* 172. *ſeqq.* FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 333. *tom* II. *p.* 455 *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 57. FVNCCIVS *l. c. p.* 505 - 507. clarisſima eſt ABRAMI TORRENII LEIDAE MDCCXX. 4. *cum notis uariorum* et *minelliana* ROTEROD. MDCLXII. 12.

(7) CORNELIVS CELSVS, medicus celeberrimus, caſta ſua dictione effecit, ut latinorum HIPPOCRATES et medicorum CICERO nominaretur. floruit tempore imperatoris TIBERII. editiones dabit MORHOFIVS *l. c. p.* 173. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 315. *ſeqq. tom.* II. *p.* 450. *ſeqq.* HALLBAVERVS *p.* 60. FVNCCIVS l. c. p. 625. ſeqq. optimae ſunt *almeloueniana* AMST. MDCCXIII. 8. et *wedeliana* IENAE MDCCXIII. 8. lege etiam celeberrimi STOLLII *hiſt. medicinae cap.* I. *p.* 60.

(8) M. ANNAEVS SENECA, cordubenſis hiſpanus, floruit ſub AVGVSTO et TIBERIO, atque rhetor nobilisſimus habitus eſt.

reliquit *decem libros controuerſiarum*, ex quibus libri I. II. VII. IX. X, nec integri quidem, ſuperſunt. porro *ſuaſoriarum librum*, qui forte nec ipſe integer ad nos peruenit. editiones uide apud MORHOFIVM *polyhiſt. lib. IV. cap. XII. p.* 175. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 356. optima eſt GRONOVII.

(9) L. ANNAEVS SENECA, M. ANN. filius, moderator ſtudiorum TIBERII, a quo primum magnis admotus muneribus, poſt exſectis uenis uita excedere, iuſſus eſt. exſtant eius de *ira lib.* III. ad NOVATIVM *fratrem*. ad HELVIAM de *conſolatione liber*; *liber de conſolatione* ad POLYBIVM; liber de *conſolatione* ad MARTIAM, de *prouidentia liber*; de *animi tranquillitate*. de *conſtantia ſapientis*. de *clementia liber* I. *et pars* II. de *breuitate uitae ad* PAVLLINVM de *uita beata*. de *otio* aut *ſeceſſu ſapientis*. de *beneficiis lib. VII. epiſtolae* CXXIV. *ad* LVCILIVM. *naturalium quaeſtionum lib. VII.* ἀποκολοκύντωσις *ſiue ludus in* CLAVDIVM *imperatorem*. uaria de hoc philoſopho iudicia commemorat POPE BLOVNT in *cenſura uirorum celebr. p.* 109. *ſeqq.* recenſuerunt uarias SENECAE editiones MORHOFIVS *l. c.* §. 8. *p.* 175. *ſeqq.* FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 362. *ſeqq. tom.* II. *p.* 503. *ſeqq.* WALCHIVS *hiſt. crit. p.* 620. HALLBAVERVS *l. c. p.* 54. FVNCCIVS de *immin. ſenect. LL.* p. 669. ſeqq. celeb. STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 608. 651. 728. *edit. lat.* dignis-

digniſſimae ſunt editiones LIPSII et GRONOVII.

(10) ſub SENECAE tragici nomine clarae ſunt X. tragoediae : HERCVLES *furens.* THYESTES. THEBAIS. HIPPOLYTVS. OEDIPVS. TROADES. MEDEA. AGAMEMNON. HERCVLES OETEVS. OCTAVIA. lites de harum uero auctore , utrum M. ANNAEO? an L. ANNAEO? an diuerſo ab utroque ? an uni? an pluribus ? adſcribendae ſint , meas iam non facio. legant, qui rem contemplari tanti aeſtimant, MORHOFIVM *polyh. lib. IV. cap.* XII. *p.* 177. celeberrimum FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 372. editiones recenſent iidem, MORHOFIVS *l. c.* FABRICIVS *bibl. lat. p.* 376. *ſeqq. tom.* II. *p.* 526. FVNCCIVS *l. c. p.* 146-148. cel. STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 241. *lat. ed.* HALLBAVERVS *inſtitut. ſtilip.* 56. praeſtantiſſima omnium eſt DELRIONIS ANTWERP. MDLXXVI. 4. *tom.* II. iuuentuti commodiſſima eſt FARNABII AMST. MDCCXIII. 12.

(11) M. ANNAEVS LVCANVS, cordubenſis hiſpanus, filius M. ANNAEI MELAE, SENECAE fratris, eques romanus, a NERONE uariis auctus honoribus, donec ad gloriam poeticam adſpiraret, in qua ille principatum ambibat. hinc in coniuratione deprehenſus, A. C. LXV. uenis inciſis, uita priuatus eſt. primum poeſeos corruptorem eum uocat BVRMANNVS apud FABRICIVM *bibl. lat. tom.* II. *p.* 528. reliquit *libros X.* de *pugna pharſalica* heroi-

roico conſcriptos carmine. iudicia peritorum ac opiniones lege apud POPE BLOVNT. *p.* III. *ſeqq.* recenſent numerum editionum MORHOFIVS *l. c. p.* 179. FABRICIVS *bibl. lat. p.* 382. *ſeqq. tom.* II. *p.* 531. *ſeqq.* STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 225. *ſeqq. ed. meae.* FVNCCIVS *l. c. p.* 131-134. praeſtant editiones grotianae et farnabianae. lege HALLBAVERVM *l. c. p.* 62.

(12) T. PETRONIVS ARBITER nequitiarum arbiter recte uocatus, maſſilienſis fuit, eques romanus, et in eadem aula NERONIS uixit. maxime fuit huic imperatori familiaris ob luxus uoluptatisque ſcientiam, nihilque, niſi quod PETRONIO probabatur, elegans haberi poterat et pulcrum. tandem odium NERONIS incurrens, uenas ſibi ipſe incidit, perque interuallum iterum obligauit, quo mollius moreretur. reliquit *ſpurciſſimam ſatyram*, eleganti tamen, quod non diffitendum, ſtilo ſcriptam, qua imperatoris uitia naeuosque ſalſiſſime perſtrinxit. eruditorum, quas foueant de ARBITRO, ſententias contulit POPE BLOVNT *in cenſura p.* 113. *ſeqq.* editiones uide apud MORHOFIVM *p.* 179. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 386. *ſeqq. tom.* II. *p.* 539. celeb. STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 311. *ed. meae.* HALLBAVERVM *l. c. p.* 49. *ſeqq.* FVNCCIVM *l. c. p.* 170-174. qui et de uita eius commentatur. praeſtantiſſima eſt BVRMANNIANA MDCCIX. 4. ſi iuuentuti quaedam commendanda eſt, meretur id ienenſis cum notis

tis BOSII, in qua loca ſpurca penitus omiſſa ſunt.

(13) POMPONIVS MELA, geographus, uixit ſub imperatore CLAVDIO, natione hiſpanus. reliquit de *ſitu orbis libros* III. eleganter ſcriptos. non effugit tamen criticorum cenſuram, quod notat POPE BLOVNT *p.* 104. *ſeqq.* editionum plerasque commemorauit MORHOFIVS *loco ſaepius adlegato p.* 182. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 345. *ſeqq. tom.* II. *p.* 476. *ſeqq.* FVNCCIVS *l. c. p.* 536. STOLLIVS *l. c.* p. 365. *ed. lat.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 64. optima eſt IACOBI GRONOVII LEIDAE MDCXCVI. 8.

(14) GRATIVS, patria faliſcus, huc refertur ab MORHOFIO, qui, quod OVIDII fuit aequalis, uti ex epiſtola ultima, ex ponto data, clarum eſt, et eleganti utitur ſcribendi genere, meruerat inter ſcriptores aetatis aureae numerari. exſtat eius *cynegeticon* ſiue de *uenatione carmen* pure et ornate ſcriptum. confer POPE BLOVNTIVM *p.* 88. enumerant editionum plurimas MORHOFIVS *polyh. p.* 182. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 283. optima eſt MANVTIANA MDLXXXIII. 8.

(15) A. PERSIVS FLACCVS, uolaterrenſis, eques romanus, obiit XXVIII. annos natus, nono imperii NERONIS anno. reliquit *ſatyras ſex* adeo obſcuras et ſalibus acerbas, ut multi, inque iis HIERONYMVS, abiiciendum eum eſſe, iudicauerint. plura uide apud

BLOVNTIVM *p.* 105. *ſeqq.* editiones recenſitae ſunt a MORHOFIO *l. c. p.* 183. FABRICIO *bibl. lat. p.* 395. *ſeqq. tom.* II. *p.* 552. *ſeqq.* FVNCCIO *l. c. p.* 110 - 116. STOLLIO *hiſt. litt. p.* 263. 264. HALLBAVERO *p.* 66. utilisſimae ſunt CASAVBONI LVGDVNI BAT. MDCXCVII. 4. et NICODEMI FRISCHLINI cum paraphraſi FRANCOF. MDCLXXXVII. 8.

(16) ſequitur Q. CVRTIVS RVFVS. infinitae ſunt eruditorum, de hoc ſcriptore, opiniones, quas recenſent FREINSHEMIVS in editione ſua, FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 439. FVNCCIVS *l. c. p.* 507. *ſeq.* POPE BLOVNT *p.* 121. minime tamen omnium plauſum feret uir quidam eruditus, cui CVRTIVS decimo ſeculo uidetur uixiſſe. editiones recenſentur copioſe celeberr. FABRICIO *tom.* I. *p.* 444. *ſeqq. tom.* II. *p.* 716. *ſeqq.* in praefatione FREINSHEMII editioni ſuae praemiſſa. adde STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 336. *edit. lat.* FVNCCIVM *l. c. p.* 522-525. WALCHIVM *p.* 597. *hiſt. crit.* HALLBAVERVM *p.* 53. praeſtantisſimis adnumerantur freinshemianae et PITISCI. ſtilus eius floridior paullo eſt, et ad poeticam dictionem accedit propius.

§. V.

SEQVVNTVR ſcriptores, quos ad aetatem aeneam referre ſolent eruditi. hi ſunt PLINIVS maior (1), PLINIVS epi-

epiſtolographus (2), panegyriſtae ueteres (3), QVINCTILIANVS, (4), TACITVS (5), FRONTINVS, (6), FLORVS (7), SILIVS ITALICVS (8), VALERIVS FLACCVS (9). STATIVS (10), IVVENALIS (11), MARTIALIS (12), SVLPITIA (13), SVETONIVS (14).

(1) C. PLINIVS SECVNDVS, ueronenſis in aula VESPASIANI et TITI uixit, illorumque negotia adminiſtrauit, etiam augur et procurator in hiſpania factus. obiit miſeni ad ueſuuium, ex caligine nubis, e monte ortae, ſpiritu obſtructo, clauſoque ſtomacho. multa ſcripſit, teſtante PLINIO iuniore *lib.* III. cap. 5. ſuperſunt autem *lib.* XXXVII. *hiſtoriam mundi complectentes.* lege POPE BLOVNTIVM in *cenſura auctorum celeb. p.* 118. *ſeqq.* qui uaria eruditorum iudicia protulit. quid notandum ſit de quibusdam editionibus lege apud MORHOFIVM *polyh. lib. IV. cap.* XIII. *p.* 186. *ſeqq.* recenſum pleniorem illarum dedit celebratisſimus FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 405. *ſeqq. tom.* II. *p.* 615. FVNCCIVS *l. c. p.* 551. *ſeqq.* HARDVINVS in *praefatione editionis ſuae.* STOLLIVS in *hiſt. litt. p.* 652. *ſeqq. ed. meae* HALLBAVERVS *inſtit. ſtil. p.* 50. *ſeqq.* elegantisſima omnium et pretioſisſima eſt HARDVINI, quae PARISIIS MDCXXXV. 4. *V. uolum.* in uſum DELPHINI lucem uidit.

(2)

(2) C. PLINIVS CAECILIVS SECVNDVS, habuit PLINIVM maiorem, auunculum. maximis in re publica honoribus geſtis, imperatori TRAIANO perquam carus obiit, ut uidetur, extremis eius imperii annis. qui uitam eius litteris conſignarunt, recenſet FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 477. WALCHIVS *hiſt. crit. p.* 602. STOLLIVS *l. c. p.* 175. FVNCCIVS l. c. p. 410. ceterum conf. BLOVNTIVM *p.* 141. *ſeqq.* reliquit praeter *panegyricum* imperatori TRAIANO dictum, *libros X. epiſtolarum*, ingenii acumine et ſtili uenuſtate inſignium; quarum editiones commemorant, praeter MORHOFIVM *l. c. p.* 188. FABRICIVS *bibl. lat. tom* I. *p.* 481. *ſeqq. tom.* II. *p.* 762. *ſeqq.* WALCHIVS *l. c. p.* 603. *ſeqq.* FVNCCIVS l. c. p. 438-448. STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 188. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 51. laudatiſſimae ſunt *cellariana*, *hearniana*, quibus iam praeferri meretur gesneriana LIPS. MDCCXXXIX. 8.

(3) panegyricos iſtos, quos plerumque adnexos uidemus PLINII epiſtolis, partim CLAVDIVS MAMERTINVS, partim EVMENIVS, partim NAZARIVS ſcripſere; quorum ſtilus, quum diuerſa uixerint aetate, mire diuerſus, nec, propter tumidum et inflatum dicendi genus, ad imitationem trahendus eſt. ceterum uberiorem iſtorum notitiam dat celeberrimus FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 484. *tom.* II. *p.* 796. *ſeqq.* uſui eſſe iuuentuti poteſt

eſt *cellariana* editio, quae HALAE MDCCIII. 8. prodiit.

(4) *M. FABIVS QVINCTILIANVS*, hiſpanus natione, adoleſcens admodum a *GALBA* romam eſt perductus. primus romae ſcholam publice aperuit, et conſtituto ſalario iuuentutem per annos XX. rhetorica docuit. exſtant eius libri XII. de *oratoria inſtitutione*, opus plane aureum, et numquam ſatis laudandum, quo me ſaepe uſum fuiſſe non eo inficias. lege etiam *POPE BLOVNTIVM* p. 127. et uidebis, quam placuerit ſemper eruditis *FABIVS.* declamationes, quae ſolent adiungi, recte abiudicantur *FABIO*; quum regulis, quas dedit, prorſus contrarientur. editionum init numerum *MORHOFIVS l. c. p.* 188. *ſeqq. FABRICIVS bibl. lat. p.* 422. *ſeqq. tom. II. p.* 682. *ſeqq. FVNCCIVS p.* 375 - 381. *STOLLIVS hiſt. litt. p.* 173 - 174. *HALLBAVERVS p.* 47. praeſtantisſima omnium editio eſt, quam curauit *BVRMANNVS* LVGD. MDCCXX. 4. cui iungenda *GESNERI* GOTT. MDCCXXXVIII. 4.

(5) C. CORNELIVS TACITVS, eques romanus, ad conſularem dignitatem ſub NERVA imperatore peruenit, et prudentia ſua, quam et in ſcriptis oſtendit, magnam ſibi famam adquiſiuit. exſtant eius *annalium libri VI. primi*, deinde *liber XI. mutilus initio*, *ad XVI. ſed extrema parte mutilum.* ſequuntur *libri hiſtoriarum*, quorum *libri V. primores* ſuperſunt. porro CN. IVLII AGRICOLAE ui-

uita; *libellus* denique de *ſitu*, *moribus populisque germaniae*. eruditorum ſententias a POPE BLONT conlectas lege *p.* 139. *ſeqq.* cui STOLLIVS adiungi meretur *hiſt. litt. p.* 344. editiones praeter HANCKIVM de *rerum romanar. ſcript.* CRENIVM, MORHOFIVM, uberrime enarrat eruditisſimus FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 471. *tom.* II. *p.* 750. *ſeqq.* WALCHIVS *hiſt. crit. p.* 610. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 52. *ſeqq.* FVNCCIVS *l. c. p.* 593. *ſeqq.* utilisſimae ſunt BERNEGGERI et ABRAMI GRONOVII.

(6) SEXT. IVLIVS FRONTINVS, uir conſularis, VESPASIANORVM iam tempore floruit; et ſub TRAIANO deceſſit. ex eius ſcriptis peruenerunt ad nos *libri duo de aquae ductibus urbis romae*; *ſtrategematicon libri* III. operum horum editiones cum primis indicat celeberrimus FABRICIVS *bibl. lat. p.* 457. *tom.* II. *p.* 737. *ſeqq.* FVNCCIVS *l. c. p.* 611. *ſeq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 66. praeſtat in aliis keucheniana AMST. MDCLXI. 8. quid iudicent de hoc uiro eruditi, legas, uelim, apud POPE BLOVNTIVM *p.* 188. *ſeqq.* adde STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 396.

(7) L. ANNAEVS FLORVS, hiſpanus patria fuiſſe, non nullis uidetur. ſub HADRIANO imperatore ſcripſit *epitomen de geſtis romanorum ſiue rerum romanarum libros IV.* uariae ſunt de hiſtorico iſthoc eiusque ſtilo ſententiae peritorum, quas uide apud PO-

POPE BLOVNTIVM *p* 154. *ſeqq.* ſed ſiquid ego uideo, prorſus MORHOFII probandum eſt iudicium, qui, neutiquam legendum eſſe iuuentuti, arbitratur. ſunt enim omnino in eo tumidae dictiones, metaphorae frigidiſſimae, nimiumque fere poetas ubique ſequitur. uidimus ſpecimen ſtili ſupra. iuuat tamen noſſe ſtudia doctorum, quibus de hoc auctore mereri bene uoluerunt. confer hanc in rem MORHOFIVM *lib. IV. cap. XIII. p.* 192. *ſeqq.* FABRICIVM *bibl. lat. tom. I. p.* 490. *tom.* II. *p.* 779. *ſeqq.* FVNCCIVM de *imminente LL. ſenectute p.* 603. *ſeqq.* editiones *freinsbemianae* et *wetſteinianae* primas tenent. lege WALCHIVM *hiſt. critic. lat. ling. p.* 618. *ſeqq.* HALLBAVERVM *inſtit. ſtili p.* 58. *ſeqq.* STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 338.

(8) SILIVS ITALICVS uir conſularis, ex italica pelignorum ciuitate oriundus, VIRGILII magnus admirator et imitator fuit. uitae ſibi finem inedia concelerauit, morbi lentitudinem praeuertens. conſcripſit poema heroicum de *bello punico ſecundo lib. XVII.* in quo plus ueritatis hiſtoricae, quam ingenii poetici obſerues. quid habendum ſit de hoc poemate, lege apud BLOVNTIVM in *cenſura uirorum celebr. p.* 115. *ſeqq.* iuuentuti ſi quae eſt commendanda editio, cellariana eſt, quae LIPS. M DC XCV. 8. prodiit. reliquas lege apud MORHOFIVM *l. c. p.* 193. *ſeqq.* FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 399. *ſeqq.* *tom.* II. *p.*

p. 557. *ſeqq.* FVNCCIVM *l. c. p.* 195. *ſeqq.* in quibus laudatisſima DRAKENBORCHII TRAIECT. ad RHEN. MDCCXVII. 4. quaedam etiam de SILIO memorat uenerab. WALCHIVS *hiſt. crit. lat. ling. p.* 634. *ſeqq.* HALLBAVERVS *inſtit. ſtili p.* 63. STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 226 - 227.

(9) M. VALERIVS FLACCVS, patauinus, poeta nobilisſimus, et, praeter MARONEM, in latinis uix ulli ſecundus. ad modum pauper patauii, tempore VESPASIANI, mortuus eſt. exſtant eius *argonauticon ad* FLAVIVM VESPASIANVM *liber VII.* et *octaui pars*, carmine heroico. conlectas de eo prudentium opiniones, habet BLOVNTIVS *p.* 116. *ſeqq.* recenſuit operis editiones, poſt MORHOFIVM, FABRICIVS in *bibl. lat. tom.* I. *p.* 419. *ſeqq. tom.* II. *p.* 632. *ſeqq.* FVNCCIVS l. c. p. 183. ſeqq. STOLLIVS *hiſtor. litter. p.* 300 - 302. et HALLBAVERVS *l. c. p.* 63. elegantisſimae et utilisſimae ſunt LIPS. MDCXXX. 8. cum notis CARIONIS, SABELLICI, ALARDI, et burmanniana MDCCXXIV. 12.

(10) P. PAPINIVS STATIVS, neapolitanus, imperatori DOMITIANO ob extemporalem in componendis uerſibus facilitatem perquam carus, uir magno ingenio, ſed multis etiam in dicendo naeuis. nimium enim indulgebat furori poetico, quo tamquam equus generoſus extra limites proſilit, nec ullum frenum pati-

patitur : quod recte animaduerterunt eruditi, quorum iudicia conlegit POPE BLOVNT in *cenſura auctor. celeb. p.* 129. *ſeqq.* MORHOFIVS *l. c. p.* 194. FVNCCIVS *l. c. p.* 208. *ſeqq.* reliquit *ſyluarum V. thebaidos libros XII. achilleidos libros II.* quorum editiones enarrantur a MORHOFIO *polyb. tom. I. lib. IV. cap XII. p.* 195. FABRICIO *bibl. lat. tom. I. p.* 435. *tom. II. p.* 712. *ſeqq.* STOLLIO *hiſt. litt. p.* 227. *ſeqq.* HALLBAVERO *inſt. ſtili p.* 67. praeferuntur aliis DAVMII editio, cum *commentariis* BARTHII CYGN. MDCLXIV. 4. II. uol. et VEENHVYSEN. cum *notis ſelectis uariorum* LVGD. MDCXVII. 8.

(11) DEC. IVNIVS IVVENALIS, poeta non inelegans et ob ſatyram in romanis celeberrimus, a DOMITIANO octogenarius, per honorem militiae, urbe ſubmotus eſt, quod ſatyram ſcripſerat in PARIDEM pantomimum. contulerunt uiri eruditisſimi HORATIVM, PERSIVM, IVVENALEM inter ſe, apud POPE BLOVNT *p.* 135. *ſeqq.* reliquit *ſatyras XVI.* magis indignante, quam ridente, calamo ſcriptas. editiones recenſet praeter MORHOFIVM *l. c. p.* 195. *ſeqq.* FVNCCIVS *l. c. p.* 244. *ſeqq.* FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 453. *ſeqq. tom.* II. *p.* 551. *ſeqq.* 732. *ſeqq.* STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 264. *ed. lat.* HALLBAVERVS *inſtit. ſtili p.* 62. praeſtantisſima omnium habetur HENR. CHRIST. HENNINII ultraiecti MDCLXXXVI. 4.

(12) M. VALERIVS MARTIALIS, hiſpanus, argutus epigrammatum ſcriptor, ſaepe turpis et obſcenus. floruit DOMITIANI, NERVAE, et TRAIANI temporibus. ſenex hiſpaniam repetiit, ibidemque mortuus eſt. quam criticorum limam expertus ſit, lege apud BLOVNTIVM in *cenſura uiror. p.* 125. *ſeqq.* editiones quaeſiturus, inueniet apud MORHOFIVM *l. c. p.* 197. *ſeqq.* FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 462. *ſeqq. tom.* II. *p.* 741. *ſeqq.* FVNCCIVM *l. c. p.* 229-234. STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 289-291. reliquit *epigrammatum libros XIV.* optimae editiones ſunt SCRIVERIANA MDCXXIX. 12. et MICHAELIS MAITTAIRE LONDINI MDCCXVI. 12. quasdam etiam editiones commemorat HALLBAVERVS *l. c. p.* 63. *ſeqq.*

(13) SVLPITIA, poetria, ſcripſit ſatyram *de corrupto rei publicae ſtatu*, quum philoſophos publico edicto exegiſſet urbe DOMITIANVS. ſeparatim illa numquam prodiit, reperitur tamen in epigrammatibus ueterum a PITHOEO editis, et inter ſatyricos minores BOXHORNII. uide MORHOFIVM *polyh. lib. IV. cap. XIII. p.* 198. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 228. 257. 676. *ſeqq. tom.* III. *p.* 267. FVNCCIVM *l. c. p.* 246-251.

(14) C. SVETONIVS TRANQVILLVS, grammaticus et rhetor romanus, floruit TRAIANI et HADRIANI temporibus. illi fuit magiſter epiſtolarum; ab hoc uero remotus ab munere, ſuperſunt ex eius ſcriptis *uitae XII. im-*

imperatorum, magna libertate et ingenuo calamo ſcriptae. *liber de inluſtribus grammaticis* et liber *de claris rhetoribus*. editiones copioſe recenſentur a FABRICIO *l. c. tom.* I. *p.* 497. *ſeqq. tom.* II. *p.* 787. *ſeqq.* praeſtantisſimae ſunt *graeuiana* cum notis integris uirorum eruditor. TRAIECTI MDCCIII. 4. et SAMVEL. PITISCI LEOVARD. MDCCXIV. 4. iudicia conlegit POPE BLOVNT *in cenſura auctor. celeb. p.* 148. *ſeqq.* lege etiam WALCHII *hiſt. crit p.* 616. *ſeqq.* HALLBAVERI *inſtit. ſtili p.* 56. et STOLLII *hiſt. litt. p* 343. *ed. lat.* FVNCCII *imminentem L. L. ſenect. p.* 568. *ſeqq.*

§. VI.

FERREA aetas latinae linguae ab ANTONINIS ſolet ſupputari. hancce complent IVSTINVS (1), A. GELLIVS (2), APVLEIVS (3), TERTVLLIANVS (4), CENSORINVS (5), IVLIVS OBSEQVENS (6), NEMESIANVS (7), CALPVRNIVS (8), SERENVS SAMMONICVS (9), RVTILIVS NVMATIANVS (10), SPARTIANVS (11), CAPITOLINVS (12), LAMPRIDIVS (13), VVLCATIVS (14), TREBELLIVS POLLIO (15), VOPISCVS (16), AVRELIVS VICTOR (17), EVTROPIVS (18), MINVTIVS FELIX (19), ARNOBIVS (20), LACTANTIVS (21),

AMMIANVS MARCELLINVS (22), VEGETIVS (23), SYMMACHVS (24), AVSONIVS (25), CLAVDIANVS (26), PRVDENTIVS (27), DRACONTIVS (28), VENANTIVS (29), MACROBIVS (30), SVLPITIVS SEVERVS (31), APOLLINARIS (32), MARTIAN. CAPELLA (33), BOETHIVS (34), CASSIODORVS (35).

(1) IVSTINVS quis fuerit, aut, quo uixerit tempore, nondum ſatis conſtat inter eruditos: aliis eum ante tempora imperatorum chriſtianorum conſtituentibus, aliis aeuo theodoſiano uindicantibus; ceterum uarias eruditorum opiniones lege apud POPE BLOVNTIVM *in cenſ. auct. celeb. p.* 161. *ſeqq.* exſtant *hiſtoriarum philippicarum et totius mundi originum et terrae ſitus ex TROIO POMPEIO excerptarum libri XLIV.* a NINO ad imperatorem usque AVGVSTVM quas habemus ex uirorum ſolertium ſtudio editiones, copioſe producunt MORHOFIVS *polyb. lib. IV. cap. XIV. p.* 199. *ſeqq.* celeberrimus FABRICIVS *bibl. lat tom.* I. *p.* 531. *ſeqq. tom.* III. *p.* 57. *ſeqq.* praeſtantiſſimae ex iis ſunt graeuianae, tum cum ſuis, tum cum aliorum notis publicatae, et ABRAH. GRONOVII LVGD. BAT. MDCCXIX. 8. lege omnino WALCHIVM *hiſt. crit. ling. lat. p.* 612. *ſeqq.* STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 330. *ed. lat.* HALLBAVERVM *inſtit. ſtili p.* 59. FVNCCIVM de uegeta L. L. ſenectute p. 176. ſeqq.

(2)

(2) A. GELLIVS, romanus, rhetor. et philoſophus, ſub ANTONINO PIO floruit et primis M. ANTONINI philoſophi annis mortuus eſt. exſtant eius *noctium atticarum lib. XX.* facunda ſcientia referti, et ingenioſa ſaepe arte confecti. ſunt, qui ineptum eum rapſodum uocent. ſunt uero etiam, qui innocentiam eius, et doctrinam, probent. utroſque uide apud MORHOFIVM *l. c. p.* 100. POPE BLOVNT *in cenſ. celeb. auct. p.* 146. *ſeqq.* editiones commemorant MORHOFIVS *l. c. p.* 100. FABRICIVS *bibl. lat. p.* 510. *tom.* III. *p.* 4. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 64. FVNCCIVS l. c. p. 329. ſeqq. optima eſt IACOBI GRONOVII. LVGD. MDCCVI. 4. *cum notis uariorum.*

(3) L. APVLEIVS, madaurenſis, orator, iur. conſultus et philoſophus platonicus nobiliſſimus. graece et latine, ut tum erant tempora, bene doctus. inclaruit temporibus ANTONINI PII ac fratrum M. ANTONINI philoſophi, ac VERI, ut ex ipſius apologia APVLEII conſtat. ſuperſunt hodienum eius *μεταμορφώσεως* ſeu de *aſino libri XII. oratio de magia. liber de mundo. liber de deo SOCRATIS. de habitudine doctrinarum et natiuitate PLATONIS lib. III. florida, ſiue chreſtomathiae quaedam ex eius declamationibus.* horum editiones, ut coniunctim ita ſeparatim diuulgatorum, dedit MORHOFIVS *paucis l. c. p.* 101. et cel. STOLLIVS *l. c. p.* 10. 461. 585. copioſius autem excellentiſſimus FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 510. *tom.* III. *p.* 34. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 78.

optima editio eſt IVLIANI FLORIDI in uſum delphini PARIS. MDLXXXVIII. 4. II. uol. uarias de APVLEIO ſententias uide apud POPE BLOVNT *p.* 170. *ſeqq.* et FVNCCIVM de ueg. ſen. L. L. *p.* 862. *ſeqq.*

(4) Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLLIANVS, ſolus eſt ex ſeculo ſecundo ſcriptor chriſtianus. fuit presbyter carthaginenſis. multa ſcripſit, quae uero rancidi quid et aſperi, imo et obſcuritatis, in ſtilo habent. uitam eius, ſcripta, editiones, copioſe commemorat celeberrimus STOLLIVS *in der aufrichtigen Nachricht von den Leben, Schrifften und Lehren der alten Kirchen-Vaeter p.* 105. *ſeqq.* ubi et ſcriptores §. 2. plures adducit, qui de hoc TERTVLLIANO praeceperunt. it. *in hiſt. litt. p.* 585. *ed. lat.* ceterum de editionibus pluribus egit MORHOFIVS *polyh. lib. IV. cap. XIV. p.* 206. *ſeqq.* FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 727. *tom.* III. *p.* 346. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 84. optima operum omnium editio eſt VENETA MDCCI. fol. lege etiam POPE BLOVNT *p.* 180. *ſeqq.* FVNCC. *l. c. p.* 908. *ſeqq.*

(5) CENSORINVS, artis grammaticae doctiſſimus, floruit ſub ALEXANDRO SEVERO, MAXIMO, et GORDIANO. ſcripſiſſe ſe innuit anno chriſti CCXXXVIII. libellus de *die natali* laudatiſſimus eſt eruditis, etſi, pro temporum ratione, ſtilo non eleganter excultus: cuius editiones uide apud MORHOFIVM *l. c. p.* 204. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 538.

538. *ſeqq. tom.* III. *p.* 67. *ſeqq.* HALLBAVER. *l. c. p.* 69. FVNCC. *l. c. p.* 874. *ſeqq.*

(6) IVLIVS OBSEQVENS, quis fuerit, et unde oriundus, nihil explorati habemus. reliquum eſt eius *libri*, quo *prodigia*, romae, aut in uicinis regionibus uiſa, ordine deſcripſit, fragmentum, ſtilo caſtigato exornatum, quod in aliis diuulgauit THOM. HEARNE OXON. MDCCIII. 8. lege celeb. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 535. *ſeqq. tom.* III. *p.* 67. HALLBAVER. *l. c. p.* 81. FVNCC. *l. c. p.* 707. *ſeqq.*

(7) M. AVRELIVS OLYMPIVS NEMESIANVS, carthaginenſis, poeta. ex iis, quae plura ſcripſit, ſuperſunt tantum *cynegetica, carmine heroico* exarata, et *eclogae IV.* hic, ſtili caſtitate et elegantia, ceteris afris laudem praeripuit. confer de editionibus FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 543. *ſeqq.* FVNCC. *l. c. p.* 162.

(8) T. IVLIVS CALPVRNIVS, ſiculus, reliquit ad NEMESIANVM, patronum ſuum, *eclogas VII*, quae a VOSSIO nemeſianis carminibus praeferuntur. uide celeb. FABRIC. *bibl. lat. tom.* I. *p.* 544. *ſeqq. tom.* III. *p.* 82. FVNCC. *l. c. p.* 164.

(9) Q. SERENVS SAMMONICVS inclaruit ſub SEPTIMIO SEVERO, et ANTONINO CARACALLA, a quo poſtremo in coena interemtus periit. multis ſuo tempore

 ſcri-

ſcriptis nobilis fuit, ex quibus ſolum ad nos peruenit *carmen heroicum*, *praecepta de medicina paruo pretio parabili* complexum. confer celeb. FABRICIVM *l. c. p.* 542. et *tom.* III. *p.* 80. *ſeqq.* ubi et editiones recenſentur. FVNCC. *l. c. p.* 867.

(10) CLAVD. RVTILIVS NVMATIANVS, gallus, uir conſularis et magiſter palatii ſub THEODOSIO iuniore. ſcripſit de *reditu ſuo itinerarii libros II* uerſibus elegis. lege de hoc eiusque editionibus FABRICII *bibl. lat. tom.* I. *p.* 630. *ſeqq. tom.* III. *p.* 156. praeſtat editio *almeloueniana*, AMSTEL. MDCLXXXVII. 12. FVNCC. *l. c. p.* 239. 859.

(11) AELIVS SPARTIANVS V. C. ſcripſit uitam ADRIANI et AELII VERI, porro DIDII IVLIANI, SEPTIMII SEVERI, et PESCENNII NIGRI, ANTONINI CARACALLAE, et ANTONINI GETAE. hunc atque ſequentes, CAPITOLINVM et LAMPRIDIVM unum eſſe eumdemque auctorem, haud uano coniicit augurio eruditisſimus uir IO. FRID. CHRISTIVS *noct. acad. ſpec.* 1. *p.* 9. *not.* 11. cuius rationes firmae uidentur. conf. quoq. FVNCCIVM *l. c. p.* 720.

(12) IVLIVS CAPITOLINVS, reliquit ex fama uulgari uitam ANTONINI PII, M. ANTONINI philoſophi, et VERI, nec non PVB. HELVII PERTINACIS, CLODII ALBINI, OPILII MACRINI, trium GORDIA-

NO-

NORVM, MAXIMI et BALBINI. u. FVNCC. l. c. p. 721.

(13) AELIVS LAMPRIDIVS, confeciſſe dicitur uitae deſcriptionem COMMODI ANTONINI, ANTONINI DIADVMENI HELIOGABALI, et ALEXANDRI SEVERI. u. FVNCC. l. c. p. 722.

(14) VVLCATIVS GALLICANVS elaborauit uitam AVIDII CASSII, fuit ſenator romanus, et fortaſſe idem conſul A. chriſti CCCXVII. u. FVNCC. l. c. p. 724.

(15) TREBELLIVS POLLIO diuulgauit VALERIANORVM uitas, et utriusque GALIENI, triginta tyrannorum, ſiue rebellium ducum, uitas denique FLAVII CLAVDII et QVINTILLI fratris. u. FVNCC. l. c. p. 725.

(16) FLAVIVS VOPISCVS ſyracuſanus, uixit ſub imperatore CONSTANTIO. edidit eodem, quo POLLIO tempore, iuſſu IVNII TIBERIANI uitam AVRELIANI, TACITI et FLORIANI *fratris*, uitam PROBI, FIRMI et SATVRNI, uitam PROCVLI, BONOSI, CARI NVMERIANI et CARINI. u. FVNCCIVS l. c. p. 727. horum ſex ſcriptorum opera coniunctim ſub titulo, *hiſtoriae auguſtae ſcriptores*, ſemper ſunt editi, quorum editiones legendae ſunt apud MORHOF. *polyb. lib. IV. cap. XIV. p.* 204. *ſeqq.* FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 546. *ſeqq. tom.* III. *p.* 83. *ſeqq.* FVNCCIVM l. c. p. 733. ſeqq. adde STOL-

LIVM in *hiſt. litt. human. p.* 346. et quos ille laudat auctores.

(17) SEXTVS AVRELIVS VICTOR. africa oriundus eſt, et ſub CONSTANTIO floruit, qui eum pannoniae ſecundae conſularem praefecit et honorauit aenea ſtatua, quod de IVLIANO imperatore refert MARCELLINVS *lib. XXI.* 10. reliquit libellum de *origine gentis romanae a IANO et SATVRNO conditoribus, per ſuccedentes ſibimet reges usque ad conſulatum X. CONSTANTII.* item de *uiris inluſtribus* et de *caeſaribus* libellum. haec et editiones fere omnes habet celeb. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 750. *ſeqq. tom.* III. *p.* 98. *ſeqq.* FVNCCIVS de uegeta ſenectute p. 735. adde MORHOFIVM *l. c. p.* 205. item STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 339. 346. HALLBAVERVM *l. c. p.* 96. POPE BLOVNT in *cenſ. uiror. celeb. p.* 275. *ſeqq.*

(18) FLAV. EVTROPIVS italus, ſophiſta, CONSTANTINI M. primum ab epiſtolis, deinde IVLIANI apoſtatae expeditioni perſicae interfuit. reliquit *breuiarium romanae hiſtoriae* in *libros X* diſtinctum et VALENTI AVGVSTO dicatum. porro *hiſtoriam miſcellam.* breuiarii editiones praeſtantiſſimae ſunt CELLARII cum PAEANII metaphraſi CIZAE MDCLXXVIII. in 8. et IENAE MDCXCVII. 8. SCHVMANNI HALAE *ſaxonum* MDCCXV. 12. et REINHARDI VINARIAE MDCCXXVIII. 8. reliquas editiones lege apud celeberrimum FA-

BRI-

BRICIVM *bibl. lat. tom* I. *p.* 576. *ſeqq. tom.* III. *p.* 99. *ſeqq.* WALCHIVM *hiſt. critic. lat. ling. p.* 571. *ſeqq.* HALLBAVER. *l. c. p.* 70. *ſeqq.* FVNCCIVM *l. c. p.* 755.

(19) M. MINVTIVS FELIX quo tempore floruerit, non ſatis conſtat. de quo uide FABRICIVM *tom.* III. *bibl. lat. p.* 374. POPE BLOVNT in *cenſ. auctor. celeb. p.* 189. *ſeqq.* reliquit dialogum de *uera et falſa religione*, quo chriſtianos aduerſus deorum cultores tuitus eſt. de editionibus lege WALCHIVM in *hiſt. critic. ling. lat. p.* 640. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* III. *p.* 371. HALLBAVER. *l. c. p.* 75. utiliſſima eſt CELLARII HALAE MDCXCIX. 8. adde STOLLIVM *l. c. p.* 124. *ſeqq.* FVNCCIVM *l. c. p.* 917.

(20) ARNOBIVS afer ſub DIOCLETIANO *ſiccae* rhetoricam docuit. reliquit libros *VII. aduerſus gentes*, quorum ſtilus, quamquam penetrans et neruoſus, incomtus tamen et more afrorum maxime impurus eſt. editiones uide apud MORHOFIVM *l. c. p.* 206. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 728. *ſeqq. tom.* III. *p.* 388. STOLLIVM *in den Leben der Alt-Vaeter p.* 199. *ſeqq.* FVNCCIVM *l. c. p.* 944.

(21) L. CAELIVS LACTANTIVS, firmianus, auditor fuit ARNOBII. docuit nicomediae rhetoricam. reliquit *librum de opificio dei*; *inſtitutiones diuinas*; epitomen *inſtitutionum* et *librum de mortibus perſequutorum*. uitam huius auctoris enarrat celeb. STOLLIVS *l. c. p.* 205.

ſeqq.

ſeqq. et quos ille adducit. editiones copioſiſſime recenſet FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 730. *ſqq. tom.* III. *p.* 394. *ſeqq.* FVNCCIVS *l. c. p.* 967. quasdam etiam MORHOFIVS *l. c. p.* 207. WALCHIVS in *hiſt. crit. lat. ling. p.* 641. *ſeqq.* HALLBAVERVS *l. c. p.* 75. iudicia de eius ſtilo habet POPE BLOVNT in *cenſ. celeb. auct. p.* 216. *ſeqq.* lege WALCHIVM in diſſert. de LACTANTIO *eiusdemque ſtilo* praemiſſ. editioni LIPSIENSI MDCCXV. 8. M. KREBSII *diatrib. de ſtilo* LACTANTII HAL. MDCCII. 4. KORTHOLTI diſſ. de CICERONE chriſtiano LACTANTIO GIESS. MDCCXI. 4. in iuuentutis uſum eſt editio CELLARII MDCXCVIII. 8. et BVNEMANNI 8. referendus etiam huc eſt celeberrimus STOLLIVS in *hiſt. litt. p.* 585. 640. *ed. meae.*

(22) AMMIANVS MARCELLINVS, homo graecus et militaris, ſub CONSTANTIO et proximis imperatoribus usque ad THEODOSIVM uixit. deorum cultor, ſed in ſcribenda hiſtoria ueritatis ſtudioſiſſimus, edidit *rerum geſtarum a* NERVAE *principatu ad exceſſum usque imperatoris* VALENTIS *libros XXXI.* horum XIII. primi perierunt. ſtilus inflatus et tumidus, pro temporum ſuorum ſtatu, eſt. editiones occurrunt apud MORHOFIVM *l. c. p.* 207. FABRICIVM *bibl. lat. p.* 614. *ſeqq. tom.* III. *p.* 113. STOLLIVM *l. c. p.* 346. 347. FVNCCIVM *l. c. p.* 785. lege POPE BLOVNT in *cenſ. auct. celeb. p.* 257. *ſeqq.* praeſtantiſſima eſt editio IACOBI GRONOVII LVGD. BAT. MDCXCIII. fol.

(23) FLAVIVS VEGETIVS RENATVS, uir inluſtris, ſcripſit ad VALENTINIANVM II. AVGVSTVM *epitomen inſtitutorum rei militaris libris V.* qua in re haud adcurate uerſatus, ſui ac ſuperioris aeui inſtituta paſſim confudit. confer celeb. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 616 *tom.* III. *p.* 132. *ſeqq.* MORHOF. *l. c. p.* 208. FVNCCIVM de uegeta ſenectute L. L. *p.* 788. *ſeqq.* ubi editiones quoque recenſentur. adde HALLBAVERVM *inſtit. ſtili p.* 80. ſtilus eius incultus et ſaepe barbarus eſt.

(24) Q. AVRELIVS SYMMACHVS, uir conſularis, doctrina quidem, ſed et odio aduerſus chriſtianos, inſignis. inluſtrauit ingenio ſuo tempora VALENTINIANI II. THEODOSII et filiorum. habemus ab eo *epiſtolarum ad diuerſos libros X.* quos, poſt eius mortem, filius edidit. uitam deſcripſit FVNCCIVS *l. c. p.* 389. de ſtilo illius uariant opiniones: uide BLOVNTIVM *in cenſ. p.* 261. *ſeqq.* editiones adnotarunt MORHOFIVS *l. c. p.* 208. FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 633. *ſeqq. tom.* III. *p.* 173. FVNCC. *l. c. p.* 401. *ſeq.* de eius ſtilo conferatur et BOECLERVS *hiſt. uniu. ſec. IV. ſect. V. n. 6.* lege quoque STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 190. ubi de eius epiſtolis praecipit.

(25) D. MAGNVS AVSONIVS, burdegalenſis, grammaticus, rhetor, et poeta chriſtianus. uir conſularis obiit imperante HONORIO A. poſt C. N. CCCXCII. u. FVNCC. de

de ueg. ſen. L. L. *p.* 184. *ſeqq.* exſtat *liber epigrammatum ephemeris, ſiue totius diei negotium, uario carminis genere. parentalia. commemoratio profeſſorum burdigalenſium. epitaphia heroum, qui bello troiano interſuerunt. de XII. caeſaribus per SVETONIVM ſcriptis monoſticha. clarae urbes. ludus ſiue ſententiae VII. ſapientum. idyllia XX. eclogarium uariorum poematiorum et epigrammatum. lib. epiſtolarum XXII. oratio panegyrica ad GRATIANVM imperatorem.* iudicia de hoc auctore conſcripſit POPE BLOVNT *in cenſ. auct. celeb. p.* 268. *ſeqq.* recenſum editionum habes in MORHOFIO *l. c. p.* 209. *ſeqq.* FABRICIO *bibl. lat. tom* I. *p.* 588. *ſeqq. tom.* III. *p.* 106. *ſeqq.* add. STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 290. HALLBAVERVS *l c. p.* 83. FVNCCIVS *l. c. p.* 198. *ſeqq.* optima eſt *tolliana* LVGD. BAT. MDCXXI. 8.

(26) CL. CLAVDIANVS, alexandrinus, floruit ſub imperatoribus THEODOSIO M. HONORIO, et ARCADIO, a quibus ſtatua honoratus eſt, inter poetas nobiliſsimos referendus, ſed a ueri dei cultu alienus. reliquit de *OLYMBRII et PROBINI fratrum conſulatu carmen panegyricum. in conſulatum MALLII THEODORI. in conſulatum FLAVII STILICONIS libros* III. *et librum de bello getico, ſeu de uictoria STILICONIS, contra ALARICVM. de bello gildonico librum. panegyrin SERENAE REGINAE. PALLADII et CELERINAE epithalamium. in conſulatum* III. *et IV et VI. HONORII AVGVSTI tria panegirica. in nuptias HONORII AVGV-*

GVSTI et MARIAE carmen heroicum, raptus proſerpinae libros III, *gigantomachiam. epiſtolas* IV. *ad HADRIANVM, SERENAM, OLYMBRIVM et PROBINVM. tria item epiſtolia ad GENNADIVM. epigrammata et poematia XLVII. in RVFINVM libros* II. *et totidem in EVTROPIVM eunuchum.* eius carmina ſaepe bona ſunt: dum tamen nimium ſtudet ſublimitati, ſaepe fit tumidus, et in translatis abſurdus. uarias eruditorum opiniones lege apud POPE BLOVNTIVM *p.* 263. *ſeqq.* FVNCCIVM de ſen. ueg. L. L. p. 236. editionum iniit numerum aliquem MORHOF. *l. c. p.* 210. plures producit FABRICIVS *in bibl. lat. tom.* I. *p.* 629. *ſeqq. tom.* III. *p.* 153. *ſeqq.* adde HALLBAVER. *l. c. p.* 73. *ſeqq.* STOLLIVM *hiſt. litt. p.* 279. *ed. lat.* FVNCC. *l. c. p.* 257.

(27) AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS, hiſpanus, poſtquam magnis dignitatibus functus erat, ſub ARCADIO et HONORIO, uacauit diuinis carminibus pangendis. ex quibus ſuperſunt ψυχομαχία, liber καθημερινῶν. *περὶ στεφάνων, ſiue de coronis martyrum. ἀποθέωσις ſiue de diuinitate CHRISTI. hamartigenia, ſiue de origine peccatorum aduerſus marcionitas libri* II. *contra SYMMACHVM,* lege de PRVDENTIO iudicia apud POPE BLOVNTIVM *in cenſ. auct. celeb. p.* 282. *ſeqq.* reliqua cum editionibus habes in MORHOFIO *l. c. p.* 211. FABRICIO *bibl. lat. tom.* I. *p.* 696. *tom.* III. *p.* 291. *ſeqq.* FVNCCIO *l. c. p.* 263. 275. adde GOTTLIEB STOLLIVM *in den Leben*

ben der Alt-Vaeter der erſten 4. *ſec. p.* 301. *ſeqq.* it. *in hiſt. litt. p.* 273. *ed. lat.* HALLBAVER. *l. c. p.* 77. iuuentuti commendanda eſt CELLARII editio HAL. MDCCIII. 8.

(28) DRACONTIVS, toletanus, reliquit *hexaemeron librum* I. qui tamen in fine mutilus eſt. confer de eo MORHOFIVM *polyb. l. c p.* 211. celeb. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 700. *tom.* III. *p.* 301. HALLBAVER. *l. c. p.* 91. FVNCCIVM *l. c. p.* 291. *ſeqq.*

(29) VENANTIVS HONORIVS CLEMENTIANVS FORTVNATVS, poeta chriſtianus, cuius proſtant *poematum ſacrorum libri IV. de partu uirginis lib. I. de chriſti beneficiis lib. II. de uita hominum lib. IV. de certaminibus et miraculis piorum lib. IV.* porro *de uita MARTINI lib. IV.* carmine heroico ſcripti. editiones producit FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 707. *tom.* III. *p.* 285. 308. adde MORHOFIVM *l. c. p.* 212. HALLBAVER. *p.* 92.

(30) MACROBIVS AMBROSIVS AVRELIVS THEODOSIVS, uir inluſtris, et conſularis, ſacroque praefectus cubiculo. floruit HONORII et THEODOSII iunioris temporibus. exſtant eius *commentariorum in ſomnium SCIPIONIS a CICERONE deſcriptum libri* II. et *ſaturnalium conuiuiorum libri VII.* quorum editiones commemorant MORHOFIVS *polyb. l. c. p.* 212. HALLBAVER. *l. c. p.* 82. uberrime erudit. FA-

FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 620. *tom.* III. *p.* 145. lege etiam POPE BLOVNT *in cenſ. auct. celeb. p.* 226. *ſeqq.* STOLLIVS *hiſt. litt. p.* 54. 584. *ed. lat.* FVNCCIVS de uegeta ſenectute *LL.* p. 1022-1047.

(31) SEVERVS SVLPICIVS, primuliacenſis in aquitania presbyter, reliquit *hiſtoriarum ſacrar. libros* II. *epiſtolas* VII. *uitam S. MARTINI et dialogos.* lege de eo WALCHIVM *in hiſt. crit. ling. lat. p.* 643. *ſeqq.* FVNCCIVM de *ueg. ſen. LL. p.* 827-837. de eius ſtilo confer CHRISTIANI BREITHAVPTII diſſert. de ſtilo SVLPICII SEVERI HAL. MDCCXIII. 4. iudicia eruditorum conlegit POPE BLOVNT *in cenſ. celeb. auct. p.* 280. *ſeqq.* editionum farraginem habent MORHOF. *l. c. p.* 212. FABRICIVS in *bibl. lat. tom.* I. *p.* 735. *ſeqq. tom.* III. *p.* 531. *ſeqq.* adiunge his HALLBAVERVM *l. c. p.* 89. utiliſſima eſt editio, quae LIPSIAE prodiit MDCCIX. 8. cum notis VORSTII et CLERICI.

(32) C. SOLLIVS APOLLINARIS SIDONIVS, lugdunenſis gallus. fuit inter eruditiſſimos ſuae aetatis chriſtianos relatus, graece latineque doctus, obiit epiſcopus claromontanus A. C. CDLXXXII. ſuperſunt ex eo *carmina* XXIV. et *epiſtolarum libri* IX. dicendi genus penitus ferreum eſt, et peregrinitatis plenum. lege MORHOFIVM *l. c. p.* 213. POPE BLOVNT in *cenſ. p.* 306. *ſeqq.* eruditorum in hunc auctorem operas enumerat FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 635. *ſeqq. tom.* III. *p.* 174. *ſeqq.*

(33) MARTIANVS MINEVS FELIX CAPELLA, madaurenſis patria, uir proconſularis, ſcripſit

ſatyram, *nouem libris* conſtantem, quorum II. *priores ἀποθέωσιν de nuptiis philologiae et mercurii* continent: reliqui *ſeptem ſinguli ſingularum artium liberalium laudes et praecepta* comprehendunt. ſtilus eius ualde barbarus eſt et africam olens. iudicia uide apud POPE BLOVNT *p.* 307. *ſeqq.* adiunge MORHOFIVM *l. c. p.* 213. et celeb. FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 639. *ſeqq. tom.* III. *p.* 185.

(34) ANICIVS MANLIVS TORQVATVS SEVERINVS BOETHIVS, romanus, ſcriptor ſeculi ſexti ineuntis, profesſionis chriſtianae, ſummis honoribus functus, a THEODORICO in exilium misſus et poſt uincula ſex menſium interfectus eſt. ex ſcriptis eius reliqui ſunt *de conſolatione philoſophiae libri V.* eleganter partim in proſa, partim ligata oratione conſcripti. praeter ea opuſcula quaedam 1) *quod trinitas ſit unus deus et non tres dii.* 2) *utrum pater*, *filius et ſpiritus ſanctus*, *de diuinitate ſubſtantialiter praedicentur.* 3) *an omne*, *quod eſt*, *bonum ſit*, *quum non ſint ſubſtantialia bona.* 4) *fidei confesſio ſiue breuis inſtitutio religionis chriſtianae.* 5) *aduerſus EVTYCHEN et NESTORIVM de duabus naturis et una perſona CHRISTI liber.* 6) *de unitate et uno libellus.* *et de arithmetica libri* II. 7) *de muſica ſiue inſtitutionis muſicae libri V.* 8) *de geometria libri* II. 9) *in PORPHYRII phoenicis iſagogen de praedicabilibus a VICTORINO translatam dial.* II. 10) *in eamdem a ſe latine uerſam expoſitio* II. *libris totidem.* 11) *in categorias* ARISTOTELIS libri itidem

II.

II. 12) *in librum* ARISTOTELIS *de interpretatione minorum commentariorum libri* II, *maiorum libri* VI. 13) *analyticorum* ARISTOTELIS, BOETHIO *interprete*, libri IV. 14) *introductio ad categoricos ſyllogismos.* 15) *de ſyllogismo categorico libri* II. *de hypothetico totidem.* 16) *de diuiſione liber, et liber de definitione.* 17) *topicorum* ARISTOTELIS, BOETHIO *interprete libri* VIII. 18) *elenchorum ſophiſticorum ex eiusdem interpretatione* libri II. 19) *de differentiis topicis* libri IV. lege cum primis FABRICIVM *bibl. lat. tom.* I. *p.* 641. *ſeqq. tom.* III. *p.* 202. *ſeqq.* ubi et opuſculorum editiones ſingularium et omnium recenſentur. adiice MORHOFIVM *l. c. p.* 213. *ſeqq.* POPE BLOVNTIVM *in cenſur. auct. celebr. p.* 317. *ſeqq.* et celeberrimum STOLLIVM *in hiſt. litter. p.* 496. 733. *ſeqq.*

(35) C. MAGNVS AVRELIVS CASSIODORVS SENATOR, ſcriptor chriſtianus, floruit medio ſeculo VI. et uariis honoribus auctus fuit a THEODORICO, rege gothorum, ut et ſub ATHALARICO AMALASVENTHA, THEODAHADO et VITIGE, tandem mundi pertaeſus, monaſterio ſe incluſit. habemus ex eius otio *uariarum epiſtolarum lib. XII. hiſtoriae eccleſiaſticae tripartitae libros XII. chronicon breue : computum paſchalem : commentarium in pſalmos DAVIDIS : inſtitutionum ad diuinas lectiones librum : de ſeptem diſciplinis librum : librum de orthographia : de ratione animae librum : commentarium in DONATVM.* haec omnia ube-

rius recenſet, additis editionibus, excellentisſimus FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *p.* 651. *ſeqq. tom.* III. *p.* 219. *ſeqq.* pauca habet MORHOFIVS *l. c. p.* 214. HALLBAVERVS *l. c. p.* 93. iudicia conlegit POPE BLOVNTIVS *in cenſum celebr. auctor. p.* 318. *ſeqq.* recentisſima editio prodiit VENETIIS MDCCXXIX. II. *tomis in folio*, de qua uide *nouellas lipſ. erud.* ad ann. MDCCXXXIV. n. XCVII. p. 865. ſeqq.

§. VII.

PRAECIPVI ſunt hi ſcriptores, quos, qui uel rerum romanarum, uel linguae cupidi ſunt, perſcrutari tenentur. facile tamen cuiuis perſpicuum eſt, non omnes hos iuuenibus uel commendandos, uel ad ſtilum efformandum legendos eſſe. ſufficit, ſi praecipuos cognoſcant, reliquos iſtis relinquentes, quibus aut tempus ſufficit, aut ſtudiorum ratio iſtud imperat.

PAR-

PARTIS III.

CAP. IV.

DE MODO ET ORDINE LEGENDI AVCTORES CLASSICOS.

ORDO DICENDORVM.

dicendum iam de ordine ac modo legendi auctores. §. I.

recenſentur ſententiae, quas fouent plerique de hoc negotio §. II.

noſtra ſententia eſt, a facilioribus progrediendum eſſe ad difficiliora §. III.

exordiendum ergo a PHAEDRO, EVTROPIO, CICERONE §. IV.

progrediendum ad NEPOTEM, CAESAREM et alia CICERONIS §. V.

qui ampliora cupiunt adiiciunt LIV. SALL. PLIN. TAC. SVET. PATERC. IVSTINVM. §. VI.

theologiae cultoribus quid legendum ex antiquis et recent. §. VII.

quid iuris cultoribus ex utrisque ſit commendandum §. VIII.

ſcriptores utriusque aetatis, qui ſalutaris artis ſtudioſis legendi §. IX.

quinam philoſ. naturalis amatoribus legendi §. X.

quinam in arte diſſerendi aut morum doctrina commendandi §. XI.

non plane arcenda iuuentus a poetis, quo hi ordine tractandi §. XII.

ſequitur modus legendi, quid in lectione pucrili notandum §. XIII.

quid in adcuratiori lectione obſeruandum? cura ſit uerborum et ſenſus §. XIV.

obſeruandus ornatus quum grammaticus tum rhetoricus §. XV.
obſeruanda periodorum et numeri ratio §. XVI.
obſeruanda prouerbia, mythologica, antiquitates §. XVII.

§. I.

Qvvm ex antecedenti capite nobis auctorum, quos decet euoluere, nomina, ſcripta, atque editiones ſatis, credo, innotuerint: noſtrum iam erit diſpicere, quis *ordo*, aut *modus*, in legendo ſit obſeruandus.

§. II.

Dici autem uix poteſt, quantus ſit in hoc negotio eruditorum inter ſe diſſenſus! quum fere ſingulis, qui de hiſce ſacris ſolliciti fuerunt, ſingulares placuerint ſententiae. plerisque ſeſe probauit TANEQVIDI FABRI (1) opinio: aliis ratio GASPERIS SCIOPPII (2): aliis alia (3), quibus noſtra, quae naturam ducem ſequitur, iam adiicitur, et iuniorum ſtudiis non ſine ratione commendatur.

(1)

(1) ſcripſit doctisſimus hicce uir *la methode pour commencer les humanites grecques et latines à* SAVMVR MDCLXXII. cuius compendium nobiscum communicauit MORHOFIVS *polyh. tom.* I. *lib* II. *c.* IX. *n.* 44. *ſeqq.* quem cum plurimis aliis ſequitur excellentisſimus HEINECCIVS in *fundamentis ſtili part.* III. *cap.* I. §. 3. *ſeqq. p.* 223. *ſeqq.* paucis tantum inmutatis, quippe qui primo ordine commendat PHAEDRVM, POMPONIVM MELAM, EVTROPIVM et NEPOTEM; ſecundo uult ordine perluſtrari TERENTIVM, CICERONIS epiſtolas, et aliquot libros philoſophicos, nec non IVL. CAESAREM, et MINVTIVM FELICEM. in tertio curſu commendat SALLVSTIVM, CICERONIS orationes ſelectiores, LIVIVM, SVETONIVM, PLINII panegyricum, TACITVM, CVRTIVM, PLAVTVM, SENECAE aliquot libros philoſophicos, et denique LACTANTIVM. quarto curſu ſequi iubet CATONEM, VARRONEM, COLVMELLAM, VITRVVIVM, VELLEIVM PATERCVLVM, VALERIVM MAXIMVM, PLINIVM, FLORVM, IVSTINVM, *ſcriptores hiſtoriae auguſtae*, et AMMIANVM MARCELLINVM, *utrumque* SENECAM, QVINCTILIANVM, et auctores panegyricorum ueterum, quibus adiungit CORNELIVM CELSVM, PETRONIVM ARBITRVM, FRONTINVM, A. GELLIVM, APVLEIVM, CENSORINVM, IVL. OBSEQVENTEM, VEGETI-

VM, MACROBIVM, et MARCIANVM CAPELLAM.

(2) ſaepius ſuam de legendis auctoribus ſententiam propoſuit SCIOPPIVS, cum primis in *conſultationibus de ſcholarum et ſtudiorum ratione, deque prudentiae et eloquentiae comparandae modis*, quae in aliis lucem uiderunt AMSTELODAMI MDCLXV. ubi *p.* 3. in *paedia eloquentiae* quatuor annos deſtinat, et poſt paradigmata et ſententias in *mercurio bilingui* occurrentes, rudimenta grammaticae philoſophicae commendat. ſequi deinde uult praelectionem *epiſtolarum* CICERONIS *faciliorum*, NEPOTIS, TERENTII, PHAEDRI, OVIDII *triſtium* et *de ponto*. tum ſuadet libros aliquot *uirgilianae aeneidos*, aut *epiſtolas* HORATII, porro reſoluendas eſſe CICERONIS *epiſtolas*, *liuianas conciones*, *odas horatianas*, *elegias* PROPERTII, TIBVLLI et OVIDII, monet idem fere uoluit *conſultat.* II. *de prudentiae et eloquentiae parandae modis*, ubi in certas claſſes auctores diſtribuit. denique in *conſultatione* III. *p.* 65. idem prorſus habet, quod in prima propoſuit, non nullis contractius, aliis uberius expoſitis.

(3) quaenam ſit SALMASII, BARGAEI, WALCHII, LANGII, WEISII de legendis auctoribus ſententia, copioſe iam commemorauit doctiſſimus HALLBAVERVS *inſtitut. ſtili*

p.

p. 417. ſeqq. MASENIVS a poetis incipiendum, poſt hos hiſtoricos et philoſophos legendos ſuadet. p. 64. *palaeſtrae ſtili*. SCHEFFERVS auctores in tres claſſes diſpeſcit: infirmisſimae aetati eos commendat, qui ad proprietatem et latinitatem adſequendam faciunt. quo refert TERENTIVM, PHAEDRVM, CICERONIS ad familiares epiſtolas, CAESAREM, triſtia OVIDII, et de ponto, PLAVTVM, et VARRONEM, de *re ruſtica*. qui progresſi ſunt ulterius, illis iniungit politiores, NEPOTEM, CICERONIS CATONEM, et LAELIVM, *de finibus*, *officia*, *de diuinatione*, OVIDII *metamorphoſin*, CVRTIVM, SVETONIVM, VALERIVM MAXIMVM, PLINII *hiſtoriam naturalem*. poſtremo generi grauitatem et aptitudinem in ſermone ſpectandam eſſe arbitratur: proinde commendat LIVIVM, FLORVM, VELLEIVM PATERCVLVM, HORATII ſermones, SENECAM, IVVENALEM. LVCANVM, SALLVSTIVM, TACITVM, *panegyricum* PLINII et reliquorum, STATIVM, VIRGILII *aeneid*. et poſtremo CICERONIS *orationes*. REINHARDVS ita procedit, ut primo legenda cenſeat *colloquia* LANGII et FREYERI *terentiana colloquia*, EVTROPIVM, *nouum teſtamentum* CASTALIONIS, et PHAEDRVM; deinde loco ſecundo NEPOTEM, CAESAREM, et CICERONEM, ſpeciatim *epiſtolas* ad *diuerſos*, libros *de ſenectute*, et de *amicitia*, itemque de *officiis* et ex recentioribus PALEA-

RIVM et MANVTIVM commendat. ultimo denique ordine ablegat ad LIVIVM, CICERONIS *orationes ſelectas*, PLINII *epiſtolas*; TACITVM, SVETONIVM, SALLVSTIVM, IVSTINVM, et PATERCVLVM: quibus ex poetis accedere iubet VIRGILIVM, HORATIVM, OVIDIVM, LVCANVM. FVNCCIVS de *lectione auctor.* ita procedit, ut initium faciat a CORNELIO NEPOTE, et TERENTIO, aut CICERONIS epiſtolis facilioribus. ſequi iubet integrum CICERONEM eumque merito commendat. poſt CAESAREM, LIVIVM, IVSTINVM, SALLVSTIVM CVRTIVM. iam ad poetas accedit et primo OVIDIVM, tum VIRGILIVM, HORATIVM, PLAVTVM, PHAEDRVM adcuratius uult cognoſci. poſt VARRONEM, FESTVM, A. GELLIVM, MACROBIVM, SERVIVM, DONATVM et reliquos grammaticos. plurium labores coniunctim edidit RHENIVS hac inſcriptione: *methodus inſtitutionis noua quadruplex* 1) *M. IOA. RHENII.* 2) NICODEMI FRISCHLINI. 3) RATICHII *et ratichianorum tergemina.* 4) *ieſuitarum*, *uulgo ianua linguarum dicta* LIPSIAE MDCXVII. 8. repetita eſt MDCXXVI. 8. de qua ultima editione monuit is, qui meam poſſedit, ſequentia; *in editione MDCXXVI. lipſiana nibil offendi acceſſiſſe: licet titulus ita promittat: quibus iam acceſſerunt et alia eiusdem generis ſcripta longe utiliſſima.* ANTONIVS SCHORVS de *ratione diſcendae docendaeque linguae latinae et graecae*, quod

quod opuſculum et ARGENTORATI MDCXXIII. 8. prodiit, aut ſolum CICERONEM auctorem, aut eius temporis quosdam legendos putat. et MICHAEL HAVEMANNVS *in methodo diu multumque hactenus deſiderata*, HAMBVRGI MDCLXXIII. 8. edita *ſect.* II. *cap.* III. de lingua latina p. 268. poſt COMENII *ianuam*, *colloquia* HELVICI, *epiſtolas* POLITIANI, uel NEPOTEM, porro *orationes* CICERONIS, PLAVTVM, TERENTIVM, PLINIVM, SALLVSTIVM, TACITVM, et SENECAM maxime perdiſcendos inculcat. qui forte intelligentium plauſum omnium minime tulerit, quo magis quadrata miſcere rotundis uidetur.

§. III.

QVVM, in omni re a facilioribus ad difficiliora progrediendum eſſe, uel naturae dictitet ratio: idem etiam principium in auctorum lectione ſequendum eſſe, haud male arbitramur. praemittendi ergo ſunt (1) poetis proſaici; oratoribus (2) philoſophi; hiſce hiſtorici (3). quam regulam et ego, in ordine a me praeſcribendo, ſectabor.

(1) poetas enim pleroſque, ſi PHAEDRVM forte, ac TERENTIVM non numquam, excipias, difficiliores longe eſſe proſai-

ſaicis ſcriptoribus, iis perſpicuum eſt, qui utrosque aut ipſi legerunt, aut iuuentuti expoſuerunt. uoces illorum magis et crebrius ſunt translatae; phraſes difficiliores, compoſitio alia, ordo uerborum longe impeditior, et figurae audaciores. quae omnia iuuentutem detinent potius, quam docent. neque facile cum fructu poetas legerit, niſi qui facultatem iam aliquam in explicandis auctoribus proſaicis ſibi adquiſiuerit; aut ſollertisſimum fidisſimumque habeat ducem.

(2) oratores quo propius, ob ſublime, quod ſectantur, dicendi genus, ad poetarum ſtilum accedunt: eo difficiliores etiam intellectu ſunt. hinc, quando philoſophi rem ipſam tractant, proprietatem uerborum ſequuti: facilius etiam intelligi, et eorum argumenta capi posſunt. recte ergo orationibus CICERONIS praemittuntur eius ſcripta philoſophica, praecipue, quae de *amicitia*, de *ſenectute*, de *officiis* reliquit.

(3) philoſophis hiſtorici recte iubentur praecedere uel ideo, quod rerum, quas tractant hiſtorici, cognitio facilior eſt argumentis philoſophicis. quum deinde res ſtilo etiam exſequendae ſunt, ſibi conueniente: acutior paullulum in rebus philoſophiae propriis, et argutior eſt, quam quem rerum geſtarum, quae tenui genere explicantur, natura poſtulat.

§.

§. IV.

CERAE ſimilis eſt puerilis aetas, cui, quamcumque formam uolueris, nullo impresſeris negotio. quod ſi ergo ab ipſis diſcendae linguae initiis inquinati et ſordibus pleni in manus dantur libelli: non poteſt non ſordidus illorum euadere in poſterum ſermo. quo enim ſemel teſta recens odore imbuta eſt, eumdem diu ſeruat. nolim ergo initium fieri uel ab HELVICI, uel CORDERII, conloquiis (1). PHAEDRVS (2), et EVTROPIVS (3) et breuisſimae CICERONIS (4) epiſtolae, quum ab eloquentiae magiſtris, et proprietatis amantisſimis proueniant, pueris cum fructu praelegentur, ut nihil, niſi quod purum, quod proprium, quod concinnum eſt, audiant, nec barbarismis ſtatim a limine ſtudiorum imbuantur.

(1) quum optimum quodque, ſimul tamen facillimum pueritiae commendandum ſit: exſulare prorſus iubentur haec, quae diximus, col-

conloquia ſtilus eorum eſt fluctuans et inaequabilis, interdum aut uocabulis aut inquinatis ſignificatibus ſcatet, et pro diuerſitate auctorum diuerſa etiam ſcribendi eſt ratio. quae quum a pueris diſcerni nequeant, retinent iſtas phraſes, barbaras ſaepe, et male ſibi ſtiloque conſulunt. quod idem etiam de ERASMI ROTEROD. conloquiis dicere ipſa nos litterarum cogit reuerentia.

(2) PHAEDRVS hic, quum terſae latinitatis auctor ſit, et proprietatis amantisſimus, optime praelegitur a perito magiſtro iuuentuti. nihil remorae ponit, quod poeta ſit: ſtilo enim uſus eſt ad proſam proxime accedente, numero etiam, quem uix a ſoluto ſermone diſcernas. nihil fere eſt, quod iuuentutem adeo posſit remorari, ſi paucas, quae obſcenae ſunt, fabulas omittas. argumentum etiam puerorum ingeniis perquam commodum: quippe quod lepidis eius modi narratiunculis ſuauiter demulcetur, et ſimul morum emendationem, uitaeque culturam facillime recipit. optimas editiones dedi *capit. praeced.* §. *IV. not.* 4. *p.* 371. 372. quibus iam addenda eſt editio BVRMANNI, quae BEROLINI prodiit cIↄ Iↄccxlii. 12.

(3) EVTROPIVS, cuius ſupra iam mentionem fecimus, ultra aetatem ſuam ſcriptor terſisſimus eſt, et hiſtoriae romanae diligentisſimus enarrator. cognouerunt iam praeſtantiam eius uiri, harum litterarum doctisſimi, FA-

FABRICIVS *bibl. lat. tom. III. p.* 105. qui *utiliſſimum adoleſcentibus ſcriptorem* dicit. WALCHIVS *hiſtor. crit. lat. ling. p.* 572. HEINECCIVS in *fundam. ſtili part.* II. *cap.* I. *p.* 226. et REINHARDVS, qui puritatem huius ſcriptoris in ea, quam publicauit, editione ſatis uindicauit. recte hunc adiungimus PHAEDRO, quod facilitas, cum proprietate et caſtu coniuncta, multum praeparat iuuenum animos ad haec ſacra rite pertractanda. quid? quod ſine hiſtoriae romanae cognitione nemo in auctoribus rite uerſari poteſt. pauca iſta, quae uitio aetatis errauit, notata iam ſunt aliis.

(4) hic quamquam fons ſit omnis eloquentiae eiusque dicendi genus facile primum: negari tamen nequit, multa eſſe in eo, quae difficiliora ſunt, quam ut a iuuenibus capi poſſint. neque in conlectione, quam MELCHIOR IVNIVS iuuentutis gratia edidit, tute conquieſcas, quum et illae multas contineant de republica litteras, iuuentutis intelligentiam ſuperantes. commendandum ergo eſt illud opuſculum, quod IOA. STVRMIVS iuuentutis in uſum publicauit. in quibus exponendis grammatices, tum etymologiae, tum ſyntaxeos, ratio habenda eſt, ut regularum uſum ex ipſis ſtatim auctoribus addiſcant pueri, ſimulque doctrinae cultioris aliquem fructum inde referant. rationem iſtam optime docuit SCHORVS in *ratione diſcendae docendaeque linguae latinae.*

§. V.

HISCE auctoribus legendis et relegendis exercenda eſt iuuentus, quibus probe ſubacta tum demum ad principes latini ſermonis accedat, CORNELIVM NEPOTEM (1), IVLIVM CAESAREM (2), et M. TVLLIVM CICERONEM (3), qui ſane, ſi iuſto ſtudio pertractentur, plenam reddere iuuentutis orationem, omnique ornatu conſpicuam efficere posſunt.

(1) quanta ſit NEPOTIS noſtri perſpicuitas, quantum flumen, quanta pulcritudo naturalis: iis intellectu facile eſt, qui ſuauitate romani ſermonis imbuti rectum de ſtilo ferre iudicium didicerunt. plana ſunt omnia, ſed elegantia; perſpicua, ſed ornata; ſubmisſa; ſed acuta interdum et ingenium prodentia. recte proinde faciunt, qui hunc perpetuo commendant iuuentuti ſcriptorem, et imitatione prudenti formam eius ſibi reddunt quam familiarisſimam. editiones, quae iuuentuti proſunt, indicaui ſupra *cap. praec.* §. III. *n.* 6. *p.* 364. quibus adde quam curauit ficto nomine EMANVEL SINCERVS, quippe qua non iuuenes tantum, quae ad faciliorem intellectum facient inueniunt; ſed doctoribus etiam proficua multa monentur.

(2)

(2) ſuccedit merito CAESAR. qui enim ex PHAEDRO, EVTROPIO, NEPOTE, uocabulorum et dicendi formularum copiam haud ſpernendam ſibi adquiſiuerunt, tenuisque formae rationem uel inſcii comprehenderunt, periodorumque aliquem guſtum ceperunt: felicius nunc progredientur in CAESARE, cuius dictio pura, adfluens, pulcra eſt, interdum adſurgit, et in ipſa nobili ſimplicitate ſublime quid ac praecellens oſtendit. quod praeclariſſimo de *naturali pulcritudine ſermonis* commentario probauit celeberrimus IO. GVIL. BERGERVS, ipſe iam CICERO in BRVTO p. 560. magnifice de CAESARE ſentiebat. adponam uerba: *atque etiam commentarios quosdam ſcripſit rerum ſuarum, ualde quidem inquam probandos. nudi enim ſunt recti et uenuſti; omni ornatu orationis tamquam ueſte detracta: ſed dum uoluit, alios habere parata, unde ſumerent, qui uellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, quum uolunt illa calamiſtris inurere: ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit. nihil enim eſt in hiſtoria pura et inluſtri breuitate dulcius.*

(3) denique CICERONEM quis non commendaret, quem ipſi romani, QVINCTILIANI tempore, pueris ſuis praelegebant. neque nos mouet IO. ERNESTVS PHILIPPI, infelix nuper eloquentiae profeſſor in academia halenſi, infenſiſſimus antiquae hoſtis eloquentiae, et ſaporis publici ineptus uituperator, qui infelici conſilio CICERONIS diuinam eloquenti-

 am,

am, interpretatione ſua orationis pro QVINCTIO, deſtructum iuit, ediditque MDCCXXXIV, 8. hac inſcriptione : CICERO *ein windbeutel, charlatan und rabuliſt cet.* quam enim ſe turpiter dederit ea re, uel pueris notum eſt. noſter autem CICERO, in cuius leuiſsimis epiſtolis plus ingenii, plus ſalis, plus eloquentiae eſt, quam in integris PHILIPPI huius ſcriptis, copioſe ſuam eruditionem prodidit. hinc non promiſcue, quo exſtant in editis, ordine legenda ſunt ſcripta ; ſed praemittenda faciliora, ut adeo primum legantur eius *epiſtolae*, quas conlegit STVRMIVS et IVNIVS ; deinde ſubiiciantur reliquae. porro quae de *ſenectute*, de *amicitia*, de *officiis* confecit, ſcripta ; denique *ſelectae* eius *orationes* ſubſequantur : et agmen claudant ſcripta reliqua.

§. VI.

SVFFICERE, ut arbitror, hi poſſunt diſcendae linguae latinae, atque noſtro ſtilo ad omnem cultum perducendo, auctores. ſi quis tamen partim ad uerborum phraſiumque copiam adquirendam priuata uelit quosdam induſtria ueloci ſtudio percurrere : illi cum primis commendandi ſunt LIVIVS (1), SALLVSTIVS (2), PLINII epiſtolae (3), TACITVS (4), SVETONIVS (5), VELLEIVS PATERCVLVS (6), IVSTINVS (7), quorum ut in hiſtoriis

enar-

enarrandis magna laus eſt: ita ſtilus non tam ad imitandum, quam ubertatem linguae adquirendam, eſt comparatus.

(1) elegans et grauis eſt eius dictio et phraſis ingenioſa: habet tamen quaedam rarioris uſus, quam ob cauſſam ad imitationem trahendus non uidetur. ceterum quum in hiſtoria romana laudandus ſit: duplicem ob hanc rationem, qui legatur dignus eſt. editiones notatae iam ſunt ſupra.

(2) atticismum, quem et CICERO tantopere commendat, qui ipſo exemplo oſtenſum cupit, hunc ad SALLVSTIVM ablegandum eſſe, nemo dubitat. ſicca enim neruoſaque utitur forma, ut, quod demas eius dictioni, nihil occurrat: qua in re THVCIDIDEM optime expresſiſſe dicendus eſt. propterea uero, quod occurrunt in eius ſtilo multa, quae uel obſoletorum uel archaismorum nomine uitioſa ſunt, uix ad imitationem commendandus eſt. editiones uide ſupra. particulam tamen rerum romanarum neruoſe explicuit.

(3) arguta eſt PLINII et florida translationibus dictio; ſed multum iam a naturali iſta pulcritudine recedit, quam admiramur in CICERONE, CAESARE, et NEPOTE: hinc non, niſi ob ſententias acutas, et augendae phraſeos cauſſa, priuatim commendandus eſt iuuentuti. prudentiam etiam politicam multum poſſunt amplificare, ſi cum cura legantur,

gantur, hae epiſtolae. optimas editiones iam adnotauimus.

(4) TACITVS obſcuritate laborat ob adfectatam ellipſium concinnitatem: ceterum acumen et grauitatem ſtili auctori non inuidemus. imitationi tradendus non eſt; ſed iuuat, cognoſcendis romanorum geſtis qui ſe conſecrarunt, prudentiamque ciuilem maxime amplificat. de editionibus uide ſupra.

(5) quem in SVETONIO uidemus ſtilum, tenuis eſt, et inornatus, qui ſemper fere humi repit, nec umquam paullo adſurgit altius: purus tamen fluit, et ſi non ad efformandam aliquam orationis formam, ad hiſtoriam ſaltim caeſarum uberius cognoſcendam, adhiberi poterit. quibus editionibus inhaerendum ſit, ſupra oſtendimus.

(6) eius de *hiſtoria romana libri duo* multis perquam commendantur: mihi uero ſecus uidetur. taceo eius adulandi morem plane ſeruilem, quo uel uiginti hominibus id laudis tribuit, quod alterutrum tollit neceſſario. omnes enim eius conſules fere heroes in *tantum laudandi* ſunt, *in quantum uirtus, aut prudentia intelligi poteſt.* omnes fere ex hominum memoria prudentiſſimi, ſollertiſſimi, fortiſſimi feruntur. non nego in moribus hominum deſcribendis multum operae adhibitum ab eo fuiſſe: ſed uerendum, ne eius characteres ficti magis, quam ex uero fuerint. dicendi ratio quamuis elegans, nimis tamen amplis comprehenſionibus diſtrahitur. occurrunt multae

pa-

parentheſes, quae animum adeo tenent ſuſpenſum, ut uix ter legendo recte intelligamus eius mentem. uide, quae ſupra *cap. praeced. p.* 372. de editionibus monui.

(7) eius ſtilus ſupra aetatem bonus eſt, ut TROGI uerba fere ubique uideatur retinuiſſe. ſi quaedam, ex aeui ſui quisquiliis remoueas: in ceteris perquam commendandus eſt, ſed priuatae induſtriae.

§. VII.

CETERVM quum ad eam aetatem peruenerit adoleſcens, qua ſublimioribus, quae dicuntur, ſeſe conſecrat ſcientiis: pro finis, quem proponit ſibi, diuerſitate, diuerſa etiam ueterum auctorum ſcripta ſibi habeat commendatisſima. itaque theologiae ſtudioſis commendamus LACTANTIVM (1), MINVTIVM FELICEM (2), SVLPICIVM SEVERVM (3), ex quibus de re ſacra eleganter et ſuauiter diſcent diſſerere: quibus ex recentioribus ſubiungant MELANCHTHONEM, WERNSDORFIVM, BVDDEVM, CYPRIANVM, MOSHEMIVM, WALCHIVM, MVHLIVM, HEVMANNVM.

(1) tanta eſt apud omnes ob ſtili elegantiam exiſtimatione LACTANTIVS, ut chriſtianorum TVLLIVS haud immerito dicatur. ma-

gna eius eſt in dicendo ubertas, etſi naeui quidam ob aetatem, qua floruit, fuerint ei condonandi. cum primis merentur eius *inſtitutiones diuinae* a theologiae cultoribus ſedulo legi, quum non inepte aduerſus gentes diſputet. confer ceterum, praeter auctores ſupra laudatos, clariſſ. IOACH. IVSTVM RAV de *philoſophia* LACTANTII, IENAE MDCCXXXIII. 4. quam diſſertationem quum recenſuiſſet uenerandus auctor *bibliotb. theolog. ſelect. part. LXVII. art. V.* et quaedam ibi monuiſſet, repoſuit uir clariſſimus nonnulla in diſſertatione eodem anno habita, de *potibus ſacrae paginae*, ubi exeunte fere iſta defenſione, ex typographi errore, *audibo* pro *audiam* poſitum eſt.

(2) duplici praedicandus nomine eſt, MINVTIVS FELIX, partim, quod religionis noſtrae myſteria pulcerrimo elegantique prorſus ſtilo deſcribit, partim, quod multa ex mythologia profert, eaque confutat, quibus, in aliorum lectione auctorum, haud exiguo emolumento utemur. quin immo recte cauſſam eius contra criticos alios egit CELLARIVS, in ſua, quam iuuentutis in gratiam euulgauit, editione. plura uide ſupra.

(3) non minoris momenti eſt SVLPICIVS SEVERVS, cuius *hiſtoria ſacra ab O. C. ad ſua usque tempora* ſtilo tenui quidem, ſed ſatis puro atque eleganti, perſpicuo certe et plano, enarrata eſt. neque habemus ex ueteribus, qui terſius et concinnius ſacram rerum geſtarum faciem ob oculos quaſi poſuerit.

rit. non fruſtra ergo erunt hiſtoriae ſacrae cultores, qui et huius opuſculum aliis iungent. meminimus editionum iam ſupra, quae heic repetantur.

§. VIII.

QVI iuris excolendi ſtudio ſe conſecrarunt, non ſine fructu comparant et repetita lectione hauriunt CICERONIS *actiones* in VERREM (1), in quibus multa iuris antiqui momenta occurrunt: quibus et *digeſta* (2), quae uocantur, non ſine uſu adiungent. ex recentioribus, qui ſtili cauſſa iuris cultori legendi ſunt, commendamus CVNAEOS, BERGEROS, GVNDLINGIOS, HEINECCIOS, GEBAVEROS.

(1) multa ſane in his orationibus, quas in VERREM habuit CICERO, occurrere, quae nemo rectius, niſi qui iuris antiqui cognitionem habuerit, exponat, iis clarum eſt, qui uel unam eorum ſtudioſius paullo perlegerint. non ſane ſufficit, uerborum noſſe ſenſum, et quid phraſes posſint ſignificare; niſi rerum ipſarum, quae his uerbis indicantur, niſi iurium populi romani, ad quae prouocat CICERO, plenam habeas cognitionem. quae ASCONIVS PEDIANVS in *libros III.* priores conſcripſit, mihi ſane nondum ſatis faciunt, egregia quamuis in quibusdam ſint, et ſatis

perſpicua. optarem in eas legere, aut GEBAVERI alicuius, aut, ſi uiuerent, GVNDLINGII aut HEINECCII commentarium, a quibus ſane perfecti quid hac in re poſſit exſpectari.

(2) in his enim, quum fragmenta ueterum iuris conſultorum contineantur: multa occurrere, quae latinam linguam et copiam noſtram reddere poſſint ampliorem, perſpicuum cuiuis eſt. multo terſior eſt latinitas, quam quae in *inſtitutionibus* obſeruatur, et ſaepe ad CICERONIS aut CAESARIS elegantiam adſcendit. quo nomine multum utilitatis adferet hiſce cultoribus.

§. IX.

MEDICORVM induſtriam exercere poterit CORNELIVS CELSVS (*) quem ob ſtili puritatem atque elegantiam dudum commendatum ſibi habuerunt artis ſalutaris filii. cui iunxerunt ex hodiernis utrumque WEDELIVM, HOFFMANNOS, GODOFREDVM THOMASIVM, HEISTERVM et SCHVLTZIVM.

(*) tanta iam ſuo tempore ob elegans dicendi genus floruit laude, ut ipſe QVINCTILIANVS *orat. inſtit.* X. 1. de eo haec protulerit: *ſcripſit non parum multa* CORNEL. CELSVS, *ſcepticos ſequutus, non ſine cultu ac nitore.* quin immo elegantias latini ſermonis ex CELSO conlegit et ordine litterarum congeſſit

IA-

IACOBVS PONTANVS *tom. IV, progymnaſmat, p.* 409. *ſeqq.* qua propter eo magis medicorum ſectatoribus commendandus eſt, ut et illi diſcant, quas habent res, puro et haud inquinato, ut multi, ſtilo efformare.

§. X.

AD philoſophos quod adtinet, illi quos rerum naturalium cognitio tenet, uel PLINII (1) *hiſtoriam naturalem* conferent, uel *ſcriptores rei ruſticae* (2) perluſtrabunt, quibus adiungent VIRGILII (3) *georgica.* in quibus, quaenam ueterum de capitibus quibusdam doctrinae naturalis mens fuerit, obſeruabunt clarisſime. neque uero negligent uiros noſtro aeuo celeberrimos VERDRIESIOS, BVDDEOS, WVCHEREROS, BERGEROS.

(1) quum eruditus hic antiquitatis ſtudioſus non tantum cosmographica et geographica, ſed et naturam animalium, plantas, agrorum hortorumque culturam, medicamenta, quae a plantis ſumuntur, metalla etiam et lapides ſtudioſe recenſeat ex optimis antiquae graeciae auctoribus: non poteſt non prudenti naturae indagatori multum conferre diligens horum librorum lectio. ad quae omnia quum accedat ſtilus terſus et elegans, et admodum uerecundus: eo maiori commendan-

 dus

dus eſt lectoribus ſtudio. editiones adnotatae ſunt ſupra.

(2) res ruſticae quando partem naturalium recte conſtituunt: non male ſcriptores iſti VARRO, COLVMELLA, CATO, alii, ſtudioſe peruoluuntur, quum ob dictionis natiuam ſimplicitatem et candorem, tum ob rerum, non omnino contemnendarum, copiam. editiones omnium de re ruſtica ſcriptorum recenſet FABRICIVS *bibl. lat. tom.* I. *porro tom.* II. *p.* 20. *ſeqq.* elegantiſſimam dedit celeberrimus gottingenſium profeſſor I. M. GESNERVS. iuuentuti commendanda eſt VARRONIS editio, quae HALAE prodiit MDCCXXX. 12. cum notis german. ubi elegans cum primis praefatio laudem meretur.

(3) neque VIRGILII georgica, quae ex HESIODO et XENOPHONTE ſunt expreſa, negligenda uidentur, quod multam rerum phyſicarum peritiam aperte loquuntur. digni proinde eſſent commentario philoſophico, quo, quae poetico filo enarrantur, naturae myſteria ad rationis examen reuocarentur. editiones ex ſupra memoratis addiſces.

§. XI.

QVI denique uel differendi artem, uel morum doctrinam, elegantiori deſcriptam calamo uenantur, illis non ſine cauſſa commendabuntur tum ſcripta CI-

CICERONIANA (1), tum SENECAE philoſophi *opuſcula* (2) ; ex quibus et iuſte loquendi, et multa, quae barbare adhuc expoſita ſunt, pure pronuntiandi, normam uberrime addiſcent. ad quae ſi adiecerint noſtrae et ſuperioris aetatis lumina, PVFFENDORFIVM, SLEVOGTIVM, CLERICVM, BVDDEVM, SYRBIVM, GVNDLINGIVM, HEINECCIVM, REVSCHIVM, ERNESTIVM omne punctum ferent, linguaeque culturae rerum cognitionem optimarum certisſime adiunxerint.

(1) ſpectant huc de *officiis libri* III. *academicarum quaeſtionum libri* II. *de finibus bonorum et malorum lib.* IV. *tuſculanarum quaeſtionum lib.* V. *de natura deorum lib.* III. *de diuinatione lib.* II. *de fato lib.* I. *de legibus lib.* III. *fragmentum ſomnii SCIPIONIS. TIMAEVS ſeu de uniuerſo. CATO maior*, ſeu de *ſenectute. LAELIVS* ſiue *de amicitia. paradoxa ſex ſtoicorum.* quae omnia et diligentem merentur conſiderationem, et noſtram augere orationem poſſunt copioſisſime, ut multa, quae uix creduntur, eleganter posſis exprimere.

(2) neque SENECAE contemnenda ſunt opuſcula. quamuis enim me non fugiat, quae eruditorum de eius tum morum doctrina, tum dicendi genere tumido ſint opiniones: non omnia tamen in ſtoicis contemnenda ſunt,

quae

quae non nullis uidentur : quin potius, ſi ea, ut ſcripta humana, alias intelligenter legas : uera facile diſcernas a falſis, a genuinis ſpuria, neque infucato uerborum ornatu teneberis, ſi, quid natura ferat, quid recuſet, prudens apud animum tuum cogitaueris.

§. XII.

AT VERO ut iuſte proſaicos ſcriptores praemittimus poetis : ita non plane iuuentutis e manibus euellendae ſunt illorum elucubrationes. praeterquam enim, quod proprietatis ſaepe cuſtodes acerrimi ſunt hi uates, multum etiam augere poſſunt uocibus ſuis linguam latinam, et grauitate ſua exornare ſermonem magnificum et copioſum. praemittendae ergo ſunt OVIDII *triſtium* (1) et *de ponto* elegiae, quas excipiant VIRGILII *bucolica* (2), HORATII *epiſtolae* (3), ac *odae*, TERENTII (4), denique, ac PLAVTI (5) *fabulae*. reliquos iis relinquimus, qui toti ſe huic ſtudiorum generi conſecrare cupiunt.

(1) OVIDIVS quum in omnibus ſuis carminibus, tum praecipue in iis elegiis, quas in exilio ſuo ſcripſit, dicendi genere utitur plano, aperto, facili, eleganti, et propius interdum ad proſam accedente, quamquam iis non careat uirtutibus, quae poetam ornant. commen-

mendamus iuuentuti haec cum primis carmina, quod ſine morum iactura et honeſtatis laeſione legi queant; et faciliora etiam ſint, quam illa, quae de mutatis figuris exarauit. *heroidas* et *amorum* libros iuuentuti nocere magis, quam prodeſſe, uident omnes. confer ceterum, quae ſupra monuimus, de editionibus, quibus adiice iſtam, quae HALAE prodiit, cum obſeruationibus germanicis, MDCCXVIII. 12. et ſaepius.

(2) haec enim ex omnibus, quae reliquit nobis VIRGILIVS, carmina facillimo exarata ſtilo ſunt, et caſta quidem et ſuauia omnia, ſed perſpicua tamen. haec, quod ad uerba, illorumque ſtructuram et ſenſum primum adtinet, intelligenda ſunt; ceterum, quum allegorice pleraque ſcripta ſint, ingenioſiorem eſſe oportet, qui ſenſum ſecundum capiat, quod uiris relinquendum eſt, longo harum rerum uſu exercitis. multum tamen conferet uel iuuentuti utilitatis, ſi adhibeat diligenter, quas NICODEMVS FRISCHLINVS in has eclogas conſcripſit, *paraphraſes.* in iis enim ingenioſiſſime utrumque ſenſum ſoluta ornataque dictione expoſuit. prodierunt hae FRISCHLINI *paraphraſes* FRANCOFVRTI MDCVII. 8. reliquas editiones VIRGILII uidimus ſupra.

(3) eius *ſatyrae* et *epiſtolae* tenui dictione ſunt ſcriptae. hinc facilius capiuntur ab adoleſcentibus. *odae* inſurgunt altius, et ob ordinem uocum, metri cauſſa ſaepe perturbatum,

tum, difficiliores ſunt. ceterum, ſi obſcena quaedam excipias, auctor eſt terſisſimus, et elegantisſimus, ſententiis utitur crebris iisque non uulgaribus, et uerbis eas ſuauisſimis exprimit. in *epiſtolarum libros* II. elegantisſimam *paraphraſin* edidit NICODEMVS FRISCHLINVS FRANCOFVRTI MDCII. 8. de editionibus ſupra dictum.

(4) quamquam dulcisſimus hic fabularum ſcriptor, quem omnes eruditi merito, cum ipſo CICERONE, magni faciunt, elegantisſimo utatur dicendi genere, et propter rationes comoediarum, tenui ſit forma: minus recte tamen pueris, ſtatim ab exordio ſtudiorum, commendari, norunt ii, qui tractare hunc auctorem, et iuuentuti praelegere ſolent. praeterquam enim, quod archaismi adſunt ſaepiuscule, quibus impeditur certe iuuenum, grammatices regulis nondum ſatis imbutorum, animus: ſtilus ſaepe inciditur, omisſionibus uocum necesſariarum impeditur, et conſtruendi modis disiicitur amplius, quam ut a pueris, uel decies explicatus, intelligi ſatis posſit. at uero ubi aliorum lectione auctorum animus eſt excultus, ingeniumque ſubactum, tum demum ſummam ex his fabulis utilitatem capient omnes.

(5) quae mea de PLAVTI ſermone mens ſit, ſupra monui. iam nihil addo, niſi ut denuo adcurati ſermonis cultoribus, poſt adquiſitum ex proſaicis ſcriptoribus cultum, eum

ad ubertatem linguae augendam maxime commendem.

§. XIII.

HAEC de ordine legendi, nunc de modo agamus. aliter uero legendi ſunt auctores cum pueris, aliter cum iuuenibus. ſi cum prioribus ſuſcipitur negotium: neceſſe eſt, ut praeceptor aliquoties claris uerbis praeeat expoſitionem, ſequantur eadem ratione pueri (1). deinde exercitium etymologicum et ſyntacticum (2) addatur, ut, per crebram repetitionem, grammatices regulae et intelligantur et adplicentur. tum denique (3) phraſes ſedulo inculcentur et repetantur.

(1) multum ſane confert ad puerorum uſum, ſi praeceptor clara uoce et adcurato ſingulas periodos ordine praeeat atque exponat. diſcunt enim ita genuinam coniungendarum uocum et ſtructurae iuſtam rationem, ſine qua fieri non poteſt, ut uel umquam ad ſenſum auctoris capiendum adſpirent. qui enim uerſui cuidam lecto, ſtatim ſubiungunt interpretationem ante, quam uel ad finem ſit periodus perducta, uel ordo uerborum cognitus: quiduis pro quouis adripiunt, et confuſam rerum ideam ſibi fingunt. is etiam, qui huius ordinis naturalis negligens eſt, numquam

pu-

pueris regularum grammaticarum explicabit uſum, et uel decem elabentur anni, quam linguam hanc recte ceperint iuuenes.

(2) utilem prorſus eſſe utramque hanc exercitationem, norunt ii, qui homines inſtituendos acceperunt, quorum animus nullis grammatices praeceptis ſubactus fuit, et ſolo uſu ad aliquam, certe tenuem, linguae cognitionem peruenerunt. ceſpitant, haeſitant, dubii ſunt, in ſingulis fere comprehenſionibus uerborum: neque, quo ſe uertant, aut, ubi tuto pedem figant, norunt. danda ergo eſt opera ſedulo, ut probe ſubigatur puerorum animus et *declinandis* et *coniugandis uocibus:* quo caſibus formandis et perſonis, temporibusque reddendis, mature adſueſiant. progrediendum deinde ad ſyntaxeos uſum, ubi praeceptor ipſe ad naturae ordinem reſpiciat, uoces iuſto modo iungat, regulisque, ex grammatica praelectis, ſtatim confirmet, eo, quo ſe excipiunt, ordine, non in auctore ipſo, ſed in conſtruendi modo. quibus ſi ad tempus exerciti fuerint: tentandum eſt ipſis pueris, quid ualeant humeri, quidue recuſent ferre, atque utrum ipſimet ad naturam conſtructionis regulas grammatices ſciant adplicare, explorandum uidetur.

(3) et in hac re magnopere deſudandum eſt primae iuuentuti, ut et uocabulis, et phraſibus ex ipſis auctoribus ediſcendis ſedulo exerceri ſe patiatur. ita enim eo redditur certior, de genuina tum uerborum ſimplicium, tum con-

coniunctorum ſignificatione, quae in tritis iſtis nomenclatoribus, uel dubiis ſaepe interpretamentis, uel nulla munita occurrunt auctoritate. quo modo ſi pergat praeceptor ſedulo, neque ullis maceret incertis uocabulis, aut ante tempus ád componenda exercitia adſuefaciat iuuentutem: non poteſt alia, quam pura uerba et genuina, ſibi inprimere, nec umquam inquinare ſermonem latinum barbaris uocibus.

§. XIV.

QVAM PRIMVM uero animus primae pueritiae uno itemque altero auctore hunc in modum recte imbutus eſt, ut grammaticae fundamenta rite ſint poſita: tum ad alterum legendi modum, qui adcuratior eſt, progredi decet. in quo primo quidem (1) ſenſus, deinde uerborum, (2) cura habenda eſt.

(1) ad ſenſum auctoris plene percipiendum omnino requiritur, ut ſingulae periodi adtente perlegantur, tum conſtruendi modus ſedulo ſubiiciatur, atque ita demum uerbis linguae uernaculae claris et perſpicuis reddantur. reſpiciendum ſimul eſt ad uerborum tum proprias tum translatas ſignificationes, atque ex toto ſermonis nexu, quaenam ſignificationes hoc uel illo praeferendae loco ſint, diſpiciendum.

(2) ipſo ſenſu iam percepto uerborum ſingulorum diligens conſideratio neceſſaria eſt, ſingularum uocum quum plures ſaepe ſint *ſi-*

gnificatus, adtendendum, utrum ex iis aliquis *rarior* occurrat, qui cum cura notari mereatur. porro quum in uerbis *ſelectus* maxime probetur apud auctores ueteres: conligenda ſunt unius rei multa *ſynonyma*, et peculiari inſcribenda libro, quo ex iis rite inter ſe conlatis, quod optimum eſt, quod conuenientisſimum, quod rebus exprimendis aptisſimum, posſit ſeligi. eadem ratione etiam *uoces* adnotandae ſunt, quae ſingularum rerum *maxime propriae* habentur, et, ſi quae *uocabula* inueniantur, quae aut *ſollemnia* ſint, aut *ſingularia*: illa non tantum ſingulatim ſunt deſcribenda; ſed cogitandum ſimul, quo in loco posſimus illis imitando rectisſime uti. non minus etiam *epithetis* aliquod ſtudium conſecrandum eſt. uti nimirum hiſce nominum adiunctis ſuauisſima reddi poteſt noſtra oratio: ita ſi minus rite illis utamur, eodem labore frigidisſimam eamdem reddere ſolemus. ſedulo ergo animaduertendum eſt in auctoribus, quo in ſingulis utantur *adiuncto*, ut ita cum iſtis prudenter diſcamus loqui. multum iam adiuuit illud ſtudium M. SEBASTIANVS FIGVLVS uerbi diuini olim apud francofurtanos miniſter, ex cuius induſtria accepimus *epithetorum oratoriorum farraginem ex optimis et probatisſimis linguae latinae auctoribus, in uſum eorum, qui ſtilum ſuum ad exempla antiquisſimorum et politisſimorum oratorum dirigere cupiunt.* FRANCOF. ad MOENVM MDLXXXII. 8. quod opuſculum, rarum hodie et fere incognitum, multis ex propria lectione augmentis

tis locupletari poteſt. cui ſtudio mirifice etiam proſunt *analecta epithetorum CICERONIS et antitheta*, quae occurrunt in editione *elegantiarum VOGELMANNI* MAGDEBVRGENSI, quae MDCXIX. 8. prodiit. horum alterutrum ſi quis habeat ad manus opuſculum : in ipſa lectione, quae deſunt, facile ſupplere, ſicque locupletare ſuam latinae linguae copiam poterit. praeter epitheta ratio etiam habenda eſt *aduerbiorum*. non ſane illi, qui romanorum uti uult lingua, quouis promiſcue aduerbio uti datur: reſpuunt non nulla uerba plane adiunctum aliquod; nonnulla ſingularia ſibi habent, quae noſſe, ſuisque rurſus locis adhibere, ſummum eſt oratoris officium. hunc in finem, quod VBERTVS SVSANNAEVS reliquit, *aduerbiorum connubium* multum faciliorem reddit laborem noſtrum: pauca tamen ſunt, et ſupplementis eget labor egregius. hinc optime ſibi linguaeque romanae conſulunt, qui in ipſa lectione ueterum haec aduerbia ſuis locis uerbisque inſerunt, quae ſuo deinde modo, ſuo tempore, cum laude adhibebunt. neque *negligendae* ſunt *particulae* reliquae, quum *praepoſitiones*, tum *coniunctiones*, in quarum poſitu genuino, et uoculis, quae prioribus reſpondent, omnis abſoluitur latinae linguae celſitudo. laudauimus iam uirorum clariſſimorum hoc in ſtudio labores. uti uero ſuauior eſt labor, quem ipſe ſuſceperis, certiorque uſus, quem ipſe obſeruaueris: iure illud in perlegendis ueteribus ſuſcipiemus, quod illis tantam adtulit laudem ac gloriam.

§. XV.

POST uerborum hanc ſuſceptam curam adtendamus ſedulo partim ad ornatum rethoricum, qui in tropis et figuris (1) conſiſtit, partim ad ornatum grammaticum, qui ſuauitatem ſimul in iungendis molliter (2) uocibus conciliat.

(1) copioſe ſatis ſupra iam oſtendimus, quem ornatum et tropi et figurae adferant orationi, ut, longiorem me heic eſſe, haud opus ſit. hoc tantum monendum eſſe duco: nihil magis conducere, quam ſi nullam praetermittamus periodum, in qua non elegantias iſtas examinemus; quoniam facillima haec uia eſt, qua ad cognoſcendam quum translatorum, tum ſchematum, et naturam, et nomina, perueniri queat. ad quod ſi accedat fidelis magiſtri opera, diſcemus ſimul rationem, cur hoc uel illo tropo, heic non alibi, hac, non alia, ratione auctor fuerit uſus, et quam facile caſu in ſimili idem queamus imitari.

(2) ſic examinandus etiam in ſingulis periodis eſt ornatus grammaticus, atque ſecundum regulas ſupra datas uerborum poſitus perſcrutandus. uidebimus enim ita, qua ratione ob ſolum numerum, modo inter adiectiuum et ſubſtantiuum eleganter aliquid interſeratur; modo caſus obliqui praemittantur rectis; modo uerbum *eſt* ſeparetur a ſuo participio, et quae ſunt reliqua. uidebimus porro, quam ſcite, uel ſimiliter

ſiter cadentia, uel hiatus uocum, uel diductionem ſyllabarum euitauerint auctores, ut ſuauis, ut dulcis, ut canora euaderet oratio.

§. XVI.

PORRO quum ipſae periodorum circumductiones, aut numeroſae comprehenſiones, quod ſupra uidimus, non ornent ſolum, ſed prope diuinum reddant ſermonem: reſpiciendum omnino eſt, quum ad ipſas comprehenſiones (1) uocum, tum ad numerum, qui regnat in auctore (2) aliquo.

(1) id omnino et ſuauisſimum ſtudium eſt, et utilisſimum: ſi praeſente praeceptore, caput, quod exponendum ſuſceperunt iuuenes, examinent ad regulas, quas ſupra de quolibet comprehenſionum genere ſuppeditauimus. ita enim regulas in auctoribus optimis diſcunt adplicare, diſcunt uaria nomina comprehenſionum, diſcunt illarum genera, diſcunt uſum illarum cum oratione tracta permiſcere, ut ſuauiter altera alteram excipiat. cui ſtudio ſi adiungant illud, quod orationem fuſam transmutat in uerſam, aut hanc in illam: tum neſcio quam utilitatem prorſus inſignem inde reportaturi ſint.

(2) conſideremus in numero non tantum, quos pedes obſeruent in exſurgente periodo et finiente ueteres: ſed quam ſedulo co-

cogitent occultare numerum ipſum, et uariare, ne ſemper ſit idem, aut taedium excitent legentibus.

§. XVII.

DENIQVE *prouerbiorum* (1), *ſententiarum* moralium (2), rerumque iſtarum habenda eſt ratio, quae uel ad *antiquitates* (3), uel ad *mythologiam* (4) ſpectant, eaque omnia ita ſunt notanda, ut ſuo rurſus tempore illis uti queamus.

(1) quantum ex prouerbiorum modico et prudenti uſu ſuauitatis accedat orationi, ſupra nobis dictum eſt. quodſi ergo in auctore huius generis quaedem obſerues, ea aut peculiari libello adſcribenda ſunt, aut ad ERASMI chiliades reuocanda.

(2) ſi quae acute dicta leguntur in auctoribus, quibus aut ingenii acuitur ſollertia, aut morum ratio inluſtratur uberius: non feceris male, ſi ſedulo iſta notaueris. quo in ſtudio id negligendum non eſt, ut recte diſcamus, cui ex philoſophis antiquis generi cum primis addictus fuerit auctor, quum una eademque ſententia, diuerſarum ſectarum uiris prolata, diuerſum penitus ſenſum indicet.

(3) dum ſcripſerunt auctores, ad ſua, quibus uixerunt, tempora reſpexerunt ſaepiſſime, atque ad ritus, et geſta, uel ſingularibus ad-

adluſerunt uocibus ; quae nemo capiet rectius, niſi , qui rituum et antiquitatum cognitione probe fuerit imbutus. hanc ob cauſſam commendamus maximopere quum celeberrimi olim ROSINI *antiquitates romanas*, tum HEINECCII *antiquitates*, tum denique NIEVPOORTII *ritus populi romani*: ex quibus ea , quae ad inluſtranda auctorum loca pertinent , facile hauſeris.

(4) mythologiae ſtudium, in poetis praecipue legendis, prorſus neceſſarium eſt , quum ne uerſum fere in ullo poetarum romanorum ſatius ceperis , niſi hoc ſtudiorum genere excultus ſis optime. multum tamen huc contulerunt OMEISII, SCHAEVII, POMEY et NATALIS COMITIS labores, qui hoc negotium penitus exhauſerunt, atque ita legendis auctoribus facem accenderunt lucidiſſimam. de quibus confer WALCHIVM in *hiſtor, critica latin. ling. p.* 443.

PARTIS III.

CAP. V.

DE GENVINA AVCTORES ANTIQVOS IMITANDI RATIONE.

ORDO DICENDORVM.

quid ſit imitatio §. I.

uariae eruditorum de imitandis auctoribus ſententiae §. II.

duplex eſt ex noſtra ſententia imitatio, altera puerilis, et quid in ea obſeruandum §. III.

altera uirilis, cuius natura et ratio depingitur §. IV.

pertinet huc imitatio periodorum, quae analyſi et geneſi abſoluitur §. V.

non minus huc ſpectat imitatio thematis et argumentorum §. VI.

porro imitatio conlocationis et ordinis quum generatim, tum ſpeciatim §. VII.

denique imitatio totius corporis orationis et dicendi characteris §. VIII.

quinam plura de imitandis auctoribus ſcripſerint §. IX.

§. I.

Qvam etiam neceſſaria ſit ſedula ueterum lectio, quamue delectationem etiam ſe cum habeat coniunctam: nemo tamen genuinum ex iis uſum hauriet, niſi qui *imitando* exprimere ſtilum eorum quaeritet. is uero nobis *imitari* auctorem dicitur, *qui in-*

integram orationis formam ita nouit exprimere, ut quam ſimillimus illi uideatur, quem ſibi ſequendum propoſuit.

§. II.

Abevnt hic in diuerſa doctores. ſunt, qui nullam admittunt imitationem, ſuo ſingula ingenio permittentes (1): ſunt et, qui omnes promiſcue imitandos eſſe cenſent (2). quae quum praecipitia uidentur utraque, tertia ſucceſſit illorum opinio, qui unum eumque praeſtantiſſimum (3) auctorem commendant imitationi. cui ſententiae, ut tutiſſimae, et nos ſubſcribimus.

(1) princeps hanc ſententiam defendere auſus eſt ANGELVS POLITIANVS, qui epiſtola quadam ad PAVLVM CORTESIVM data *lib. IX. epiſt. ultima p.* 251. *oper. tom.* II. edit. LVGDVN. MDXXXVI. 8. non CICERONIS, ſed omnem omnino imitationem reiecit. *inclamat HORATIVS*, inquit, *imitatores, ac nihil aliud quam imitatores. mihi certe, quicumque tantum componunt ex imitatione, ſimiles eſſe uel pſittaco, uel picae uidentur, proferentibus, quae nec intelligunt. carent enim, quae ſcribunt iſti, uiribus, et uita, carent actu, carent affectu, carent indole, iacent, dormiunt, ſtertunt. nihil ibi uerum, nihil ſolidum, nihil efficax.* ſed egre-

 gie

gie refutauit eius nugas ipſe CORTESIVS, cuius reſponſio ſubiuncta eſt in mea editione *p.* 252. *ſeq.* et digna, quae legatur ſedulo. conſentit cum POLITIANO ERASMVS in CICERONIANO et LIPSIVS in *epiſt. miſcell. cent. IV.* 52. at uero quum, ubi perpetuus linguae uſus deſiit, ſola exercitatione latine nemo diſcat: facile patet, quam errent illi, qui omnem imitationem reiiciunt. nulla uel minima res eſt, quam non imitatione conſequimur. ipſa loquela, quod in infantibus obſeruari datur, imitatione addiſcitur; neque umqum in uernacula noſtra ad ſummum faſtigium peruenit, qui non imitatione aliqua uſus ſit. quidni ergo in latina, quam, niſi ex antiquis ſcriptoribus, haurire hoc tempore non poſſumus? qui ſolis lexicis fidunt, pura impuris, uenuſta indecoris, ornata incomtis miſcent, et barbarum aliquem nexum comminiſcuntur, quem, qui latine intelligunt, rident. ſceleton aliquod efficiunt, ſine neruis, ſine ſanguine, ſine ſucco. diffluit oratio, languida eſt, nihilque ſani coloris prae ſe fert. integrum enim et ſanum orationis habitum, niſi ueteres imitatione expreſſeris, uix umquam conſequeris.

(2) plurimi ſunt in ea opinione, ut, ueteres omnes imitationi ſubiiciendos eſſe, cenſeant. eſſe in omnibus dicunt, quae ſana, quae pulcra, quae decora, quae inluſtria, quae grauia ſint; neminem ex antiquis adeo eſſe inuenuſtum, in quo non aliquando, quod imi-

imiteris, occurrat. hunc in cenſum referendus FABIVS *inſtit. orat. lib. X. cap.* II. *p.* 589. SENECA in *praefat. lib.* I. *controu. p.* 53. *tom.* III. *oper. edit. ELZEVIR.* LVGDVN. CIↃIↃCXXXIX. 12. et ex recentioribus plurimi, quos uide apud HALLBAVER. in *conlectione praeſtantiſſimor. opuſculor. de imitat. orat. praef. p.* 25. *ſeqq.* uerum ni me omnia fallunt, latinitatem cum ſtilo confundunt uiri docti illam enim, ubi non ſufficit CICERO, ex aliis bonis conligendam eſſe, uel neceſſitas poſtulat: at ipſam ſtili formam, ſi per multos uagabundus erres ſcriptores, inaequalem, uacillantem, inconſtantem, diffluentem, fieri, res ipſa docet, et multa uirorum ſcripta loquuntur. centonem ſibi diſſimilem nectunt, qui purpuram ex hoc, laciniam ex illo, deſumtam conſuunt.

(3) in eo, quod optimum quemque imitandum cenſemus, conſentiunt multi, quos uide partim apud HALLBAVERVM *l. c.* partim apud uener. WALCHIVM in *hiſt. crit. L. L. p.* 748. *ſeqq.* quibus SCHEFFERVM et HEINECCIVM, et forte alios, adiicias. quinam uero ſit ille optimus, in eo multus diſſenſus eſt. illi tamen naturam ſequuntur, qui eum dicunt optimum, qui cuiusque naturae et ingenio quam maxime conuenit. quumque alius diffuſum genus, alius medium, contractum alius amet: CICERO, NEPOS et CAESAR digniſſimi ſunt, quos imitationi noſtrae conſecremus atque conuer-

ta-

tamus in noſtros uſus. immo, quum CICERO in plerisque dicendi formis, conciſa, mediocri, et circumducta, excellat: uel eo poſſis, quod ad ſtilum adtinet, contentus eſſe, caue tamen credas, me adeo mihi eſſe ſuffenum, ut nihil, niſi quod dixerit CICERO, probauerim. multae ſunt res, de quibus nihil apud TVLLIVM. latinitas et phraſes ex optimis, qui de materia iſta tractarunt, deſumendae; ſtilus ad CICERONIS ingenium formandus, periodorumque nexus ad eius imaginem conſtituendus eſt.

§. III.

DVPLICEM nos imitationem conſtituimus, quarum altera *latinitatem*, altera *ſtilum* aemulatur. ad *primam* quod adtinet, plures admittimus imitandos auctores (1), in quibus legendis et imitandis ad *puritatem* (2), *ornatum* (3), ac *uariationem* (4) reſpiciendum eſt.

(1) uocatur alias *imitatio puerilis*, in qua notamus uoces latinas, apud auctores bonos occurrentes, uariasque dicendi formulas, easque in materia conſimili diſcimus adhibere. quum uero non omnium uocum eadem ſit auctoritas: illae diligenter adhibendae ſunt regulae, quas ſupra dedimus de puritate. non male igitur meriti ſunt de iuuentute, qui uarias in auctores claſſicos *imitationes* conſcri-

ſcripſere, in quibus tamen praecipuae ſunt, quas debemus doctisſimo REINHARDO in NEPOTEM ac CAESAREM, quippe qui non tantum de phraſibus in argumento ſimili adhibendis; ſed de ipſo comprehenſionum etiam nexu ſimili ſollicitus fuit.

(2) *puritatem* obſeruabimus non tum tantum modo, quum eodem ſenſu, quo auctores probi uſi ſunt, adhibebimus uoces; ſed etiam ſi relegabimus eas, quae poſteriori tempore in latium irrepſerunt. fiet hoc, ubi non aliis utemur ſcribendi exercitiis, quam, quae ex auctoribus, quos pertractauimus, deſumta ſunt. qui enim ita, quod legerunt, ſtatim ad ſimile exemplum adplicant: et ipſam dicendi naturam uident, nec barbaris ſe inquinant uocibus.

(3) ornatus quum ſupra copioſe ſit inluſtratus: facile patet, tum demum eum posſe imitando exprimi, quum in argumento auctoris, partim ipſa ornatus ſedes ſit indicata, partim ratio, cur is fuerit adhibitus, expoſita. ſic enim facilius, qui ſit legitimus uel troporum uel figurarum uſus, et quo modo ſubiungendus, addiſcitur.

(4) quum omnis oratio, quae ſemper recurrit, odium pariat, et nauſeam concitet: uarianda ea ſaepe eſt et ſtilo uertenda. hinc ſi in uolutandis legendisque auctoribus uel ſynonyma, uel ſententiarum earumdem exponen-

nendi adnotamus diuerſitatem: ſeligenda ſunt omnia ſedulo, quo iis ſuo tempore ad uariandam orationem, diuerſeque proloquendam posſimus uti. uidebimus ſaepe unius uerbi expoſitionem decuplam, quae aliis in rebus ſtudioſe imitanda et exprimenda uenit. fiet uero uariatio ſermonis eo ſtudioſior, ubi uel detrahendo, uel addendo, uel permutando diuerſam efficiemus orationem, quae eſt eadem.

§. IV.

STILI imitatio ea eſt, *uirilem* alii; uel *maſculam* nominarunt, ubi eius auctoris, quem naturae conuenientem noſtrae, prae ceteris elegimus imitandum, non periodos modo earumque nexum; ſed integrum orationis corpus, qua inuentionem, diſpoſitionem, eloquutionem, diuerſasque ſtili formas, ita exprimere quaerimus, ut quam ſimillimi eius adpareamus.

§. V.

A FACILIORIBVS ut faciamus initium, periodorum imitatio praecipua eſt. illud enim quaerendum uidetur, ut ita iungamus comprehenſiones, quem ad modum is iunxit, quem imitamur. quam ad rem nihil aeque conducit, ac

ac periodorum *analyſis* (1) nouaeque ad eius normam diſpoſitae *geneſis* (2).

(1) requiritur ad hanc rem, cum fructu ſuſcipiendam, ut logices auxilio propoſitiones, quae occurrunt in periodo, diſſoluamus, iuſtoque ordine conlocemus. ſit e. g. CICERONIS *pro lege manil. cap.* I. *n.* 2. *p.* 528. quae ſequitur, periodus, ſoluenda:

nam quum antea per aetatem nondum huius auctoritatem loci contingere auderem; ſtatueremque, nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria, adferri oportere; omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui;

quam ſi examinamus, uidemus

I. THESIN. *omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putaui.*

II. AETIOLOGIAM

1.) *antea per aetatem huius auctoritatem loci contingere non audebam.*

2.) *ſtatuebam, nihil huc, niſi ſummum, adferri oportere.* nimirum

α.) *perfectum ingenio.*

β.) *elaboratum induſtria.*

ſumamus aliam *ex orat. III. in CATILINAM cap. XII. p.* 742.

ſed quoniam earum rerum, quas ego geſſi, non eſt eadem fortuna atque conditio, quae illorum, qui

qui externa bella geſſerunt ; quod mihi uiuendum ſit cum illis, quos uici ac ſubegi , illi hoſtes aut interfectos aut oppresſos reliquerunt : ueſtrum eſt, quirites , ſi ceteris recta ſua facta proſunt , mihi mea ne quando obſint , prouidere. occurrit heic

I. THESIS. *ueſtrum eſt, quirites, ne mea mihi recta facta obſint , prouidere.*

II. AETIOLOGIA.

1.) *quoniam mearum rerum alia natura eſt , quam , qui externa bella geſſerunt.*

INLVSTRATIO.

α.) *mihi uiuendum cum illis; quos uici.*

β.) *illi hoſtes aut interfectos aut ſuppresſos relinquunt.*

2.) *quoniam ceteris recta facta proſunt.*

(2) alterum , quod in imitatione requiritur, eſt, ut quaeratur ſimile aliquod exemplum, ad quod eadem diſponendi ratio posſit adplicari. ſic in diuerſa re , eadem periodi conſtructio exſiſtet. prius exemplum ita imitabimur.

I. THESIS. *omne tempus legendis bonis auctobus putaui transmittendum.*

II. AETIOLOGIA.

1.) *ſcribendi enim exercitium antea attingere non audebam.*

2.)

2.) *ſtatuebam nil niſi ſummum exhiberi oportere.* nimirum

α.) excogitatum prudentia.

β. exornatum ſummo ſtudio.

GENESIS.

quum antea per timorem nondum ſcribendi exercitium contingere auderem; ſtatueremque, nihil eo, niſi excogitatum prudentia, exornatum ſummo ſtudio, adſerri oportere: omne meum tempus legendis bonis auctoribus transmittendum putaui.

ita et alterius imitatio exempli ſuſcipietur. ſit enim

I. THESIS. *amici eſt, ne miſericordia ſibi exhibita, alteri noceat, prouidere.*

II. AETIOLOGIA.

1.) *quoniam amici minor eſt obligatio, quam neceſſariorum.*

INLVSTRATIO.

α.) amicus ſolo amore ductus facit.

β.) neceſſarios ipſius ſanguinis uinculum obligat.

2) *quoniam omnibus beneficia proſunt.*

GENESIS.

ſed quoniam amici ad eas res, quas ſuſcipit, minor eſt obligatio, quam eorum, quos ſanguinis nexus copulat, quod ille amoris ductum ſequitur, hi naturam aut ſanguinem incitantem ſentiunt:

 eius

eius etiam eſt, ſi omnibus aliis beneficia proſunt, ipſi ſua ne quando obſint, prouidere.

§. VI.

QVI id periodorum exercitium aliquantum ſuſcepit, in eoque ſe ſtudioſe exercuit, poteſt deinde ad difficiliora progredi. quaeret iam ipſas auctorum orationes per *analyſin* id genus examinare, ut fontes inuentionum diſcat, qua ratione non tam thema (1) ipſum, quam argumenta (2), quae ad thema probandum et explicandum pertinent, imitari debeamus.

(1) de themate enim ipſo ſollicitum eſſe haud decet, quando quidem occaſio dicendi ſimul ipſum dicendi argumentum complectitur. et, ſi quid ſit, in omnibus libellis rhetoricis fontes aperiuntur.

(2) quoniam argumenta, quibus aut probatur aut inluſtratur thema quoddam, uel ad λόγȣς, uel ad ἤϑη, uel ad πάϑη referuntur: diligenter adtendendum eſt in lectione auctorum, praeſertim in *analyſi* conſtituenda, ut ſingulas claſſes a ſe diſtinguendo copiam et uim argumentorum nobis adquiramus. ſic CICERO in *oratione pro MILONE cap. XXXIV.* laudat MILONEM, 1.) a *uultu conſtantisſimo.* 2.) ab *oratione non mutata.* 3.) ab *animo uel ingratis ciuibus*

bus benecupienti. 4.) a *mente uel cum ſuo dammo rei publicae inſeruiente.* 5.) a *prudentia*, *qua recte facta*, *non factorum praemia*, *reſpicit.* 6.) ab *incredibili robore animi.* quis non uidet eadem ratione laudari poſſe PAVLLVM, diuinae mentis interpretem ſummum. ſic in eadem oratione et patheticorum et ethicorum, copia eſt prorſus ſingularis, quae ſeligit, ſuosque in uſus rectisſime conuertit, ſanus imitator. neque uero eſt, quod ex una uel CICERONIS uel alius oratione, argumenta omnia conligenda eſſe, cogites: id enim ſeruilis eſſet animi: ſed ex diuerſis eiusdem auctoris locis, quae ad ſuum conferunt aliquid argumentum, comportanda; auctoris tamen, quem imitamur, modo diſponenda ſunt et ediſſerenda.

§. VII.

TVM conandum eſt imitatori, ut et in argumentorum conlocatione, quam *diſpoſitionem* uocant, aemulari auctorem ſuum penitus queat. qua in re non tantum id ſpectet, oportet, ut *generatim*, quam auctor ingresſus eſt, tractandi uiam (1) ſequatur; ſed *ſpeciatim* quoque ad ſingularium partium ſtructuram (2) aduertat animum.

(1) quam primum orationem elaboraturus thema, quod pertractandum ſumſit, excogitauit: prima eius cura ſit, ut reſpiciat, ad quod genus orationum optime posſit referri,

ri, et qua cum ciceronianarum optime conſpiret. tum eam, ſecundum analyſin, aut ab eruditis datam, aut elaboratam ſuo marte, contempletur, quaeratque ſuam eodem modo partiri rationumque pondera conlocare. ſi materiae, quam habemus examinandam, natura non omnia concedat, ſemoueamus, quae conſtare nequeunt, et addamus, quibus orationi maius momentum ac decus conciliatur: quo in ipſa imitatione liberalis et ingenuae dignitatis, non ſeruilis obſeruantiae indicia prodamus. quod ſi nobis *ſummo numini pro reſtituta humano generi, amiſſa per ADAMVM, gratia, perſoluendae grates* forent, hocque publica ſuſcipiendum eſſet oratione: inſeruire poſſit quam optime, CICERONIS, quam pro MARCELLO habuit, oratio. in ea quum CAESARI decernantur gratiae pro reſtituto MARCELLO: multa omnino quum in confirmatione, tum in confutatione habet, quae modo prorſus eodem tractari poſſint. ita enim conlocauit argumenta CICERO.

I. PROPOSITIO. *CAESARI grates ſunt decernendae.*

II. CONFIRMATIO *fit per enthymema multis modis inluſtratum et inuerſo propoſitum ordine.*

1. CONCLVSIO. *nullius ingenium tantum eſt, quod debitas CAESARI gratias excogitare poſſit.*

II.

II.) MINOR. *iam enim reſtituto MARCELLO ſingularem clementiam declarat.*

INLVSTRATVR

1.) a comparatis: *a multis imperatoribus praeclara edita ſunt facinora: longe tamen minora ſunt iis, quae CAESAR ſuſcepit.*

2.) ab obiecti difficultate: *quia difficilius ſe ipſum uincere, quam alios.*

3.) ab effectis: *quae ſunt*

α.) amor et reſtitutio pacis ſociorum.

β.) caedium raritas: quod uictoria cum praeliis terminata.

III. CONFVTATIO reiicit

1.) *metum inſidiarum.*

α.) quoniam inimici bello perierint.

β.) beneficio facti ſint amiciſſimi.

2.) *cupiditatem moriendi.*

α.) quia non ſatis uixerit patriae.

β.) nec poſteris.

γ.) et res publica prius reſtituenda in ſuum nitorem ſit.

eodem modo thema illud ſupra datum poſſit elaborari: ſit ergo

I. PROPOSITIO. *ſummo numini pro reſtituta gratia generi humano grates ſunt perſoluendae.*

II. CONFIRMATIO *fiat etiam per enthymema inuerſum, cuius notetur*

I. CONCLVSIO. *nullius tantum eſt ingenii flumen, qui dignas numini pro ſeruatore miſſo gratias decernere queat.*

II. MINOR. *in miſſione ſeruatoris ſingularem declarauit clementiam deus.*

INLVSTRATVR

1.) a comparatis: *opus creationis ſine labore et dolore deus perfecit: redemtionis opere non ſine cruciatibus perfunctus eſt ſeruator.*

pli homines in ſalute coetus diuinioris multum deſudarunt: nihil uero id ad CHRISTI dolores.

2.) ab obiecti difficultate: *quia filium ſuum unicum morti tradere, difficillimum ſane eſt.*

3.) ab effectis: *quae ſunt*

α.) pax inter deum et homines reſtituta.

β) poenae abolitio, quod ira diuina cum morte ſeruatoris terminata ſit.

III. CONFVTATIO reiicit

1.) *metum fidelium ob peccata.*

α.) quoniam morte CHRISTI deuicta ſint.

β.) et ex filiis irae facti ſint filii gratiae.

2.)

2.) *timorem moriendi.*

a.) quia ſatis uiximus nobis.

β.) quia ſatis uiximus mundo.

γ.) quia per mortem in priſtinum nitorem reſtituimur.

(2) in ſpecialiori argumentorum conlocatione reſpiciendum eſt uel *ad chriam*, uel *ad enthymema*, uel *ad ſyllogismum oratorium.* de priori infra ſingulatim quaedam praecipiemus. de poſterioribus iam quidem agendum eſt. ab ultimo ut incipiamus, ſolet eo CICERO *de inuentione lib.* I. *p.* 263. *ſeqq.* quinque partes referre I. *propoſitionem*, per quam breuiter locus is exponitur, ex quo uis omnis, oportet, emanet ratiocinationis: II. *propoſitionis adprobationem*, per quam id, quod breuiter expoſitum eſt, rationibus adfirmatum, probabilius et apertius fit: III. *adſumtionem*, per quam id, quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, adſumitur: IV. *adſumtionis adprobationem*, per quam id, quod adſumtum eſt, rationibus firmatur: V. *complexionem*, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breuiter exponitur. ex his partibus, uel omnes interdum ſolent adſumi, uel in pauciores contrahi, ubi alterutra propoſitionum probatione non indiget: atque uel eodem, quo hic ordine, coniungi, uel inuerſa concludi ratione ſolent. ſumamus iam illud argumentationis exemplum imitandum, quod CICERO dedit *l. c. p.* 259.

I. PROPOSTIO. *melius adcurantur, quae conſilio geruntur, quam quae ſine conſilio adminiſtrantur.*

II. RATIO PROPOSITIONIS.

a. *domus ea, quae ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus et adparatior, quam ea, quae temere et nullo conſilio adcuratur.*

b. *exercitus is, cui propoſitus eſt ſapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui ſtultitia et temeritate alicuius adminiſtratur.*

c. *eadem nauigii ratio eſt. nam nauis optime curſum conficit ea, quae ſcientiſſimo gubernatore utitur.*

III. ADSVMTIO. *nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus, adminiſtratur.*

IV. ADSVMTIONIS ADPROBATIO.

1.) *nam et ſignorum ortus et obitus definitum quemdam ordinem ſeruant.*

2.) *et annuae commutationes non modo quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt: uerum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt adcommodatae.*

3.) *et diurnae nocturnaeque uiciſſitudines, nulla in re umquam mutatae quid-*

quidquam nocuerunt. quae ſigno ſunt omnia, non mediocri quodam conſilio naturam mundi adminiſtrari.

V. COMPLEXIO. *quod ſi igitur melius geruntur ea, quae conſilio, quam quae ſine conſilio, adminiſtrantur: nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus adminiſtratur: conſilio igitur mundus adminiſtratur.*

imitatio haec eſſe poteſt:

I. PROPOSITIO. *quo quis magis ad rei publicae ſalutem aduigilare poteſt: eo maiorem laudem meretur.*

II. PROBATIO PROPOSITIONIS.

1.) *ſalua enim re publica, ſalui etiam ſunt ciues: et qui ciuem conſeruat, laudandus eſt merito.*

2.) *a ſalute ciuium pendet omnis reipublicae felicitas.*

3.) *qui ruinam a templis prohibet, pluris aeſtimandus, quam qui ab aedibus.*

III. ADSVMTIO. *nullus autem melius uigilare pro ſalute rei publicae poteſt, niſi uere ſapiens.*

IV. ADSVMTIONIS ADPROBATIO. nam

1.) *praeuidet ſapiens futuros rei publicae caſus, atque eo melius cauet.*

2.) *proſpicit remedia, quae priſtinum illius reſtituere ualent nitorem.*

3.) *ſubſidiis ad felicitatem conſequendam et augendam et conſeruandam optime utitur.*

V. COMPLEXIO. *nemo igitur eſt, quin quod ſapiens, qui optime pro rei publicae ſalute queat uigilare, maximam laudem mereatur, confiteri neceſſe habeat.*

in enthymematibus, qui fere cum his argumentationibus perfectis conueniunt, niſi quod alterutram propoſitionum omittant, imitandis, eadem obſeruanda eſt ratio. uidimus etiam exemplum in praecedenti obſeruatione, ubi integra confirmationis argumentatio incluſa erat enthymemati, quod imitatione etiam expreſſimus, ut nunc repetito ſuperſedere exemplo queamus.

§. VIII.

QVVM magna quoque dignitas ueterum auctorum in eloquutione conſiſtat: quaerendum etiam latinae linguae cultoribus eſt, ut eamdem uiam ingreſſi, totum orationis corpus et dicendi characterem exprimant. qua in re multum proficient, ſi non tantum eodem modo ſtudeant argumenta proponere; ſed periodorum quoque et phraſium naturam eam-

eamdem, easdem figuras, et nexum obſeruare. (*)

(*) non male conlocabimus noſtram operam, ſi epiſtolam aliquam, aut CICERONIS, aut PLINII, eodem quaeramus charactere conſignare litteris, ſic *VIII. epiſtolam lib. IX. ad ATTICVM* attice ſcriptam, hoc modo posſimus imitari.

meditantibus calend. febr. nobis ac diu quidem, tabellarius a te epiſtolam longam adtulit. de philomuſo quod quaeris, non modo litteris operam dat, ſed etiam lucubrationes ſuſcipit, alterum etiam nimis. de filii tui laurea quod ſcribis, gaudeo in academia gottingenſi ſementem fieri eruditionis, profeſſores ibi doctos eſſe, nos quoque audieramus. ecquid potes bariolari, cur bala CESTIVS exierit? in bis locis opinio eſt, coniectura magis, quam nuntio, aut litteris, eum mox et binc abiturum eſſe. hic ego uellem, babere illum MENOECI mentem apud EVRIPIDEM:

ϛείχω δὲ θανάτȣ δῶρον ȣ̓κ αἰσχρὸν πόλει
δώσων, νόσȣ δὲ τήνδ' ἀπαλλάξω χθόνα.

nullam rem umquam ipſi ſalutariorem cogitaui. cura ut ualeas.

§. IX.

HISCE in rebus qui diu multumque fuerit exercitatus, magnam ſibi dicendi co-

copiam et dignitatem adquirat neceſſe eſt. plura fortaſſe (*) ab aliis ſolent hoc in imitandi ſtudio praecipi; breuitatis autem quum rationem habuerim: arbitratus ſum, illum quidem, qui hiſce innutriri ſe pateretur, quae miſi in compendium, non multum, quod deſideret, habiturum eſſe.

(*) plures, qui de imitandis auctoribus praeceperunt, commemorant uener. WALCHIVS *in hiſtoria critica ling. lat. cap. XIV.* §. *V. p.* 736 *ſeqq.* et HALLBAVERVS in *praefatione*, quam *conlectioni praeſtantisſimorum opuſcul. de imitatione orat.* praemiſit. *p.* 3. *ſeqq.* quibus adde MORHOFIVM de pura dictione *p.* 160. it. de *legendis imitandis* et *excerpendis auctoribus p.* 140. *ſeqq.* REYHERVM in oratoria practica *p.* 303. et HEINECC. in *fund. ſtil. lat. p.* 255. quibus adiungi meretur FVNCCIVS.

PAR-

PARS IV.
DE EXERCITIIS STILI.
CAP. I.
DE EXERCITIIS GENERALIORIBVS.

ORDO DICENDORVM.

nexus cum ſupra nobis commemoratis, proponuntur uariae ſtili exercitationes §. I.

exercitatio grammatica, pueri non ante tempus ad latine ſcribendum adducendi §. II.

translationes in uernaculam uel ſtrictiores, uel liberiores §. III.

imitationes parallelae. uariatio grammatica et rhetorica. exercitatio periodica §. IV.

paraphraſis poetarum uel ſimplicior uel curatior. quinam auctores facem praetulerint §. V.

coarctatio ſtili quomodo ſuſcipienda? §. VI.

amplificatio ſermonis quomodo ſuſcipienda §. VII.

exercitatio characterum dicendi §. VIII.

§. I.

Qvem ad modvm crebra exercitatione omnis adquiritur habitus: ita et in linguae latinae ſe res habet cognitione: quae grammatices ſtudio fundatur, auctorum lectione confirmatur, imitatione exprimitur, et exercitatione demum ad perfectam aliquam perducitur naturam.

§.

§. II.

DE prima huius linguae exercitatione, quae in uariandis caſibus, coniungendisque, ad regularum grammaticarum uſum, uocibus et formulis, conſiſtit, ſupra nobis iam (1) quidem dictum fuit. haec ut negligenda minime eſt: ita non eo extendenda, ut ante tempus ad exercitia translationis latinae (2) deducantur pueri.

(1) conf. *part.* III. *cap.* I. §. IX. *not.* 2. *p.* 337. et *cap. IV.* §. *XIII. not.* 2. *p.* 432.

(2) ſi enim iuuentus uel ex SEYBOLDI *officina uirtutum*, uel aliis id genus libellis, iubetur latine uertere prius, quam linguae genium ceperit: tum aut phraſes iſtas, putidas ſaepe et barbaras, cogitur in centonem infercire, aut ad lexica uulgaria refugere, ubi homonymiis decepta, ſtultisſime uertit, et barbarismis adſueta turpiter commaculat ſuum ſermonem. prudentisſime agit praeceptor, qui phraſes iſtas, quas auctor praelegendus PHAEDRVS, aut NEPOS ſuppeditat, iubet adplicare ad regulas grammaticas, easque per tempora, per caſus, ipſe uariat, ut eius exemplo diſcant pueri: tum imitationes, uel ex una, uel paucis conſtantes periodis, proponit, quae phraſibus ab auctore adhibitis, mutatis tantum temporibus, aut perſonis, pos-

poſſint latine efferre. quibus ſuccedant imitationes pleniores tum demum, ubi grammatices uſu et phraſium copia uberius erunt exculti puerorum animi.

§. III.

ALTERVM; quod commendamus exercitium, eſt *uernacula* romani auctoris *interpretatio*, quae ut multum habet utilitatis (1) : ita non una ratione inſtituenda eſt. adſtrictior eſt prima (2) ad quam cohortanda iuuentus eſt, quam primum uocum declinandarum, per caſus et tempora, tenet rationem. altera liberior eſt, quae non tam ad uerba, quam ſenſum auctoris exprimendum, formamque ſtili deſignandam facit (3).

(1) illud cum primis utilitatis adfert, quod facilitate ſua iuuentutem adlicit, ſenſum auctoris aperit rectius, idiotiſmosque utriusque linguae ſollerter commonſtrat. qua in re id tamen bene notandum eſt. 1.) non eſſe, ut ſtatim iubeat praeceptor translationem ſuo marte procudere diſcipulum. ſic enim idem eſſet incommodum, quod in latinis exercitiis. confugerent ad lexica, et ſic incertam ſignificationem pro certa comprehenderent, efformarentque ſenſum, quem uel

ger-

germanorum intelligeret nemo. ſed praeceptoris eſt, adcurata periodi conſtructione praemiſſa, clara uoce, et non feſtinante lingua, exponere eam uerbis germanicis, quae ſenſum auctoris adcurate exhauriunt. quam expoſitionem ſi eodem repetunt ordine ac modo diſcipuli aliquoties; iubenturque tum, ubi recens eſt illorum animus ab expoſitione, uertere in linguam germanicam: tum demum uſum ſuum praeſtabit hoc linguae exercitium. 2) non concedendum eſt, ut idiotismi linguae latinae adhibeantur in translatione. adtendendum eſt ad utriusque linguae genium, uerborumque ordo, noſtrae uernaculae peculiaris, nullo negligendus modo eſt. quoties enim uiri harum rerum periti, uel RHENII alicuius, uel HARTNACCII, translationes perlegunt, quibus uſuine maiori fuerint iuuentuti, an damno? non definio: cachinno non temperant, ridentque inficetam uertendi rationem. id ergo ſtudeat praeceptor, ut rigidisſime uel minutisſima corrigat errata: quo ita linguae genium latinae addiſcat iuuentus, nec in ſua rudis inueniatur uernacula.

(2) ſuſcipitur haec uertendi ratio ita, ut, quantum linguae diuerſitas permittit, uerbum ex uerbo transferamus, easdem adhibeamus particulas, easdem periodos, immo uerba ipſa adnumerare lectori uideamur. commendatur haec adſtrictior translatio iuuentuti eam ob cauſſam, quod, quum uernacu-

lae

lae phraſeologiae aliquantum ipſi ſint notiores, nec tamen plenum ſit iudicium iſtius rei, filum quaſi ariadneum porrigant ad periodum aliquam conſtruendam formulasque coniungendas. iterum tamen iterumque moneo, ut ab idiotismis latinae linguae diligentisſime caueatur iuuenibus.

(3) liberior illa uertendi conſuetudo non prius eſt ſuſcipienda, quam ad utriusque linguae facultatem aliquam peruentum ſit. fidus enim interpres non curat ſemper uerbum uerbo reddere; ſed illud dat operam, ut ita loquatur, ut, auctorem, quem interpretatur, loquuturum fuiſſe crediderit, ſi aut potuerit, aut noſtra lingua uoluerit ſcribere. hanc ab cauſſam nihil illi adfingit; nihilque tamen omittit eorum, quae ipſi dicta ſunt. ceterum ſi linguae poſtulet ratio, uel ex una uerborum comprehenſione, quae uerboſior eſt, et longior, tres conficit, uel ex tribus; ſi neceſſe ſit, unam. quo in negotio tamen caute rurſus uerſandum eſt, ut neque ornatiorem neque minus ornatum effingamus, quam re uera fuerit, ſermonem. qua propter nullae ſunt addendae neque metaphorae, neque figurae, quae non ab auctore ſuo inſertae ſermoni ſunt; ne floridiores, quam uoluerint, aut incomtiores, quam fuerint, euadant auctores.

§. IV.

HAC exercitatione praemiſſa, ſuſcipiendum eſt *ſcribendi* latine *negotium* (1).

poteſt illud fieri partim imitatione aliqua (2); partim uariatione ſententiarum grammatica (3), et rhetorica (4); partim etiam periodorum tum ſimplicium, tum compoſitarum elaboratione (5).

(1) nunc demum, quando multo labore uerſus eſt auctor aliquis bene latinus, uſusque grammaticus ex eodem clare oſtenſus, ad ſcribendi uſum aliquem adſueſcenda eſt pueritia. initium fiat, praeter iſtas ſimpliciores *imitatiunculas*, quas deſcripſimus *ſupra* §. II. *not.* 2. ab auctore iſto, quem germanice iam uertit. eius enim aliquod penſum, in praeſentia praeceptoris, ſepoſito tantiſper libro, uertat latine, utaturque iis phraſibus, quas ex auctore, ut addiſceret, commendauimus *part.* III. *cap.* IV. §. XIII. *not.* 3. *p.* 432. ſic enim, quum alias uoces neſciat, cogetur iis uti, quae notae ſunt; et ſicubi aberrauerit, eo melius, praeceptoris emendatione, linguae diuerſitatem adnotabit. quod ſtudium eo adiuuabit magis fidelis praeceptor, ſi, quae aberrata ſunt, euolutis e grammatica regulis, oſtendat, aut, notato uitio, ipſos iubeat emendare pueros.

(2) ſuccedant deinde parallelae imitationes, quibus ex eo, quod pertractauimus, capite doceatur iuuentus, propoſita materia ſimili, iisdem phraſibus uti; uel aliis, eodem modo coniunctis, orationis naturam exprimere. haud multi ſunt, qui eodem more in imitationibus

ſu-

ſuis iuuentutis emolumento conſultum iuerunt. et optandum eſſet, ut, quod fecit LAVR. REINHARDVS in NEPOTE et CAESARE, alii in aliis ſuſciperent auctoribus. prodierunt eius *imitationes parallelae* LIPSIAE MDCCXXVI. 8.

(3) referuntur huc non tantum illae uariationes, quibus per ſingulos uocabulorum caſus, per uerborum modos, tempora, perſonas, unius ſententiae ratio poteſt mutari: ſed quae per ſingulas orationis partes, multasque figuras grammaticas ſuſcipitur. quam in rem cum fructu adhibebimus IOA. IENICHEN *deutlichen wegweiſer zu der variation des ſtili* LIPSIAE MDCCXIV. 8. et IOA. CHRIST. LANGII *tyrocinium eloquentiae* HEILBRONN. clↄ Iↄ ccxxi. 8. exempla, quum obuia ſint, non produco, praeceptoris induſtriae relinquenda.

(4) inſignis uſus eſt huius exercitii, ubi ſententia per omnes et uerborum et ſententiarum figuras uariatur. mirifice enim conducit ad copiam ſermonis non minus, quam ornatum conciliandum. uariabimus ſententiam illam: *aurora muſis amica:* per figuras dictionis, ut ne plane deſimus huic ſtudio.

epizeuxis.

quo usque tandem ſomno indulgebitis deſides? quo usque uos calido iſto delectabitis nido? quis ignorat, *auroram*, *auroram* inquam, muſis amicam eſſe?

anaphora.

aurora eſt, quae rubore ſuo iuuenes excitat; *aurora*, quae uim artubus, poſt quietem alacrioribus, ſuppeditat; *aurora*, quae muſis amicitiam offert ſingularem.

polyſyndeton.

aurora non ſolum muſis amica; uerum etiam humanitatis ſtudia *et* nutrit, *et* fouet, *et* promouet, *et* locat in ſolido.

aſyndeton.

ſi meo quidem arbitratu cum iis agendum eſſet, qui ad medium usque diem ſtertunt, auroramque ſtudiis amicam minus aeſtimant: obtorto eos collo de lecto *traherem*, *raperem*, in mediam uiam *prouoluerem.*

epanalepſis.

aurora muſis omnino amica eſt, conatusque laudabiles, poſt deum, optime promouet *aurora.*

epiſtrophe.

quid induſtriam, quaeritis, ſuadeat? *ſuadet aurora.* ingenii uim quid acuat? *acuit aurora.* memoriae uires quid conſeruet? *conſeruat aurora.*

homoeoptoton.

ſi quid eſt, quod ſtudiis ueſtris queam uimmo commendare iure: aurora eſt, ſtudis capeſſendis *apta*, ingenio *commoda*, memoriae *felix.* *bo-*

homoeoteleuton.

animus humanus , corpore de ſomno excitato , ſub auroram arripit tradita *feliciter* , ſeruat *tenaciter* , ſuoque tempore reddit *fideliter.*

anadiploſis.

nondum uos adhortari deſino , ut commendatam uobis habeatis *auroram* , *auroram* , cuius uim tantam eſſe ſcitis , ut in omnibus ſtudiis certum uobis progreſſum promittere queat.

ſymploce.

quodnam tempus laboribus ſuſcipiendis expediendisque aptisſimum ? *aurora. quodnam* demetendis recipiendisque terrae frugibus opportunum ? *aurora. quodnam* denique ſub MINERVAE uexillis militantibus maxime deligendum ? *aurora.*

epanodos.

qui ſuis conſultum cupit ſtudiis , rationem habeat *aurorae:* et, qui *aurorae* habet rationem , eo , quod habet , conſultum cupit ſtudiis ſuis.

paronomaſia.

qui aurorae in ſuis habet ſtudiis rationem , is laboris ſui cauſſa *premitur* interdum a malignis , non *opprimitur.*

paregmenon.

tu , ſub *auroram* , aerem , quaſi *aureo* ſolis igne , *conluſtrari* uides et *aureſcere* : ſed mentem tuam ſapientiae radiis eo ipſo tempore *conluſtratum iri* nolis ?

polyptoton.

quicumque *auroram* ſtudiis eſſe aptam ignorat , is nullam *aurorae* habeat rationem oportet : quum tamen , ſapientum iudicio cunctorum , *aurora* nihil eſſe pretioſius commodiusque , conſtet.

antanaclaſis.

auroram muſis amicam eſſe , *amentes* negant, non ſtudiorum *amantes*.

ploce.

ſub aurorae tempus *homo* demum *uere homo* eſt , *muſaeque uere muſae* poſſunt nominari , ſi ante ſolis ortum eas cupias accedere.

(5) periodorum exercitium uberius a nobis expoſitum *ſupra part.* I. *cap.* IV. *ſect.* III. *p.* 192. ſeqq. ad quod iam prouocare ſatis eſt.

§. V.

QVVM proceſſum eſt ulterius in legendis auctoribus , peruentumque ad poetas : tum ſingularis exercitatio ſuſcipienda eſt , quae in *ſolutione carminis*, aut

aut *paraphraſi*, conſiſtit. conſtat illa duplici exercitatione. altera ſimplicior eſt, et primum a tironibus ſuſcipienda (1); altera curatior, quae copioſius carmen exponit (2). praecipuas habemus a FRISCHLINO (3). LVBINI (4), et RVAEI (5) aliorumque labores ad prioris faſtigium non adſcendunt.

(1) antiqua haec eſt exercitatio et multis modis celebrata. ex recentioribus primus praecepta dedit FRISCHLINVS, partim in praefationibus, quas praemiſit ſuis paraphraſibus, partim in oratione de *exercitationibus oratoriis et poeticis*. eius praecepta maximam partim ſequutus eſt SCHEFFERVS in *gymnaſio ſtili*, huncque HEINECCIVS. danda eſt opera in hoc inſtituto, ut in ſolutam transfundamus orationem, quae uerſibus tractauit poeta; mutato tantum numero, uariatisque, non niſi poetae quas uſurpare poſſunt, phraſibus. confert hic labor multum ad intelligentiam auctorum. qui enim ligatam numeris orationem in proſam uertit, niſi pro quouis quiduis uelit conlocare, curate ſenſum auctoris inueſtigare debet. conducit uero ſimul ad dicendi copiam et flumen. nec adeo difficulter procedet labor, modo prudentis magiſtri non deſtituamur auxilio, clariorem faciamus age rem exemplo!

paraphraſis breuior VIRGILII *ex aeneid. lib. III. 1-12.*

poſtquam res aſiae, priamique euertere gentem
immeritam uiſum ſuperis, ceciditque ſuperbum
ilium, et omnis humo fumat neptunia troia:
diuerſa exilia, et deſertas quaerere terras,
auguriis agimur diuum: claſſemque ſub ipſa
antandro et phrygiae molimur montibus idae
incerti, quo fata ferant, ubi ſiſtere detur.
contrahimusq; uiros. uix prima inceperat aeſtas.
et pater ANCHISES dare fatis uela iubebat.
littora tum patriae lacrimans portusq; relinquo
et campos, ubi troia fuit. feror exul in altum,
cum ſociis natoque, penatibus et magnis dis.

poſteaquam placuiſſet diis, aſiae noſtrae uires ut frangerent, deſtruerentque PRIAMI populum, nihil tale promerentem; quumque ipſum iam caderet ILIVM, flammisque a NEPTVNO exſtructa TROIA conſumta eſſet: en! deorum praeſto erant omina, quibus, ut diuerſis uiis quaereremus exſilium, impellebamur. dumque ſub ipſa ANTANDRO, IDAEque montis radicibus conſidebamus, ad claſſem exſtruendam adpellebamus animum: incerti, quem nobis curſum deſtinarint fata, atque ubi ſedem figere nobis conceſſum fuerit. uiros, quotquot a ruinis, a caedibus, a clade ſupererant, contrahimus. uix

uix prima aeſtas acceſſerat, quum iam naues ſoluere atque ex portu, quo fata uellent, curſum dirigere, iuberemur. tum triſtis patriae littora relinquo, tum portus, tum dulcia, ubi TROIA olim fuerat, ultimum arua conſpicio. exſul per ignotum mare cum ſociis, et filio, et penatibus magnisque diis, incertus erro.

(2) qui prouectioris ingenii ſunt, longiori utuntur paraphraſi, ut dicendi ſibi copiam adquirant, et ampliori modo, quod contractum eſt, diſcant exornare. quumque ex uſu priori didicerint, uerba propria diſtinguere a tropicis, poetica ab uſitatis ſeparare; quodque diſcrimen ſit inter metaphoras poeticas et oratorias: facilis deinde labor eſt, ſententiam aliquam nudam amplificare, oratorioque ornatu induere. quod quam ſalutare ſit inſtitutum eloquentiae candidatis, is demum experietur, qui per tempus aliquod ſuſceperit priorem exercendi rationem. agnouit hoc ſua iam aetate QVINCTILIANVS, qui *inſtitut. orat. lib.* I. *cap.* IX. *p.* 62. *uerſus*, inquit, *primo ſoluere, mox mutatis uerbis interpretari, tum paraphraſi audacius uertere, quin et breuitate quaedam exornare, ſaluo modo poetae ſenſu, permittitur.* et ſapiens ille creditur merito, qui non tantum idem ſibi licere arbitratur, ſed et iniunctum eſſe, ſibi perſuadet. ut res euadat luculentior, exemplum illud VIRGILIANVM uberiori paraphraſi explicatum dabimus:

poſtquam ſummis uiſum eſſet diis , ASIAE uires atque imperium PRIAMI , licet immerentis, funditus perdere ; uidiſſemusque etiam ſplendidam TROIAE arcem , ab ipſo munitam NEPTVNO , una cum adiacente oppido et cadere gloria , et flammis deleri : auguriis , deorumque ominibus impellimur , ut diſſitas longe regiones quaereremus, diuerſisque in locis uagaremur exſules. confidimus eam ob cauſſam prope ANTANDRVM , notum illud phrygiae oppidum , quodque propinqua erat ex idae iugis ſilueſtribus materies , naues conſtruere , claſſemque moliri , conſtituimus. incerta quidem haerebamus mente, quo curſum noſtrum fata deſtinarint ; incerti , quam demum , poſt uarios caſus , rerumque diſcrimina , ſedem figere, nobis liceat : nihilo tamen ſecius , deorum obſequuturi iuſſis , uiros , quos ſuperſtites reliquerat TROIAE ruina, contrahimus. prima uixdum exorta erat aeſtas ; quum iam ab ANCHISE , patre dilectiſſimo , portu ſoluere , deorumque nutui permittere naues , iuberemur. tum ego mihi a lacrimis temperare non poteram , quum poſtremum patriae litora adſpicerem , quum portus , quum ſuauiſſima, ubi TROIA haud ita pridem felix ſteterat , arua relinquo. propellimur ſic fatorum ui, per maris tempeſtates. exſulabant mecum ſocii , exſulabat filius , immo exſulabant dii magni ; dii patrii , dii penates , quos in fortunae ſolatium miſerabili uultu adſpiciebamus.

(3) expoſuit is non tantum VIRGILII *eclogas, libros IV georgicorum, et II. aeneidos libros prio-*

priores perſpicua eleganti atque comtisſima paraphraſi; ſed idem etiam in HORATII *epiſtolis* et PERSII *ſatyris* praeſtitit, quae coniunctim prodierunt FRANCOF. ad MOEN. MDCVII. 8. confer *uitam FRISCHLINI* a me conſcriptam *cap.* III. §. III. *p.* 92. *ſeq.* has ab omnibus aeſtimari eruditis, qui legerint, et certus ſcio, et teſtimoniis, ſi opus eſſet, posſim probare.

(4) illud in LVBINO cum primis carpendum eſt, quod cum proſa poeticam dictionem uitioſe commiſceat, et interpolare potius uideatur uerba, quam libere profari. quod tamen contra finem paraphraſeos et omnis orationis eſt, in qua poetarum phraſis ſeiungi debet ab oratorum ſtilo. centoni ſimilis uidetur id genus orationis, in qua genuinae ueſti laciniae ſuperbae adtexuntur. prodiit eius *in* HORATII FLACCI *poemata, quae exſtant omnia, paraphraſis ſcholaſtica noua, qua retentis poetae uerbis, et pedeſtri ſermoni inſertis, auctor grauisſimus et difficillimus pleni commentarii uice, breuiter, et dilucide explicatur.* ROSTOCHII MDXCIX. 4.

(5) debemus CAROLO RVAEO P. VIRGILII MARONIS *opera interpretatione et notis inluſtrata in uſum DELPHINI*, quae et AMSTELOD. prodierunt CIϽ IϽC LXXXX. 4. uerum uti nimis adſtricta eſt eius et parca paraphraſis; ita interdum obſcurior paullo, nec ornata ſatis. retinet ſaepe ipſa poetae uerba, quae longe rectius

us FRISCHLINI, aut ſuis, uerbis protuliſſet· particularum uſus improbe corruptus, nullus uerborum poſitus, nulla uerborum iuſta comprehenſio. ſicca omnia et latinis auribus indigna. qui ſedulo perlegerit uel unam eius laboris paginam, facile ſecundum nos iudicabit. paullo ſtudioſior fuit in ſua in TERENTIVM paraphraſi NICOLAVS CAMVS, quam cum auctore ipſo in DELPHINI uſum edidit PARISIIS MDCLXXV. 4.

§. VI.

SEQVITVR ea nunc ſtili exercendi methodus, quam *coarctationem* dicere conſueuimus. conſiſtit haec in eo, ut diſcamus ex *aſiatico* charactere, quod ſuperfluum eſt, demetere, conformareque ad *rhodiam* mediocritatem, aut *atticorum* modeſtiam (*)

(*) uerſatur hic eloquentiae cultor tum demum feliciter in hoc negotio, quando, praetermisſis, aut ſynonymis, aut epithetis, reiectis propoſitionibus, quae amplificandi gratia fuerunt adiectae, rem ita quaerit proponere, ut de re ipſa nihil, quod momentum trahat, reiiciat. qui operae pretium ferre cupiat, legat aut MVRETI alicuius, aut MAIORAGII uberrimas illas orationes, illasque ad atticam frugalitatem reducat. acuet enim ita ingenii uires intelligendique facultatem, otioſumque a neces-

ceſſariis diſerte diſcet ſeparare. illud et in quibusdam CICERONIS orationibus cum fructu ſuſcipietur. e. g. pro MARCELLO cap. III. haec eſt *ſtilo aſiatico* periodus.

at uero quum aliquid clementer, manſuete, iuſte, moderate ſapienter factum, in iracundia praeſertim, quae eſt inimica conſilio, et in uictoria, quae natura inſolens, et ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus: quo ſtudio incendimur? non modo in geſtis rebus, ſed etiam in fictis? ut eos ſaepe, quos numquam uidimus, diligamus!

ſtilo rhodio.

at uero, quum aliquid clementer, iuſte, ſapienter factum, in iracundia praeſertim et in uictoria legimus: quo ſtudio rebus in fictis etiam incendimur, ut ignotos ſaepe diligamus?

ſtilo attico.

at uero quum aliquid clementer ſapienterque factum legimus: quo ſtudio incendimur, ut ignotos etiam diligamus!

§. VII.

Adparet ex his luculenter, eſſe et hoc aliquod latinae linguae exercitium, quod *amplificationem* dicimus. qua in re ſingula membra periodorum, aut per contraria, aut rationes, aut deſcriptiones

nes ita extenduntur, ut planior euadat auctoris ſenſus, et tamen intra περιοδολογίαν ſubſiſtat continuationis magnitudo (*).

(*) inuerſa haec eſt § praecedentis ratio, ſumendusque ad manus conciſior paullulum et preſſior auctor, quales ſunt aut SENECA, aut PLINIVS, illiusque ſermo prudenter ac caute dilatandus, ut, uel id genus epitheta, uel cauſſae, uel deſcriptiones, ſubiungantur, quae auctoris non contrariantur naturae. ſubactum ergo bonis litteris requiritur ingenium, niſi ineptum quid et ſtultum chartis uelis illinere. ſit haec epiſtola *laconice* ſcripta:

mi fili!

ad italos propendet animus: deſiſte ab itinere. ecquis enim per tot militum cohortes? laudo uirtutis finem: temeritatem non laudo. incides in perniciem, haud quaeſitam. caue et obſequium demonſtra. uale!

ea ſic amplificari poteſt:

dilectisſime fili!

tametſi propoſueris apud animum tuum, in italiam excurrere, non, ut deliciis te expleas; ſed litteris animum excolas, bellique theatrum contempleris: graues tamen mihi cauſſae ſunt, quae me impediunt, quo minus tuo gratificari deſiderio

rio poſſim. ſeruent enim cuncta bellorum incendiis, nec iter ſatis tutum ab iis belluis ullum eſt. conſilium, quod ſuſcepiſti, ſi iuſtum eſt, non improbandum uidetur: quam primum uero conſilium oppugnat temeritas, non ſine pernicie manebit exitus. germanos, in italia cum primis, libertatis aeque atque argenti iactura exſpectat. quare meum omnino eſt non conſilium modo; ſed et uoluntas, ut abſtineas ab hoc animo, tuumque mihi praeſtes obſequium. uale!

ceterum non male conferendi ſunt in hanc rem VALENT. THILO in *rudimentis rhetor. part.* II. *cap.* III. *p.* 72. GROSSERVS in *iſagoge ſtili romani p.* 122. *ſeqq.*

§. VIII.

SVPEREST ea ſtili exercendi uia, qua uariis dicendi characteribus, *ſublimi* nimirum, *mediocri* atque *tenui*, exprimendis operam nauamus (*) ſollertem.

(*) non poteſt hoc meliori ratione ſuſcipi, quam ſi epiſtolam CICERONIS tenui genere conſcriptam, ſecundum regulas, quas ſupra de his characteribus ſuppeditauimus transmutemus in ſtilum mediocrem, et, poſt repetitum ſaepe hoc exercitium, ad ſublimen characterem progrediamur. ita enim uſus, optimus ſcribendi magiſter, ſuffulciet noſtram induſtriam. exempla concinna exhibet HEINECCIVS in *fundam. ſtili p.* 308. *ſeqq.*

PAR-

PARTIS IV.
DE EXERCITIIS STILI
CAPVT II.
DE CHRIIS CONSCRIBENDIS.

ORDO DICENDORVM.

quaenam orationis pars chria dicatur §. I.
diuiſio chriarum ex mente ueterum §. II.
partes chriarum, utrum omnes ſemper adhibendae et quo ordine §. III.
explicatur exordium, quod uel ab auctore uel a re ipſa ſumendum eſt §. IV.
interpretatio ſententiae unde petenda §. V.
propoſiti probatio quid ſit, et eius fontes §. VI.
erant hae partes primariae, ſequuntur ſecundariae et quidem contrarium §. VII.
ſimilitudo quid? quomodo quaerenda §. VIII.
exempla ſunt uel ſacra uel profana §. IX.
teſtimonia unde ſumenda et quomodo proferenda §. X.
concluſionis ratio et finis §. XI.

§. I.

Ex antiquisſimis et utilisſimis dicendi exercitationibus ea eſt, quam χρείαν ueteres dixerunt (1). eſt ea *aut ueteris alicuius dictum, aut factum, rationibus expoſitum, et argumentis* (2) *inluſtratum*, quae quum partem conſtituat iuſtae orationis, eo diligentius excolenda (3) eſt. (1)

(1) non apud graecos ſolum, unde et nomen deſcendit; ſed apud latinos etiam rhetores, CICERONEM et QVINCTILIANVM, huius exercitationis fit commemoratio. THEON ſophiſta, qui primus regulas dedit ex iis, qui ſuperſunt, ideo *chriam* dictam eſſe confirmat, quod illarum prae aliis uſus in uita ſit ſplendidisſimus. ita enim *in progymn.* *περὶ χρείας p.* 50. edit. *CAMERARII* BASIL. MDXLI. 8. εἴρηται δὲ, inquit, χρεία, κατ' ἐξοχὴν, ὅτι μᾶλλον τῶν ἄλλων πρὸς πολλὰ χρειώδης ἐστὶ τῷ βίῳ. *dicitur uero chria cum primis ideo, quod illius prae aliis in uita ad multa uſus eſt.* cuius ueſtigiis inſiſtens APHTHONIVS eam, quae nunc eſt, chriarum formam effecit. non multum differt ab ea *theſis*, qua ſententia aliqua ſine reſpectu auctoris explicatur, probatur, et inluſtratur. modus enim tractandi quum ſit idem, niſi quod auctoris non fiat mentio; non male ſimul huc reuocabitur, qua in re ex ueteribus multos, et in iis THEONEM habemus anteceſſores.

(2) ita fere deſcribit THEON, cuius haec ſunt uerba p. 50. χρεία ἐστὶ, σύντομος ἀπόφασις, ἢ πρᾶξις, ἀναφερομένη μετ' εὐστοχίας εἰς τὶ ὡρισμένον πρόσωπον, ἢ ἀναλογοῦν προσώπῳ. i. e. *chria eſt breue dictum aut factum, relatum commode ad determinatam quamdam perſonam, aut, quod perſonae eſt ſimile. coniungitur cum ea ſententia.* conſentit cum eo prorſus APHTHONIVS, qui et γνώμην cum chria coniungit, et ita definit: χρεία ἐστὶν ἀπομνημόνευμα σύντομον, εὐστόχως ἐπί τι πρόσωπον ἀναφέρουσα· χρειώδης

δὲ ἔσα, προσαγορεύεται χρεία. i. e. *chria breuis eſt alicuius memorabilis dicti factiue commemoratio, ſcite ad perſonam aliquam id ipſum referens. et ab ipſo ſuo uſu chria nominatur.* p. 80. *edit.* BVRCHARDI STETINI cIↃ IↃC VII. 8.

(3) integrae orationes quum ex id genus ſententiis, uel chriis, conſtent: non felicius integrum corpus componet, quam qui membra prius adcurate formare nouerit. hinc recte fecerunt ſcholarum doctores, qui omni modo iuuentutem ad hoc exercitationum genus excitarunt. non me tamen fugit quorumdam inconſulta diligentia, qui nimium ſubtiliter, et copioſe, de his rebus praeceperunt, totque impediuerunt tamque perplexis praeceptionibus, ut in ipſa illa doctrina nihil minus, quam doctrinam; et in utilisſimis chriis, nihil minus, quam chrias inueniamus. WEISII, HVBNERI, LANGII, cum primis autem HENNINGII praecepta, tam ſpisſa ſunt ac disſoluta, ut nugari potius, quam disſerere diſcant, qui his obſequantur. ceterum uti hi in eo peccant, quod praecepta cumulant: ita cauendum etiam ab iis eſt, qui omnes reiiciunt chrias, et, quidquid antiquitatem ſapit, cane peius et angue fugitant. fundamentum enim ſuum in ipſa ponunt natura chriae; et finis, quem in conuictione hominum et commotione uoluntatis conſiſtere nemo negat, non facilius obtinetur, niſi per ſententiam, clare propoſitam, firmisſime demonſtratam, dilucideque inluſtratam. qui alias chrias quae-

quaerit, quae his non gaudent uirtutibus, delectet ſua ſe loquacitate: uirorum tamen plauſu prudentium numquam laetabitur.

§. II.

QVODSI, uti iuſtum eſt, ueteres ſequamur: tria praecipue chriarum obſeruabimus genera. alia enim uocatur λογικὴ (1), alia πρακτικὴ (2), alia μικτὴ (3), quarum ſuo quaelibet uſu ſeſe commendat, et exemplis inluſtrata eſt a ueteribus (4).

(1) λογικὴ chria, duce THEONE et APHTHONIO, uocatur, quae *ſolis uerbis commodam aliquam ſententiam profert.* eamdemque, aut nude recenſet, cum quodam auctoris elogio, quod ſaepe fit in auctoribus; aut uberius exponit, expoſitam demonſtrat, demonſtratam quibusdam luminibus inluſtrat. e. c. *DIOGENES philoſophus, interrogatus a quopiam, quam uiam cenſeret ad gloriam ineundam eſſe: reſpondit eam, in qua esſet gloriae neglectus.*

(2) πρακτικὴ chria iisdem auctoribus eſt, quando ſolo facto aliquo, absque dicto, peculiare quiddam indicatur. quod factum itidem, uel nude recenſetur, uel uberius exponitur, ad materiamque praeſentem adplicatur. ut: *quum PYTHAGORAS interrogatus esſet, quam longum ſit uitae humanae ſpatium, pauliſper ſe conſpiciendum dedit, mox occultauit, illoque ſpectaculo uitae menſuram indicauit.*

(3) μικτὴ chria, commixta eſt ex utraque praecedentium, atque non tantum factum aliquod recenſet, ſed ſententiam quoque prolatam eo tempore proponit, uel breuiter, uel modo copioſiori. ut, *DIOGENES*, *conſpecto adoleſcente improbo*, *paedagogum uerberauit*, *et ea*, *inquit*, *tua diſciplina eſt?*

(4) uti eius generis quaedam ſubiuncta ſunt a THEONE ſuis progymnaſmatibus; ita etiam ex ueteribus plura conlegit exempla IOACH. CAMERARIVS in *exercitationibus rhetoricis. p.* 78.

§. III.

OCTO plerumque (*) partibus conſiſtit, *chria*, uel *ſententia*. I. *exordio* uel ἐγκωμίῳ. II. *expoſitione* uel παραφράσει. III. *probatione* uel αἰτιολογίᾳ. IV. *contrario* uel ἐναντίῳ. V. *ſimili* uel παραβολῇ. VI. *exemplo* ſeu παραδείγματι. VII. *teſtimonio ueterum*, ſeu μαρτυρίᾳ παλαιῶν. et VIII. concluſione ſeu ἐπιλόγῳ βραχεῖ.

(*) offenderunt in eo non nulli, quod ſuperſtitioſe uel ad hunc ſe partium numerum, uel ad eumdem ordinem, adligarunt. quum enim illud principium ſit explicandi ſermonis; ut, ubi neceſſe ſit, inluſtremus, demonſtremus autem ſemper: non poteſt non interdum omitti paraphraſis, ubi ſenſus per ſe cla-

clarus eſt, atque etiam omitti parabola, ubi, praeter hanc, res intelligatur dilucidius. uti uero ad numerum tam ſuperſtitioſe aduigilandum non eſt: ita nec idem ſemper ordo partium debet obſeruari. qui inſtitutum ſuum obſeruat, libere uerſabitur, et tamen adcurate demonſtrabit et feliciter inluſtrabit. nec uero proinde eſt, ut, quod noui, ſi diis placet, oratores comminiſcuntur, nouas chriarum ſpecies ſcilicet *ordinatas et inuerſas*, *oſtenſionales*, *rationales*, *occaſionales*, et *reſponſionales*, excogitemus. quae nomina tantum abeſt ut iuuentutem labore leuent, ut obſcuriorem potius eum reddant, et ſpinis obſitum. ceterum quamquam hic partium numerus cuiuslibet meditationi relinquatur liberrimus: non male tamen uerſatus eſt in ea re APHTHONIVS; quin potius eius chriae, ſi cum cura pertractentur, multum ornatus adferunt orationi, quod ex plurimis auctorum locis egregie conſtat.

§. IV.

EXORDIVM, quo auctoris laus celebratur, prima chriae pars eſt. deriuatur uero illa, uel ab auctore, uel a re ipſa. ab auctore (1), quum eius dignitas, ſtudia, prudentia; a re ipſa (2), quum ſententiae honeſtas, dignitas, utilitas, iucunditas praedicatur.

(1) ſit e. c. illud dictum CICERONIS

pro PLANCIO : *pietas fundamentum eſt omnium uirtutum :* chria complectendum : illud ſequentem in modum fieri poteſt exordium.

ſi quis eſt alius, qui non modo natalium ſplendore ſed inluſtri quoque uirtutis dignitate, fulgidisſimisque eruditionis luminibus ſingularem mereatur laudem, CICERO eſt, cuius doctrina uel ſexcentis monumentis declarata eſt, in quibus maxime prolucet, quam de pietate, omnium uirtutum fundamento, protulit, ſententia.

(2) ſit CHILONIS dictum explicandum, tum exordium a ſententiae dignitate ita ſumeretur:

quum multa ſint, quae ad uitam prudenter inſtituendam, iuſtisque conſiliis imbuendam mentem pertineant: tum non dici poteſt, quantum conferat ad uirtutis ſtudium, felicitatemque promouendam, CHILONIS illud dictum: noſce te ipſum.

§. V.

SVCCEDIT *interpretatio* uel *facti*, uel *ſententiae:* quae tum demum optime inſtituitur, ſi, propoſitionis *ſubiecto* et *praedicato* rite expenſo, nexum illius ſententiae uberius paullo proponamus (*).

(*) quo abſtruſior eſt ſententiae alicuius mens: eo maiori opus eſt induſtria, ut re-

remotis iſtis allegoriae inuolucris, propriam uerborum ſententiam exacte ac dilucide proponamus retinebimus iam eadem exempla, quae dedimus ſupra. et in CICERONIANA quidem ſententia *paraphraſis* ſic poſſet elaborari.

ſalutare certe praeceptum, et chriſtiano, ne dum deorum uano cultore, dignum: quo nihil non ad diuini numinis cultum retulit, atque ab eo uirtutum reliquarum omnium rectiſſime deriuauit originem: immo ſine pietate nihil omnino, quod uirtute dignum ſit, conſiſtere poſſe, prudentisſimo adfirmat conſilio.

CHILONIS ſententia *interpretationem* hanc requirit.

quid enim aliud ſapientisſimus ille uir indicare uoluit? quam nihil adeo eſſe homini neceſſarium, nihil tam utile, tam ſalutare, tam proficuum, quam ut probe cognoſcat, quam ſit hominum miſera omnium uita, quam imbecilles intelligentiae uires, quam non perfectum, quidquid uel prudentisſimus quisque ſuſcipiat.

§. VI.

HANC excipit *probatio theſeos*, aut *aetiologia.* debet haec, ſi iuſte producta ſit, et rem tangat, fidem facere uel facto, uel ſententiae; ut prudenter ac iuſte, uel factum, uel dictum illud

eſſe, ſtatim a fronte ſingulis adpareat. (*)

(*) ex his uel caecus coniiciat, non id requiri, ut uel plauſtra conuehantur rationum, quae infirmae ſint, et nihil efficiant. ſed uel una, quae ex ipſa propoſitionis natura fuit deriuata, et neceſſarium nexum oſtendit, pluris aeſtimanda eſt, quam multae ficulneae. deducitur uero id genus ratio uel a *cauſa efficiente*, uel a *ſubiecto*, uel a *forma*, uel a *fine*, uel ab *effectu* cet. quidquid enim nexum neceſſarium habet cum *praedicato*, id rationem aliquam ſuppeditare poteſt. ſuperiorum exemplorum rationes cum exergaſia ſic ſe habent:

I. CICERONIS.

neque ſane eſt, quod quisquam, iniuſte ſic philoſophatum eſſe CICERONEM, dicat. ea enim eſt ſummum numen benignitate, ea gratia, eo fauore, ut quoties ardentibus ab eo precibus aliquid rogamus, ſanctiſſimo ſuo atque uberrimo ex fonte omnium nobis uirtutum lubentiſſime largiatur prouentum. quis uero ſaepius, quis ardentius, quis efficacius effundat uota, quam qui pietate inſtructus eſt?

II. CHILONIS.

quam primum enim homo ſe ipſum contemplatur: obſeruabit, eſſe multa in ſe imperfecta, quae, ut meliora quaerat, tamen, quo minus conſequatur, impediunt. diſcet uero ſimul, quam neceſſe ſit, ut, niſi omni uelit felicitatis ſenſu priuari, emendationem

nem tum intellectus , tum uoluntatis ſuſcipiat ; illius praecipitia deuitet, huius impotentibus motibus remoram ponat , omnemque moueat lapidem , ut , ſepoſitis ſenſim infirmitatibus , ad aliquam ſaltim perfectionem adſpiret.

§. VII.

HAE quidem primariae ſunt chriae partes, quae confirmationem ſententiae continent (1). ſequuntur nunc partes ſecundariae , quae inluſtrandae rei gratia proponuntur. in his primum eſt *contrarium* (2) , ubi uel propoſitiones *contrariae* , uel *contradicentes* ita ſermoni noſtro adtexuntur , ut clarior inde lux illis adfulgeat , ſimulque copioſior ipſa euadat oratio.

(1) hinc et factum eſt , ut pleraeque antiquorum chriae , praeſertim quas CICERO inſeruit ſuis orationibus , his tantum conſtent partibus : neque reiiciendi ſunt , qui et hodie illis utuntur.

(2) quum contraria , iuxta ſe poſita , magis eluceant : non poteſt non theſi noſtrae magna lux accendi , quando partis contrariae uel dignitas exponitur , uel malignitas. ſolemus enim plerumque rerum pretium ex oppoſitis maxime augere. ita panis primarii candorem non clarius conſpicies , niſi quum adponas ſe-

cundarium. ita mercator ille apud PLANVDEM, quum AESOPVM una cum duobus ſeruis aliis uenditurus eſſet, turpem in medio conlocauerat, ὡς παρα θέσει τῦ δυσειδῦς, καλλίυς, ἑαυτῶν τὺς νεανίας Φανῆναι quoties ergo in exponenda ueritate eius generis euidentia, quae ex contrario deriuatur, neceſſaria eſt: ſi eam quaeramus, non inique faciemus, ad exempla ut reuertamur noſtra, ita proponere haud uerebimur.

I. CICERONIS.

quem ad modum autem nihil eſt pietate utilius: ſic e contrario nihil eſt impietate pernicioſius. continet ea, tamquam circulus aliquis, non niſi conluuiem omnium uitiorum, quibus et deo aduerſantur inſolenter, et in amicos ſunt iniurii, et ſibi ipſis nocent uehementisſime. quidquid umquam uel horrendum excogitari, uel malignum concipi poteſt, in impietate iſta locum ſuum inueniet apertisſime.

II. CHILONIS.

at contra, qui ſeiunctus eſt ab hac ſui cognitione: quot malis circumdatus eſt! quot eum exſpectant labores, quot pericula, quot caſus! qui neſcit imbecillitatem ſuam: nec media ille circumſpicit, quibus eluctari ex hac miſeria ualeat. qui morbos, quibuscum conflictantur noſtrae intelligentiae uires, quibus decumbit uoluntatis natura, nec umquam cognoſcit, nec ſentit: quo modo illos depellere? quo modo conſulere ſuae felicitati? aut ſalutem promouere queat?

S.

§. VIII.

EXPLICANDVM iam eſt in partibus chriarum, illud, quod ὅμοιον aut *ſimile* uocarunt rhetores. nimirum quidquid in re notiori habet idem praedicatum quod noſtrae chriae ſubiectum, *ſimile* (*) uocatur, et rem ipſam ita conluſtrat.

(*) quum auditorum et lectorum, ad quos dirigenda eſt noſtra oratio, non idem ſit ingenium, nec eadem conditio: facile fieri poteſt, ut res fiat aliis obſcurior, quae aliis clara eſt. quam primum uero conlatio inſtituitur eius rei cum altera, cuius notior illis natura eſt: facile fit, ut ex eius comparatione praeſentis quoque modus et ratio apertior reddatur. ſunt uero res ſimiles, quibus idem adtributum eſt. quotiescumque ergo illud adtributum, quod in noſtra chria praecipuum eſt, occurrit etiam in re aliqua, praeſenti nobis notiore: toties illud ſimile multum ad perſpicuitatem confert. requiruntur uero ad illud conſtituendum partes duae. prima eſt ſimilitudinis *concluſio*, quae res iſtas, alteram notiorem, obſcuriorem alteram, coniungit. altera dici poteſt concluſionis *demonſtratio*, qua adtributum illud, in quo utrique rei conuenit, exponitur copioſius. adplicabimus et hanc doctrinam ad noſtra exempla.

I. CICERONIS.

quod in aedibus bene exſtructis ſolidum atque fir-

firmiſſimum fundamentum eſt: id in neceſſario uirtutum aedificio eſt pietas. uti enim illae, niſi fundamentum firmiter ſit iactum, uel aliquo exſurgente uento, facile corruunt: ita, niſi pietate ſubſtructae ſint reliquae uirtutes omnes, turpi lapſu nullo negotio prolabuntur.

II. CHILONIS.

qui in ſpeculo ſpurcitiem ac maculas faciei detegit, nullo fere labore ad eas abſtergendas perduci poteſt: ita, qui in ſanae rationis ſpeculo et mentis et corporis labes conſpicit, quin eas quouis modo ſit deleturus, uix ullus eſt, qui dubitauerit.

§. IX.

NEQVE non *exemplum*, quod *παράδειγμα* graeci iuſte dicunt (1), adducendum a nobis eſt. in quo uel ex ſacris, uel ex profanis litteris, idem prorſus, et cum chriae noſtrae ſententia congruens, exemplum, ad fidem faciendam, reique certam ueritatem (2) demonſtrandam, producimus.

(1) quoniam enim his exemplis manu quaſi ac digitis perſonas oſtendimus, quibus idem adtribuendum ſit, recte uocatur a graecis *παραδειγμα*.

(2) quando quidem cum primis id genus chria producenda eſt, qua uel ad uirtutem co-

cohortanda , uel a uitiis abſtrahenda eſt iuuentus : plerorumque ea eſt excuſatio, requiri a nobis ea , quae aut prorſus fieri nequeant , aut ſaltim uix umquam facta ſint. his non iuſtius poteſt occurri, quam eius modi exemplis, quibus rei ueritas ſanctisſime confirmatur. qua in re uti ſacrarum litterarum maxima eſt auctoritas : ita nec profanarum gentium plane reiicienda ; quum ſaepe ea nobis ſuppeditent exempla , quae chriſtianos in ruborem dare facile posſint. ſubiicimus noſtra exempla :

I. CICERONIS.

neque uero id CICERONIS ſolum fuit opinio, quam ex ſuperſtitioſo forte deorum cultu profectam eſſe, calumniari quis poſſet : ſed ipſi etiam chriſtiani, nullo non tempore, adducti PAVLLO duce , pietatem tanto praetulerunt uirtutibus reliquis opere, ut eam merito omnibus anteponerent.

II. CHILONIS.

nemo non illud in ipſa, quam formamus ad recti iuſtique morem , iuuentute animaduertet. is enim, qui ſe ipſum quotidie magis magisque perſcrutatur, ſuosque defectus detegit : nae ille die nocteque in id incumbit ſedulo, ut praeceptoribus dicto audiens ex profunda ſe et ſupina ignorantia proripiat. contra ea, qui ſe nec cognoſcit, nec, ut ſe cognoſcat, laborem impendit, non tantum in turpiores quotidie lapſus procidit ; ſed tenebrarum ignarus , pulcre ſibi ſapere, et prudentia magiſtrum ſuperare, ſtultisſime arbitratur.

§.

§. X.

Ad *teſtimonium* porro quod adtinet, conſiſtit illud in ſententia quadam auctoris alius, quae, quod ad ſenſum pertinet, prorſus cum chria conuenit, atque ſuo conſenſu (*) eam inluminat.

(*) illud enim teſtimonium, ſi quod adferendum eſt, declinandae inuidiae cauſſa adfertur. quodſi enim proponimus ſententiam, quae amara eſt atque acerba: moroſitatis facile poſtulamur, niſi et alios nobis cum ſenſiſſe comprobemus. quo in negotio quum ad auctoritatem prouocandum ſit: eo maior habebitur fides, quo dignior eſt auctor, ad cuius conſenſum prouocamus. et quum ſacrarum paginarum auctores polleant maxima inter chriſtianos auctoritate: praeferendi etiam ſunt aliis. ex profanis autem illi, quorum ſapientia et uirtus ante alios eminuit. dabimus iam noſtra exempla:

I. CICERONIS.

uultis ipſum PAVLLVM, *diuini uerbi praeconem ſanctiſſimum, audire? pietas, inquit, ad omnia utilis, gaudetque promiſſione, non huius tantum, ſed futurae etiam uitae. haec ille. nec aliter ipſe* CORNELIVS SEVERVS *canit:*

— — — o maxima rerum
et merito pietas homini tutiſſima uirtus!

II.

II. CHILONIS.

quod ſi quis ad fidem faciendam prouocandus ſit, uel unicum THALETEM prodire iubeo, uirum eo magis hic laudandum, quo magis eodem, quo CHILO, a graecis honore habitus ſuit. is uero rectiſſime, difficile eſt, inquit, ſe noſſe, ſed beatum.

§. XI.

Agmen denique claudit ἐπίλογος ſeu *concluſio*, in qua id ſolet requiri, ut uel auctor is, ex quo deſumta ſententia eſt, uel ſententia ipſa, laudibus condecoretur. aut etiam adhortatio ad auditores, uel dehortatio, (*) ſubiungatur.

(*) chriae aut conſiderantur, ut partes ſunt integrae orationis, aut oratiunculae per ſe ſubſiſtentes. illae omnino carent epilogo, quippe qui ſub finem demum ipſius ſermonis ſubiungitur. hae uero *concluſionem* hanc imitantur, idque omne pertractant, quod generatim de *concluſionibus* ſolet praecipi. dabimus itaque nunc tantum exemplorum noſtrorum concluſiones :

I. CICERONIS.

quum ergo tanta ſit pietatis utilitas, quid magis conueniat uobis, iuuenes optimi! quam ut illi ſtudeatis ſanctiſſime. quotquot uberrimam uirtutum meſſem aliquando exſpectatis, iam ſerendi tempus eſt!

eſt! preces ad immortale numen effundite, ut largiatur uobis pietatem, quae fundamentum eſt omnium uirtutum.

II. CHILONIS.

agite ergo, o mei! quamquam non minimis res haec prematur difficultatibus; quamquam multi ſint, qui hanc uiam prorſus negligant: tamen, quum tot circumfuſa ſit felicitatum generibus; quum tanto uos beare fructu posſit: omnem quaeſo adhibete operam, ut numquam obliuiſcamini, ſed quotidie uobis ipſis inſuſurretis: γνῶθι σεαυτόν.

PARS IV.
DE EXERCITIIS STILI
CAP. III.
DE EPISTOLIS EXARANDIS.

ORDO DICENDORVM.

epiſtolarum ratio, multi iam eam oſtenderunt, quorum nos dabimus compendium §. I.

epiſtolae uel ſunt familiares, uel elaboratiores §. II.

familiares uel in uno ſubſiſtunt argumento, uel ad plura delabuntur §. III.

prioris generis quomodo tractandae §. IV.

poſterioris generis quaenam ſit natura et conſtitutio §. V.

elaboratiores epiſtolae uel unum uel plura complectuntur argumenta §. VI.

quae de pluribus agunt argumentis quomodo ſcribendae §. VII.

quae de uno aliquo argumento tractant, quomodo conficiendae § VIII.

quid in exordiendis et finiendis epiſtolis obſeruari mereatur §. IX.

§.

§. I.

ALIVD exercitii genus eſt, quod maxime commendandum eruditis uidetur, nimirum *epiſtolae conſcribendae* ratio. qua in re quum innumerae doctorum manus uerſatae (*) iam fuerint: ſuperuacaneum iudico laborem, qui iam recoquendis adhiberetur praeceptis. abſtineremque ab eo plane calamum, niſi propoſiti natura operis compendium aliquod a me poſtularet.

(*) labores iſtos recenſent copioſe ſatis DAN. GEORG. MORHOFIVS, de *ratione conſcribendarum epiſtolarum cap.* III. *p.* 89. *ex edit.* IO. *BVRCHARDI MAII*, cuius confer ſimul *adnotationes*, IO. GEORG. WALCHIVS in *biſtor. critica. latin. linguae cap.* XV. §. X. *p.* 778. *ſeq.* IO. GOTTLIEB HEINECCIVS in *fund. ſtili lat. p.* 152. *ſeq.* fuſiſſime uero omnium celeberrimus HALLBAVERVS in *inſtitutionibus ſtili latini p.* 507. *ſeqq.*

§. II.

SVNT uero epiſtolae mutua cum abſentibus conloquia. quaeue adeo ad conloquium materiae trahi poſſunt, illae in epiſtolis etiam locum obtinent. ad duas tamen praecipue claſſes reuocari poſſunt, quarum alteri *familiares*, alteri conſecramus *elaboratiores* (*).

(*) quamquam enim non negamus, produci ab aliis uarii generis claſſes, quas proponit etiam HALLBAVERVS *l. c.* et ſollertisſime declarauit BENIAMIN NEVKIRCH: omnes tamen denuo redibunt ad has, quae a nobis iam nominatae ſunt. aut enim fabulamur cum amicis, quibuscum nobis familiarior uſus eſt; aut cum uiris dignitate praeſtantioribus. idem in ſcriptis obtinet litteris: atque adeo duplici modo litterarum etiam tractatione utemur.

§. III.

AD epiſtolas *familiares* quod adtinet, non eruditas illas theologorum, iuris conſultorum, medicorum, philoſophorum, aut criticorum litteras moramur (*), quae diſſertationes meliori iure nuncupantur: ſed quae de rebus uariis ad amicum ſcribuntur, et fere quotidianis. quaedam illarum *in uno* ſubſiſtunt *argumento*, quaedam in *pluribus* occupantur.

(*) recenſet id genus epiſtolas HEINECCIVS in *fundam. ſtili cult. p.* 154. *ſeq.*

§. IV.

QVAE in uno quodam argumento ſubſiſtunt, rem ipſam per theſin aliquam tractant, ita ut, praemiſſa propoſitione, argumenta ſubſequantur;

quae,

quae, ſicubi uacat, adluſionibus quibusdam ad hiſtorias, ſimilibus, et teſtimonio inluſtrantur. qua in re tamen libere agunt, neque pluribus et copioſis uerbis utuntur, ſed rem indicant magis, quam explicant. (*)

(*) non neceſſe eſt, ut ad amicum ſcripturus exordio ſemper utatur: felicius ab ipſa re orditur epiſtolam. neque etiam, quod non nulli faciunt, ad confirmationem adiicenda eſt confutatio, quum; in rebus pauciſſimis, niſi coacte, locum inueniat. errant mea ſententia, qui ueterum epiſtolas ad hunc morem reuocant. uix centeſima eſt, quae iſta queat ueſte indui. libere ſcripſerunt, ut materiae poſtulabat dignitas. proponebant argumentum ſuisque rationibus confirmabant. nihil de confutatione, niſi ubi refutanda ſuppeditaret ipſum argumentum, cogitatum eſt. ita ſcribit CICERO ad *diuerſos lib. XIII. epiſt. XI.* qua commendat BRVTO legatos arpinates, ut illorum uectigalia tueatur. praemittit

I. occaſionem commendationis
ego ſum arpinas: et meis municipibus faueo.

II. antecedens: *legati illorum miſſi ſunt ad uiſenda uectigalia, quae in gallia habent.*

III. conſequens, aut propoſitio: *commendo tibi eos maiorem in modum.*

IV. rationes conſequentis.

1. *bonos uiros adiunxeris ad tuam neceſſitudinem.*
2. *municipium tibi deuinxeris.*
3. *mihi gratum feceris.*
4. *filioque meo, et fratris filio, qui aediles ſunt.*

IV. CONCL. *quod ut facias, te uehementer rogo.*

in epiſtola ſequenti ad eumdem BRVTVM ſcripta, breuior eſt, atque a re ipſa exorditur.

I. PROPOSITIO: *commendo tibi FVSIDIVM.*

II. AETIOLOGIA

1. *eſt meus neceſſarius.*
2. *priuignus CAESII mei familiaris.*
3. *fuit mecum tribunus militum optimus.*
4. *ab noſtris ſtudiis non eſt abhorrens.*

III. CONCLVSIO: *quare denuo commendo eum.*

§. V.

DANTVR uero et epiſtolae, quibus plura ſimul momenta continentur, ſcribunturque ad familiares, quae ſcire eos uolumus. in quibus quum aut nexus quidam fieri poſſit; aut nude omnia proponi: illas referimus ad *elaboratiores*; has ad *familiares* (*).

(*) quum ea ſit inter eruditos, quorum amicitia certa eſt, coniunctio, ut decoram aliquam negligentiam haud male interpretentur:

tur : commodiſſima eſt ea ſcribendi ratio, qua, quum plura perſcribenda ſint, quo in mentem ueniunt, ordine conſignantur, quamquam haud inter ſe nexu gaudeant aliquo. ita enim, ad remotiores amicos, ad quos ſaepe longiores dandae forent litterae, paucis multa poſſunt comprehendi. ita multae ſunt ex CICERONIS, ad ATTICVM praecipue, epiſtolis conſignatae. ad *diuerſ. lib. XII.* XXVIII. ſequentia ſcribit ad CORNIFICIVM :

1. *qui lilybaeo minabantur, maiorem poenam promeruere.*
2. *gratulor de ſocietate rei publ. conſeruandae inter nos renouata.*
3. *gratias agere inter amicos non decet.*
4. *de pecunia per ſenatum agi non poteſt.*
5. *cenſeo tibi mutuum ſumendum.*
6. *quid in republ. agatur, a tuis moneris.*
7. *ego acerrimus hoſtis ſum hoſtium reip.*
8. *respubl. facillime conſeruabitur.*

§. VI.

ELABORATIORES (*) quae dicuntur epiſtolae aeque uerſantur in duplici negotio, ut uel de uno aliquo argumento, uel de pluribus perſcribantur.

(*) elaboratiores uocamus epiſtolas, quas alii *ſelectiores* uocant, quum uel ad patronos, uel eruditos, non familiares nobis,

et magnae dignitatis, quaedam ſcribenda ſunt.

§. VII.

QVAE de pluribus argumentis exarantur, litterae ita ſunt heic conſtituendae, ut inter propoſitiones iſtas nexus (1) aliquis indagetur, quo uel ad unum aliquod genus referantur (2), uel a ſimilitudine et diſſimilitudine propoſitionum iunctura deriuetur (3).

(1) in familiaribus epiſtolis ſine connexione diuerſae iunguntur materiae: at in his, ubi maior cura regnare debet, adcuratior iunctura excogitatur. ut uel exinde aliquod ingenium eluceat, et commendemus nos apud uiros doctos.

(2) ſic quando ad uirum aliquem celebrem eſſent, quae ſequuntur, perſcribenda.

1. *eodem, quo tu, adſectu ſum.*
2. *doleo uxoris tuae acerbiſſimum obitum carmenque mitto.*
3. *gratulor de honoris nouo augmento.*
4. *communico tecum quaedam ſchediasmata,*
5. *commendo tibi fratrem meum.*

omnia poſſent referri ad unum aliquem fontem, ex quo cuncta fluxerunt, nimirum ad *reuerentiam*, quo colimus patronum, et ita facile ſequentes elaboraremus litteras: I.

I. *cultus ille V. E. quo te per multos iam annos proſequutus ſum, et reuerentia, qua te adhuc ueneror, dudum eum in me produxit ſenſum, ut, quo tu adficeris dolore, quo tu laetaris gaudio, eodem et ego gaudeam, idemque doleam.*

II. *quid mirum ergo, quod nuper acerbisſimus ille, de uxoris tuae lectisſimae obitu praematuro, nuntius meam etiam mentem uehementisſime adflixerit? mihique, quod te lacrumari ſentirem, lacrimas expresſerit amarisſimas? ſoluerunt ſe in illud, quod adiectum uides, carmen; ſi forte ex dolore clientis ſolatium capere posſis.*

III. *ex eodem uenerationis fonte gaudium illud, quo de honoris tui ſplendido efferor augmento, deriuabis. quo maiori te ueneror cultu: eo maiori, mihi crede, ſenſu adficior, quoties dignitatis tuae, quas quotidie promereris, nouas accesſiones auribus meis percipio.*

IV. *non dedignaberis uero, ſi et quasdam tecum communicare lucubrationes meas ſuſtineam. quando enim recte te noui: pro ea, qua polles, doctrina atque humanitate, eas perluſtrabis benigne, quaeue obelo notanda, quaeue calculo probanda, humanisſime ſignificabis.*

V. *uide quantum tua me adliciat humanitas,*

qui iam commendare fratrem meum audeam! uerum uti me olim benigne admiſiſti: ita, certam ſpem foueo, fore, ut ad eamdem quoque gratiam aditus pateat fratri, qui ſtudio et officiis nemini cedet. uale!

(3) ſi inter propoſitiones eius modi eſt repugnantia, ut ad unum aliquod genus nequeant referri: conſignandae primo propoſitiones ſunt; tum uidendum, quomodo uel a ſimilitudine, uel a contrario, uel a relatione cauſſarum et effectorum, poſſit aliquis nexus inueniri: quod, cui non omne denegatum eſt ingenium, haud difficulter procedet. fingamus propoſitiones.

I. *mortuus eſt CESTIVS, praeclarus criticus.*

II. *conſtituta eſt noua academia.*

III. *IOANNES aegrotat.*

IV. *TRIBONIVS ad munus publicum admotus eſt.*

V. *bellum in uicinia noſtra feruet.*

VI. *edidi quaſdam lucubrationes.*

nexus propoſitionum harum is poteſt fingi:

I. *quum nuperis V. E. litteris, ut, ſi quae noua cognoſcerem, tecum ea communicarem, rogares: non potui non, ut tuo ſatisfacerem deſiderio, CESTII praematura fata perſcribere. fuit hic uir, quem noſti, et criticus ornatisſimus, et orator praeclarus, qui CICERONEM non ſuperauit tantum; ſed et ſatyris in illum*

illum ſcriptis, eius ſtultitiam, ignorantiam, et uentoſam loquacitatem maſcule detexit. ſed uti ſunt, quae bona, fragilia: ita flagellum illud CICERONIS haud ita pridem uitam cum morte commutauit.

II. *dolendum hoc eius fatum eſt eo magis, quod non incertus rumor uagabatur, fuiſſe eum inter profeſſores nuper conſtitutae academiae cooptandum: quam ſpartam eleganti quodam carmine dicebatur promeruisſe.*

III. *haud procul abeſt ab eius fato IOANNES noſter, qui, quod dolemus ex animo, rei litterariae et boni publici causſa, lecto adfixus grauisſime decumbit, non capite tantum laborans, ſed comitiali etiam morbo correptus.*

IV. *grauisſime doleret ciuitas noſtra, et uix conſolationem admitteret, niſi de TRIBONIO ad dignitatem publicam euecto plures laetandi causſas haberet. pollicetur enim ſibi de uiro hoc, aſtraeae genuino filio, multa praeclara, quae ſibi omnibusque bonis emolumento cedent certisſimo.*

V. *quo maiorem uero noſtra ciuitas laetandi causſam ſentit: eo triſtior eſt uiciniae noſtrae facies, in quo martis auſteri arma etiam num dominantur et miſeram regionem perdite uexant.*

VI. *ita furit miles, et ſolet etiam erudito-*

rum labores impedire. ego tamen pacis ſtudioſus quum undique circumdatus ſim armis, et nil niſi belli tumultus et militum clamores audiam: muſis tamen me conſecraui, atque opuſcula aliquot elaboraui, quae iam tecum communico. uale!

§. VIII.

SED, quae de uno argumento, cum cura pertractando, ſollicitae ſunt litterae, thema ipſum ex occaſione ſcribendi deſumunt (1); quod deinde argumentis firmis corroborant (2) pluribus. ſi occurrant inluſtrationes commodae (3), uberius producuntur, ſtiloque grauiori (4) paullulum quam in familiaribus exponuntur. argumentorum conlocatio libera cuiuis permittitur (5).

ſic in epiſtolis *gratulantibus* thema eſt; *gratulor de nouo anno, de munere publ. de matrimonio feliciter contracto*, cet. in *conſolantibus: patienter ferendum eſt malum tuum.* in *commendatitiis: commendo tibi CAIVM de meliori.* cet. ad hanc propoſitionem tamquam ad centrum aliquod conlineare debent argumenta ſingula, ut eam aut probent, aut inluſtrent ſaltim.

(2) praecipuum hoc eſt, ut in oratione omni, ita in epiſtolis quoque, ut argumentorum pondere utamur, probemusque id, quod propo-

ponimus, adcurate. illa uero petuntur uel ex perſonis, ad quas ſcribimus aut de quibus; uel ex rebus, de quibus inſtituitur ſermo: ut adeo, ad alia confugere non neceſſe ſit ei, qui propoſitionum iuncturam, earumque rerum cognitionem ſibi adquiſiuerit. ſaepe etiam circumſtantium natura copiam argumentorum ſuppeditat. ita CICERO ad *diuerſ.* I. VI. ubi LENTVLVM conſolatur, duplici argumento utitur, quorum (I) deriuat *a rei natura* (II) *a ſe ipſo.* et ſubiungit conſolationem ipſam. ſic etiam SVLPITIVS in eleganti epiſtola, qua CICERONEM de obitu TVLLIAE ſuae conſolatur *lib.* IV. v. ſequentibus uſus eſt argumentis I.) a *ſtatu praeſentis temporis*: plura ſibi iam erepta eſſe in re publ. quam liberos. II.) a *ſtatu mortuae*: optime cum illa eſſe actum. III.) a *ſtatu ſui ipſius*, qua ratione ipſe SVLPITIVS fuerit ſe conſolatus. IV.) a *comparatione cum uiris ſummis.* V.) a *perſona CICERONIS*: non decere uirum grauem tantas lamentationes. hunc in modum, qui rerum naturam perſonarumque ſtatum intellexerit, facile argumenta poterit inuenire.

(3) quem ad modum in rebus omnibus non liberum tantum eſt; ſed neceſſitas etiam requirit, ut inluſtris et clara ſit noſtra oratio: ſic poſſe quoque in epiſtolis ſcribendis uſum aliquem eſſe *ſimilium*, *exemplorum*, *contrariorum*, nemo non uidet. illud tamen nolim, ut ſingulas ad modum chriae aphthonianae litteras elaboremus; ſed libere uerſan-

ſandum eſt, ut, ingenium quo tendat, adparere poſſit. neque etiam in adducendis illis copioſi ſimus, ſed uel adluſione aliqua facta, uel quouis modo breuiore, illud ſuſcipiamus. uide CIC. *lib.* VII. *ep.* VI. V. v. V. XII. ceterum ſententiis moralibus copioſius paullo immorandum, quum illud demum ſit epiſtolarum genus elegantisſimum; in quibus moratum dicendi genus regnat.

(4) in epiſtolis familiaribus quum perſpicuitas puritasque regnet: grauitas ornatusque aliquis in his elaboratioribus accedat, neceſſe eſt. maiori enim cura quum loquamur cum uiris grauibus: idem etiam in ſcribendo eſt obſeruandum. utque tenuis character decet familiares illas: ita mediocris huc uocandus eſt, de quo, quae notanda ſint, expoſitum eſt ſupra.

(5) quando quidem hac libertate uſi ſunt ueteres, uti aut argumenta praemitterent propoſitioni, quod uidemus ex obſ. (2); aut propoſitionem argumenta ſequi iuberent; noſtrumque non tantum eſt, imitatione ueteres exprimere, ſed et libere imitari: nemo non uidet, idem, quod illis, nobis quoque licere.

§. IX.

RESTAT ut de exordio et concluſione quaedam dicamus. utrumque uel dari, uel omitti poteſt. uirtus eſt exordii primaria, ut ſelectum ſit (1) et breue (2)

(2), idem de concluſione dicendum (3). ceterum in honorum titulis cautio eſt, ne aut barbariſmis (4) nos inquinemus, aut antiquitatis ſtudio (5) gratia ſuperiorum excidamus.

(1) ſolent plerumque, ubi ſunt exordia, peti ab occaſione ſcribendi, quod et SVLPICIVS facit in *conlectione* CICERON. IV. V. ubi CICERONEM conſolatur de morte TVLLIAE: *poſteaquam*, inquit, *mihi renunciatum eſt de obitu TVLLIAE, filiae tuae, ſane quam, pro eo ac debui, grauiter moleſteque tuli, communemque eam calamitatem exiſtimaui: qui ſi iſtic adfuiſſem, neque tibi defuiſſem, coramque meum dolorem tibi declaraſſem.* cet.

(2) ne materiae, quae explicanda eſt, praeripiamus locum, ſuaque breuitate nos delectet, aut ad ſequentia nos facilius admittat. ita CICER. *lib. IV.* VII. *etſi eo te adhuc conſilio uſum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipſe diſſentiam, ſed quod ea te ſapientia eſſe iudicem, ut meum conſilium non anteponam tuo: tamen et amicitiae noſtrae uetuſtas et tua ſumma erga me beneuolentia, quae mihi iam a pueritia tua cognita eſt, me hortata eſt, ut ea ſcriberem ad te, quae et ſaluti tuae conducere arbitrarer, et non aliena eſſe ducerem a dignitate. it.* IV. X. XII. V. XII.

(3) docebit res ipſa, quae cum primis concluſio locum habere poſſit in noſtris epiſtolis; permittendumque id omne eſt cuiusuis ingenio.

nio. aut enim uotum aliquod, aut amoris pollicitatio, aut oblatio officiorum, et quae ſunt reliqua, commendantur. breues ſunt plerumque apud CICERONEM. VI. II. III. VII. V. VIII. VI. X. XII. IX. VI. XIII.

(4) ſic barbare a non nullis adhibentur dignitatis uocabula, quibus in *abſtracto* uſus nouus adfingitur. *ueſtra claritas*, *ueſtra dominatio*, quae in epiſtolis obſcurorum uirorum utramque paginam faciebant, reliquaeue id genus uoces, cauendae ſunt. cum quibus conſentit mos ille utendi tertia perſona, loco ſecundae, aut plurali, loco ſingularis. *quam primum ueſtra claritas mihi reſcripſerit: faciam uos et de meo ſtatu certiores.* neque fas eſt in principio paginarum ſalutationes illas: שלום: χαίρειν: εὐπράττειν ponere, quae iniucunda ſunt latinis auribus et ſtribliginem produnt.

(5) quod ſi enim ſcribamus ad eruditos litterarum romanarum peritos, eo genere utimur, quo ſolebant ueteres. apud alios uero, quos dignitas ordinis ſupra eruditos poſuit, iis moribus abſtinendum eſt, ne de honore ſibi aliquid detractum arbitrentur, utendumque hac formula in principio:

VIR EXCELLENTISSIME!

aut

VIR INLVSTRIS ac MAGNIFICE!

in ſubſcriptione his uerbis:

inluſtris dignitatis tuae

aut

EXCELLENTISSIMI NOMINIS TVI

cultor obſequentisſimus

PARS

PARS IV.

DE EXERCITIIS STILI.

CAP. IV.

DE ORATIONIBVS ELABORANDIS.

ORDO DICENDORVM.

alia eſt in plerisque noſtrorum alia antiquorum orationum ratio, duo dantur apud nos genera §. I.

alterum complectitur declamationes, quid hae ſint? § II.

quodnam thema eligendum et illius fontes §. III.

quomodo argumenta, quae ad fidem faciendam pertinent conquirenda, et quomodo diſponenda. §. IV.

elaboratio partium fit uel per ſyllogismum, uel per enthymema, uel per chriam. §. V.

quid de exordiorum inuentione et diſpoſitione ſtatuendum §. VI.

in concluſione quaenam notanda §. VII.

quonam dicendi génere hae orationes ſcribendae. adduntur oratores legendi §. VIII.

alterum genus complectitur panegyricos ſermones; eorum definitio §. IX.

tractandi ratio eſt uel analytica uel ſynthetica §. X.

argumenta ex ipſius de quo dicitur hiſtoria ſunt deſumenda §. XI.

quomodo partes ſingulae tractandae? quid locus communis? tractandi ratio §. XII.

quaenam exordiorum et concluſionum conditio ſit §. XIII.

reliqua ſcribendi exercitia cur a nobis omittantur §. XIV.

§. I.

QVVM longe alia eſſet apud graecos pariter atque latinos rei publicae ratio,

tio, aliusque modus oratione publica utendi, quam apud nos eſt: nemo facile mirabitur, tria, quae tum celebrabantur, cauſſarum genera, apud nos partim exoleuiſſe, partim leuioris eſſe utilitatis. duo ſunt genera nobis orationum reliqua, quorum alterum *declamationes*, aut *orationes ſcholaſticas*; alterum in *ſollemnitatibus academiarum*, aut *gymnaſiorum*, *orationes panegyricas* continet (*), quas iam miſſis ambagibus explicabimus.

(*) copioſiſſimae ſunt praeceptiones, quae de orationibus ſcribendis egerunt. in quibus multae inſigniter ſcriptae, praecipue *rhetorica marchica*, ut adeo et hic labor ſuperfluus uideri queat. uerum inſtituti ratio, quae hoc opus omnino requirit, effecit, ut compendium aliquod, in quo nihil ſuperfluum ſit, nihil etiam deficiat, conficiendum putarim.

§. II.

DECLAMATIONES ſunt nobis eius modi orationes, quae, uel in academiis, uel in ſcholis, de rebus theologicis, iuridicis, aut aliis, eruditionis eloquentiaeque cauſſa, habentur (*).

(*) eius generis fuere, quas uel MVRETVS, uel MAIORAGIVS, uel CVNAEVS, aliique habuerunt. a quibus non excludimus, quae a iuuentute exercendi ingenii cauſſa, aut uale dicendi ritu, recitantur. §.

§. III.

QVI id genus declamationes habiturus eſt, de *themate* primum ſit ſollicitus: quod neque *uulgare* nimis ſit, nec *longius* etiam *petitum*; ſed *iucunditate* ſua et uſu ſe commendet, *dignumque* ſit *perſonis*, *loco*, atque *tempore* (*).

(*) prudentiae ratio ſuadet, ut, quod uulgare eſt atque tritum, repudiemus; niſi noua ratione queat inluſtrari: ne crambem bis coctam cum auditorum faſtidio adponamus. quod uero longius eſt remotum ab uſu, dedecet grauitatem uirorum, quos muneris ſanctitas ad utilitatem publicam obligat. iucunditas auditores adlicit remouetque taedium; quam is exhibebit potiſſimum, qui argumentum eliget, quod neque a perſonae loquentis, neque audientis, dignitate abludat, conueniatque tempori ſimul ac loco, quo habentur iſtae orationes. themata ipſa dabit notus iſte uerſiculus: *quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?* ſic ex περιστάσει *quis?* deriuari poſſent themata? *de officiis oratoris; de dignitate profeſſoris eloquentiae;* ex περιστάσει quid? *de natura uerae eloquentiae; de diſcrimine inter eloquentiam ueram et loquacitatem;* ex περιστάσει *ubi? de LVBECA, eloquentiae perpetua fautrice; de LVBECA infucatae loquacitatis hoſte acerrima.* ex περιστάσει *quibus auxiliis? de uſu exercitationum ad comparandam eloquentiam;* de *CICERONE*,

conſummati oratoris exemplo. quaeſtio *cur?* ſuadet dicere *de uſu eloquentiae in omnibus diſciplinis: de cauſſis corruptae eloquentiae.* quaeſtio *quomodo?* ſuppeditat themata: *de iis, quae fugienda ſunt futuro oratori; de genuina eloquentiam tractandi ratione.* denique quaeſtio *quando?* excitabit nos, ut dicamus *de reformata per LVTHERVM eloquentia. de uſu, quem academiae praeſtant genuinae eloquentiae.* ſic XIV. de una eloquentiae forma uidemus themata, quae quiuis, niſi cui deeſt omne ingenium, eodem modo inuenire in materiis reliquis, commodisſimumque ſeligere poteſt facile.

§. IV.

ELECTO ex hiſce thematibus optimo, ad *argumenta* conquirenda, inluſtrationesque comportandas, ueluti ex uariis floribus mel ſuum apes, animum aduertat orator (1), easque ad certas claſſes redigat (2), quae partes ſunt futurae orationis.

(1) ſolent hic praecipue commendari tamquam genuini argumentorum fontes *loci topici.* at uero, uti non negamus, fuiſſe illorum aliquem in tribus iſtis cauſſarum generibus uſum: ita, quum horum necesſitas ſit nulla, locis etiam illis haud aegre carebimus. tutior uia eſt rerum natura, illiusque diſciplinae, ad quam thema pertinet, cognitio. haec enim quum in illis

illis contineantur, ex iisdem etiam lucem ampliſſimam accipiunt. neque tamen omnia, quae de eodem argumenta conquiri poſſunt, dicenda etiam ſunt; ſed optima tantum ſeligenda et utiliſſima.

(2) pertinet hoc ad *diſpoſitionem orationis*, cum primis ipſius tractationis. narrationem enim, confirmationem, et confutationem, quas partes neceſſarias putabant ueteres, in omnibus noſtris orationibus locum habere non poſſe, cuiuis perſpicuum eſt. relinquitur, ut ad quasdam claſſes, quae argumenta ſunt, redigamus, easque, ut partes orationis, tractemus. ſic quum dicendum eſſet ex ſuperioribus: *de uſu eloquentiae in diſciplinis reliquis:* res ipſa loquitur, partes hic requiri quatuor, oſtendendumque uſum eloquentiae 1) in *theologia.* 2) in *iuris prudentia.* 3) in *medicina.* 4) in *philoſophia.*

§. V.

TVM uidendum eſt, qua ratione ſingulae iſtae partes poſſint exponi curatius, et cum fructu elaborari. poteſt et illud ad normam ueterum fieri, aut per *ſyllogiſmum oratorium*, aut per *enthymema*, aut per *chriam.* (*)

(*) qua ratione poſſint ſingula haec pertractari, expoſitum ſupra de *imitatione*, et

 de

de *ebriis* capite ſingulari. interea, ut ne huic loco deſit exemplum, conſtruamus aliquam diſpoſitionem, in qua et ſyllogiſmi, et enthymematis, et chriae, habeatur ratio. ſit thema: de *uſu eloquentiae ſacrae*: partes ſint tres: uſus enim ſe exerit I. *in erudiendis hominum animis*. II. *in commouenda eorum uoluntate*. III. *in erigendis adflictis*. partem primam exponamus per *ſyllogiſmum*, ubi occurrit

I. MAIOR. *quodcumque hominum animos erudit, illud omnino eſt ſummae utilitatis*. ubi eſt

1. ipſa PROPOSITIO
2. AETIOLOG. *ea enim cognitio ad felicitatem aeternam conducit*.

II. MINOR. *eloquentia ſacra erudit hominum animos*. ubi

I. PROPOSITIO ipſa

II. AETIOLOGIA. nam

1. docet homines uiam ſalutis

α. AETIOLOG. *quoniam ſacram ſcripturam, quae uiam ſalutis continet, explicat*.

β. INLVSTRATIO: *quod nauigantibus eſt pharus, quod proficiſcentibus in tenebris lucerna, id hominibus ſcriptura ſacra*.

2. conuincit homines de ſua ignorantia et imbecillitate naturali.

α. AETIOLOGIA. *oſtendit enim ho-*

homines omnes per primorum parentum lapſum omnem rerum ſpiritualium ſenſum penitus amiſiſſe.

β. AETIOL. *oſtendit neminem ſibi ad cognoſcendam diuinam ueritatem, niſi per uerbum diuinum, poſſe facem praeferre.*

3. exponit *rerum ſacrarum capita praecipua, et aduerſus hoſtes communit.*

III. CONCLVSIO. *ergo eloquentia ſacra ſummam praeſtat utilitatem.*

alterum argumentum exponamus per enthymema quoddam, ſequenti ratione.

I. MINOR. *eloquentia ſacra commouet hominum animos.* namque

1. *incitat peccatores ad deteſtanda peccata.*
   INLVSTRATIO exemplo NATHANIS.
2. *excitat in iis metum poenarum.*
3. *excitat in fidelibus amorem.*
4. *excitat fiduciam.*
5. *excitat deſiderium uitae aeternae.*

II. CONCLVSIO. ergo *eloquentia ſacra ſummae eſt utilitatis.*

tertium argumentum per chriam poteſt pertractari, ubi eſt

I. THESIS. *eloquentia ſacra uſum praeſtat in erigendis adflictis.*

II. AETIOL. *nam proponit ipſis conſilium, clementiam, amoremque diuinum, quo certam ſibi ſpem polliceri posſint* idque

1. *in rebus, quae ad corpus tantum ſpectant:* ubi oſtendit

   α. *eſſe omnia mala nobis immiſſa, ut a peccatis retrahamur.*

   β. *patienter eſſe ferenda, quae tam ſapiens numen immittat.*

2. *in rebus ſacris:* ubi docet

   α. *explorandi cauſſa ſaepe ſimulare iram deum.*

   β. *numquam permiſſuram eius infinitam miſericordiam, ut nos relinquat penitus.*

III. INLVSTRATIO ab exemplo: *ſic PAVLLVS et reliqui apoſtoli, ſua diuiniori eloquentia feliciſſime uſi ſunt in chriſtianorum adflictione ſedanda, conſolandisque illorum animis.*

IV. CONCLVSIO. *adparet inde, quanta ex eloquentiae fontibus ſacrae deriuanda ſit utilitas.*

§. VI.

SOLENT etiam hiſce orationibus praemitti exordia quaedam, quorum notanda non modo eſt inueniendi ratio (1); ſed proponendi etiam conſtruendique modus (2). pro rerum digni-

tate

tate ſubiicitur aut breuior aut longior inſinuatio, qua beneuolos nobis auditores (3) reddimus.

(1) ſunt exordiorum fontes in omnibus fere libellis rhetoricis expoſiti, ut, qui eos conſulat, non posſit non facillime elegans ſibi et ad ſcopum proxime conlineans exordium eligere. qua in re conſilium CICERONIS nemini non commendandum eſt, qui, omnibus conſideratis, quae ad integrum orationis corpus pertinent, tum denique id, quod primum eſt dicendum, poſtremo ſolebat cogitare, quo uteretur exordio. qui aliter facit, ea ſibi praecipit, quae meliori iure conlocanda erant in ipſa oratione. ceterum ut ſupra in thematum inuentione uerſiculum illum: *quis? quid? ubi?* cet. commendaui, ita quin et in exordiis posſit uſum praeſtare ſuum, nullus dubito. confer *rhetoricam marchicam* BEROLINI CIƆ IƆCC XIV. 8. editam *p.* 61.

(2) *diſpoſitio* exordii haec eſt: praemittitur primo *theſis:* quae ſuis *argumentis* confirmatur, aut, ſicubi opus fuerit, inluſtratur: ſequitur hypotheſis, argumentis itidem ſuffulta: quam *baſis* excipit atque ad propoſitionem uiam quaſi communit. quodſi ad ſuperioris orationis aedificium quaeras exordii delineationem, haec eſto:

THESIS: *omnis in uniuerſum eloquentia numquam ſatis laudari poteſt.*

AETIOLOGIA: *quoniam uix ulla eſt, quae tantam uim, tantumque in homines exerceat ſingulos imperium, quam eloquentia. inluſtratur hoc*

1. *exemplo DEMOSTHENIS.*
2. *exemplo CICERONIS.*

HYPOTH. *multum tamen praeferenda eſt eloquentia ſacra.*

AETIOL. *nam ea hominum aeterna felicitas promoueri poteſt.*

BASIS. *non male igitur ſuſcipietur hic labor, quo de uſu eloquentiae ſacrae dicendum eſt.*

(3) inſinuatio haec, quam *beneuolentiae captationem* nominant, non penitus uidetur reiicienda, quum apud antiquos iam uſu recepta fuerit. ceterum prudentia magis, quam uerborum lenociniis opus eſt. quod ſi argumentum, in quo uerſamur, gratum eſt, ac ſuaue: nemo eſt, quin lubens ac cum gratia ſit auditurus. ſi uero minus ſuaue ſit argumentum: aut penitus omittendum illud, aut, ſi fieri nequeat, caute dicendum et cum gratia, quae auditores facile adliciet. conf. in primis CICERO de *inuentione lib. I. c. XVI. p. 240. ſeqq.*

§. VII.

VLTIMA pars orationis eſt *concluſio.* in

in qua plerumque *exhortatio* ad auditores locum inuenit, aut ad aliquid uel ſuſcipiendum, uel deuitandum uoluntas commouetur. pro argumenti diuerſitate, *animi* uel *mouendi* ſunt, uel minus; reſpiciendumque ſimul eſt et ad *perſonam dicentis* (1) et ad *rem ipſam* (2). quae qui conſiderauerit, rite etiam uerſabitur in illo negotio.

(1) quodſi enim orator eo non eſt dignitatis gradu, aut ea praeditus auctoritate, ut, qui audiunt, eius etiam adhortationes ſequi iuſtum putent: ſtolide agit, qui ea in re multum laboris conſumit. alium haec, alium alia decent. prudentiae igitur conferendae ſunt regulae, illisque obediendum.

(2) quaedam ea ſunt natura, ut motibus, ſaltim uehementioribus, locum non concedant. proinde ad materiarum reſpiciendum eſt dignitatem, ut, ubi opus eſt uehementia, non ſimus languidi; ubi minoris res momenti tractantur, non calamum ac mentem acuamus.

§. VIII.

AD STILVM quod adtinet, *mediocris* ille (1) atque *atticus* (2) requiritur. id quod ſuis exemplis egregie comprobarunt PALEARIVS, MAIORAGIVS, PE-

TAVIVS, VAVASSOR, CASELIVS, CVNAEVS, BVCHNERVS, CELLARIVS et GVNDLINGIVS (3).

(1.) uide quae ſupra diximus *part.* II. *cap.* II. *p.* 246.

(2) illud expoſuimus etiam *part.* II. *cap.* IV. §. VI. *p.* 291.

(3) confer HEINECCIVM in *fundamentis ſtili p.* II. *cap.* II. §. XIV. *p.* 184.

§. IX.

PROGREDIMVR ad alterum orationum genus, quas *panegyricas* nominamus. ſunt illae *orationes* (1) *ſollemnes, quae in laudem uiri inluſtris, ſtilo ſublimi et magnifico, in ſollemni panegyri habentur* (2).

(1) quum panegyrici rarisſime immunes ſint ab adulationis uitio, fuerunt qui uiros prudentes non decere arbitrati ſunt, ut panegyricos ſcribant. at uero, qui uitium ſcribentis, ab ipſa re ſeiungere nouerit, mediam uiam inibit, et ſemotus ab errore, rem ipſam non reiiciet.

(2) adparet hinc, panegyricos omnes quidem eſſe orationes encomiaſticas, non tamen omnes orationes encomiaſticas eſſe etiam

am panegyricos, quippe ad quos requiritur conuentus celebris, ad illas non item.

§. X.

CONSCRIBVNTVR autem hae orationes panegyricae, uel ad normam *analyticam*, uel *ſyntheticam*. *analytice* fiunt, quando ſecundum temporis ordinem uita celebris cuiusdam uiri exponitur, atque ad laudem adplicatur (1). *ſynthetice* autem elaborantur, quando ordine artificiali ad unum aliquod thema praecipui uitae actus (2) referuntur.

(1) oſtenditur haec uia in omnibus libellis oratoriis, ubi de *genere demonſtratiuo* praecipitur. quam etiam ſequutus eſt PLINIVS in panegyrico, quem TRAIANO dixit. atque ita plerique conſcribuntur hodienum panegyrici, qui plurimum nihil aliud ſunt, quam uitae deſcriptio, uariis locis communibus, aut ſententiis inſertis exornata.

(2) haec ſcribendi panegyrici ratio quamquam ſit paullo difficilior, elegantior tamen eſt, et laudis plurimum continet: quod ingenii uim et copiam clarius prodit. ita ſe habet MAMERTINI panegyricus MAXIMIANO HERCVLEO dictus.

§.

§. XI.

QVANDO, qui ſcribere orationem cupit, adparatum ſibi adquirere debet: in panegyricis uitae hiſtoria illum rectisſime conſtituet (1), quae conlocanda eſt ad thema propoſitum (2).

(1) laudem uiri continere debet panegyricus: illa uero ex ipſo uiro, non aliunde petenda eſt. ſequitur igitur, ut ille iuſtam uiri laudem metiri queat, qui omnes uitae actus adcuratisſime cognouerit. conquirenda ergo ante omnia eſt eius, quem laudaturi ſumus, hiſtoria: ſiue analytice, ſiue ſynthetice ſuſcipiatur labor.

(2) argumentorum conlocatio ex methodo diuerſa petenda eſt. analyticam diſpoſitionem docet in primis KIRCHMANNVS noſter. ſyntheticam ipſe facile conſtituit, qui naturam thematis nouerit exhaurire.

§. XII.

TVM ad elaborandas ſingulas orationis partes accedendum eſt. quod uero non, ut in declamationibus, per ſyllogismum aliquem, ſed per *locum communem* (1), ſuſcipiendum uidetur. uti nec

nec hiſtoria nude recenſenda; ſed ſententiis inluſtranda (2) eſt.

(1) *locus* ille *communis* rem laude dignam eſſe comprobat, *hiſtoria* uero, illam noſtro, quem laudamus, conuenire, oſtendit. poteſt autem id genus locus facile inueniri, quando a ſpecie ad genus concludimus. requirit tamen et locus iſte communis ſuam expoſitionem, quae chriae inſtar ſusſcipi atque deinde ad hiſtoriam ipſam poteſt adplicari.

(2) fit hoc in ordine analytico, ubi recenſioni uitae interſeruntur obſeruationes quaedam, ſententiae morales, iudicia, quae non male aut comparationibus quibusdam, aut teſtimoniis inluſtrantur. illud tamen ſimul cauendum eſt, ne in inluſtri auditorio tritum aliquid aut uulgare proponamus; ſed, ſelectu rerum gratiam ut promereamur, et adplauſum adquiramus, conandum eſt.

§. XIII.

EXORDIORVM et concluſionum ratio quum in panegyricis praecipue haberi debeat: nihil tamen, (1) quod ſuperioribus addas, facile notandum eſt (2). ſtilus hic requiritur ſummus (3) et quo dignior perſona, eo inluſtrior ſermo ſit, neceſſe eſt. qua in re multos habemus, quos imitari (4) poſſumus.

(1)

(1) confer §. VII.

(2) hoc tamen non uidetur reticendum, quum ſaepe triſtisſimus ſummorum regum obitus deplorandus ſit: uehementius etiam animos eſſe commouendos: ſaepe utendum apoſtrophis, ſaepe ſermocinationibus, ſaepe ethographiis: et quo grauior caſus, eo grauiores motus; quo laetior, eo laetiores eſſe excitandos: quod rerum ſollers conſideratio unumquemque diligentisſime docebit.

(3) quascumque ſtili uirtutes ſupra, ubi de ſtilo ſublimi agebamus, commendauimus, eas heic cum maxime locum tueri ſuum, facile patet. copioſiores tropi, frequentiores figurae, ſelectiores ſententiae, decus adferunt ſummum. admittunt orationes hae acumen, admittunt feruorem, admittunt concitationem. ut adeo, niſi qui ad ſummum adſpiret faſtigium, ad eas elaborandas animum aduertere haud debeat.

(4) commendatur ex antiquis PLINIVS, ex recentioribus ERASMVS, WINSEMIVS, SPANHEMIVS, BVCHNERVS, BOECLERVS, FERRARIVS, EREMITA, BOEHMERVS, SCHVRTZFLEISCHIVS, CELLARIVS, GVNDLINGIVS, BERGERVS et BVDDEVS. de quibus confer exellentisſimum HEINECCIVM in *fundam. ſtili p. m.* 187. *ſeq.* et uener. WAL-

WALCHIVM in *hiſtor. critica ling. latinae p.* 797

§. XIV.

SVNT quidem aliae quoque exercitationes ſtili, nimirum *dialogi*, (1) *inſcriptiones* (2), *diſputationes*, (3) *programmata*, (4) de quibus tamen, quum ad ipſum ſtili exercitium non praecipue ſpectent, atque ab aliis diſciplinis auxilium quaerant: iam quidem illud non agemus. uela potius contrahimus, atque in portum laeti nos recipimus: DEVM precati, ut in ſuum honorem, iuuentutisque ſalutem, cui unice deſtinatus hic labor eſt, conuertat omnia benignisſime.

(1) de ſtilo dialogorum hinc inde quaedam immiſcuimus. rem ipſam, quam hodie haud ad modum necesſariam eſſe patet, copioſe expoſuit excellentisſimus HEINECCIVS in *fundamentis ſtili part. II. cap. IV. p.* 197. *ſeqq.* HALLBAVERVS *inſtitut. ſtili lat. part.* III. *cap.* IV. *p.* 550. WALCHIVS *in hiſt. crit. lat. ling. cap. XV. §. XX. p.* 800. *ſeq.*

(2) de iis conferantur, cui uolupe eſt, eas noſſe, WALCHIVS *l. c. p.* 803. HEINECCIVS

VS *l. c. p.* 206. *ſeq.* HALLBAVER. *l. c. p.* 603. *ſeqq.*

(3) quamquam hoc exercitium potiſſimum ad logicam diſciplinam ſpectet, fuere tamen, qui de eo in libellis huius generis praeceperunt. uide in primis HALLBAVERVM *l. c. p.* 555. WALCHIVM *l. c. p.* 808.

(4) nulla ex his exercitationibus iuuenibus, quibus deſtinatus eſt meus labor, conuenit, quae uiris relinquendae ſunt: iuſte proinde abſtinui ab id genus praeceptis. conferri ceterum poſſunt WALCHIVS *l. c. p.* 806. HALLBAVERVS *p.* 614.

IN-

INDEX I.

TOTIVS OPERIS IMAGINEM REPRAESENTANS.

PROLEGOMENA de natura ſtili, deque auctoribus, qui de ſtilo praeceperunt. p. 1.

PARS I. *de uirtutibus ſtili latini.*

CAP. I. *de puritate.* p. 25.

CAP. II. *de perſpicuitate.* p. 96.

CAP. III. *de ſuauitate.* p. 121.

CAP. IV. *de ornatu linguae latinae.* p. 145.

SECTIO. I. *de ornatu grammatico.* p. 146.

SECT. II. *de ornatu rhetorico, qui in tropis atque figuris conſiſtit.* p. 160.

SECT. III. *de ornatu rhetorico ex periodis oriundo.* p. 192.

PARS II. *de uariis ſtili romani generibus.*

CAP. I. *de ſtilo tenui.* p. 231.

CAP. II. *de ſtilo mediocri.* p 245.

CAP. III. *de ſtilo ſublimi.* p. 256.

CAP. IV. *de ſtilo aſiatico, rhodio, attico, laconico.* p. 280.

CAP. V. *de ſtilo philoſophico, hiſtorico, et oratorio.* p. 301.

PARS III. *de adminiculis ſtili romani.* p. 317.

CAP. I. *de latinis grammaticis, illarumque uſu.* p. 318.

CAP. II. *de lexicis latinis, illorumque uſu legitimo.* p. 337.

CAP. III. *de auctoribus latinis legendis.* p. 358.

CAP. IV. *de modo et ordine legendi auctores clasſicos.* p. 405.

CAP. V. *de genuina auctores latinos imitandi ratione.* p. 440.

PARS IV. *de exercitiis ſtili romani.* p. 461.

CAP. I. *de exercitiis generalioribus.* ibid.

CAP. II. *de chriis conſcribendis.* p. 480.

CAP. III. *de epiſtolis exarandis.* p. 496.

CAP. IV. *de orationibus elaborandis.* p. 511.

IN-

INDEX II.

RERVM ET AVCTORVM,

auctore CHRISTIANO MASIO pomerano.

A.

Abuſus figurae ſublimis. 285.
L. *Accius* quis? 45.
Acumen in hiſtoria non reiiciendum. 310.
quinam hiſtorici eo ſe inſigniuerint. ibid.
quinam auctores illud detexerint. ibid.
ſtili attici uirtus. 295.
Adagia uide prouerbia.
Aduerbiorum ratio habenda eſt. 435.
Aeſchilus Cnidius cur notandus? 283.
Aeſchines auctor ſtili rhodii. 289.
Aeſchines excellit attico ſtilo. 292. 293. 294.
Aeneae aetatis auctores quinam? 378.
Aenigmata unde originem trahant? 104.
quo modo deuitanda? 105.
Aetas aurea ad latinitatem relata. 27.
uid. *aurea.*
Aetiologia quid? 487. 488.
Agnominatio quid auctori ad Herenn.? 179.
Agraetius grammaticus. 31.
Alabandeus aſiatico ſtilo excellit. 283.
Allegoriae, earum uſus, et quid in iis cauendum ſit? 274. 275.
Aluaretz (Eman.) Luſitan. grammaticus. 325.
eum maxime commendat Scioppius. 326.
eius inſtitutionis grammaticae libri tres. ib.
Ambiguitas cur uitanda? 108.

Ambitus uerborum idem ac periodus. 137. 195.
in ambitu uerborum quid obſeruandum? 135.
Ambitus quibus uerbis eleganter finiatur? 136. 137. 154.
Amphiboliae quid ſignificent? 107.
quo modo euitandae? ibid.
Amplificatio quomodo inſtituenda? 477.
exemplum. 478.
auctores de ea. 479.
Analyſis periodorum quomodo inſtituenda? 446.
orationis imitanda. 450. 451.
Andronicus (Liuius). 45.
ἀναδίπλωσις. 267.
ἀνάφορα quid auctori ad Herennium? 177.
quid Voſſio? ibid.
exempla uaria. 177. 178. 276.
ἀντανάκλασις, quo modo latine uocetur? 180.
de ea Quinctil. et auct. ad Herenn. ſentent. ib.
exempla. ibid.
ἀντιμετάθεσις, quid? 186.
de ea auctoris ad Herenn. et Quinctiliani ſententiae. 187.
exempla illius. ibid.
Antiphon atticus. 293.
Antiquatum quid? 43.
Antiquas uoces adhibere licet. 43.
cum *antiquatis* non ſunt confundendae. ibid.
Antiquatarum uocum cognitio unde haurienda? 46.
duplici ratione uoces ad antiqu. referuntur. 48.
uerba per ſe antiquata quae? 48.
eorum catalogus. 49.
uerba flexione antiquata quae? 48. 55.

eo-

eorum catalogus. 55 ſeqq.
Antiquitatum ſtudium commendatur. 438.
qui auctores de antiquitatibus romanis ſcripſerint? 439.
Antiqua conſtruendi ratio ſermonem reddit obſcuriſſimum. 109.
quinam auctores antiqui hoc uitio laborent? ib.
ἀντίθητον quid? 185.
contentio et contrarium latine uocatur. ibid.
Quinctil. Cicer. et auctoris ad Herenn. de ea ſententia. 185. 186.
ἀνθυπαλλαγὴ quid? 267
ἀντίπτωσιν grammatici uocant. 267
Apini (Sigismundi Iacobi) lexicon grammaticale. 39. 76. 349.
recenſetur. 39.
quid deſiderandum in illo? 39.
Aphthonii de chriis mens. 481.
Apollinaris metaphoras longe petitas adhibuit. 169.
ἀποσιώπησις. 275.
L. *Apuleius* quis? quando uixerit? 389.
eius ſcripta recenſentur. 389.
eum proprietatis latinae linguae amantibus accenſet Heineccius. 105.
monſtroſae ac tumidae latinitatis auctor. 106.
de eo Melanchthonis iudicium. 106.
metaphoris longe petitis utitur. 169.
ſtilo ſublimi abuſus. 260.
eius editiones. 390.
Argenteae aetatis ſcriptores quinam? 369.
Argumenta quomodo ex auctorib. quaerenda. 450.
quomodo inuenienda? 514.

Ariſtogiton atticus. 293.
Ariſtophanes excellit attico ſtilo. 292.
Ariſtoteles. 132. 194.
eius libri rhetorici. 183.
definitio periodi. 196.
de hac auctorum uti et noſtri auctoris ſententiae. 196. 197.
Arnobius, quando floruerit ? 395.
eius libri aduerſus gentes quales ſint. ibid.
ſtilus in iis qualis? ibid.
Arnoldi (Chriſtoph.) mantisſae ad linguae latinae ornatum. 148.
quid praeſtiterit hoc in opere ? ibid.
Aſiaticus ſtilus. 281.
a ueteribus reiectus cur ? ibid.
iudicia de eo uariorum. 281. 282.
a Cicerone laudatur. 283.
in quonam conſiſtat 284.
utitur formulis ſynonymicis. 285.
inluſtrationibus copioſis. ibid.
figuris, periodis et numero ampliori. 286.
eius duo ſunt genera. 283.
eo quinam uſi ? ibid.
quod genus reiiciendum ? 284.
iuuenibus familiaris eſt. 301.
Aſper concurſus uocalium uitandus. 127.
Athenienſium iudicia laudantur. 291.
eorum opera in ſtilo excolendo. ibid.
Atticismo Salluſtius ſtuduit. 419.
Atticus ſtilus optimus omnium. 291.
a quibus laudatus ? 292.
quinam eo excelluerint ? 292. 295. 296.

uir-

uirtutes attici ſtili quae ? 295.
breuitas. 295.
ſinceritas. 295. 296.
acumen. ibid.
elegantia. 296. 297.
uiris familiaris eſt. 307.
Auctor dialogi de *corrupta eloquentia.* 284.
Auctores claſſici in 4. aetates diuiduntur. 64.
et cur hoc ? 64.
quinam legendi; 358. ſq.
quo ordine et modo legendi. 406. 431.
de iis legendis uariorum ſententiae. 407.
noſtri auctoris ſententia de eadem re. 411.
quomodo imitandi. 441.
Aureae aetatis ſcriptores quinam ? 359. ſeqq.
Aureum ling. latin. *ſaeculum* quando floruerit? 28.
Aurea aetas normae inſtar habenda eſt. 64.
Auſonius (D. Magnus) quis? 397.
quando uixerit ? 398.
ſcripta eius recenſentur. ibid.
ἀξίωσις ſeu captatio beneuolentiae. 519.
quomodo inſtituenda. 521.

B.

Balbinus (Bohuslaus). 189.
Bangius (Thomas). 75. 119.
grammaticus danus. 326.
eius obſeruationes philologicae. 88. 119. 327.
definitio barbariſmi. 75.
refellit Euſtathii deriuationem ſoloeciſmi. 87.
eiusdem praecepta grammaticae latinae minora. 327.
Barbariſmi cauendi ſunt. 43.

et cur ? 74.
Barbariſmi definitio. 75.
duplici modo admittuntur. 75. 76.
eius patria arabia creditur. 75.
barbariſmorum utriusque ſpeciei catalogus. 78. 82.
quinam de eo ſcripſerit. 76.
Bargaei ſententia de legendis auctorib. claſſic. 408.
Baxteri (Wilhelmi) editio Horatii. 368.
Baumeiſterus (Frid. Chriſt.) quis? 101.
laudatur. 100.
eius inſtitutiones philoſophiae rationalis recenſentur. 101.
quid in eis deſiderandum. 102.
Becmanni (Chriſt.) manuductio ad latin. lingu. 61.
Bergeri (Io. Guil.) de naturali pulcritudine ſermonis opus. 68.
quae notauerit in ueter. auct. ſcriptis ? 68. 69.
iudicium de Cicerone et Caeſare. 124. 140.
de litterarum natura iudicium. 126.
de uocalium modo. 127.
quo ſtilo uſus in diſſertat. ? 244.
in dedicationibus. 254.
laudandus ob ſtili grauitatem. 278.
iuris et philoſ. ſtudioſ. commend. 423 425.
Bersmanni erotemata rhetorica. 195. 211.
Blount (Pope) cenſura auctor. celeb. 71.
Bodenburg (Chriſt. Frid.) cur notandus? 33.
Boeclerus (Io. Henr.) quis ? 7. 8.
eius diſſertatio de comparanda linguae latinae facultate recenſetur. ibid.
quid ipſe auctor de illa dixerit. 8.
hiſtoria eius uniuerſalis. 397.

Boethius (Anic. Manl. Torquat. Seuer.) quis ? quando uixerit? 402.
ſcripta eius recenſentur. 402.403.
Bohmius (Georg. Diet.) 115.
eius commentarius de particulis. 116.
cur legendus. 117.
Bohmeri ſtilus in dedicationibus. 254.
Breithauptii (Chriſtiani) diſſertatio de ſtilo Sulpicii Seueri. 401.
Breuitas membrorum perſpicuitatem impedit. 110.
de breuitate Horatii ſententia. 111.
Fabii de eadem. 111. 112.
eſt uirtus ſtili attici. 295.
et ſtili hiſtorici. 305.
in hiſtorico laudanda. 305.
Brincken (Io. Iac. de). 148.
Briſſonius (Barnabas) de formulis et ſolemnibus populi rom. uerbis. 106.
editiones. ibid.
quid in eo libro praeſtiterit? 189
de le *Brixia* (Anton.) grammaticam auxit de la Cerda. 326.
Buchnerus (Auguſt.) de commutata ratione dicendi. 141.
recenſetur hic liber. 143.
caſtigat Florum. 165.
de metaphoris ſententia. 166.
de metonymiis 171.
Buddei (Io. Franc.) ſtilus qualis ? 244.
in orationibus qualis ? 255.
theologiae ſtudioſis commendatur. 421.
Burckhardi (Iac.) ſtilus. 244. 255.

de linguae latinae in germania per 17. amplius ſecula fatis. 323.
Burerius (Albert.) quis? 342.
Burmannus laudandus ob ſtilum ſublimem. 278.

C.

Caeſar germanicus, quis? quando uixerit? ſcripta eius. 371.
Caeſar (C. Jul.) quando uixerit? 363.
ſcripta eius. ibid.
editiones. 364.
proprietatis laudem meruit. 105.
eius commentarii exemplar ſuauitatis habentur. 124.
ſtilus eius utilis ad numerum oratorium addiſcendum. 140.
non ſemper ſtilo tenui utitur. 245.
rhodio uſus eſt ſtilo. 291.
Ciceronis et Bergeri iudicia de eo. 417.
Calepini lexicon quale? 339. 340.
Calpurnius (Tit. Iul.) quis? 391.
eius eclogae quales? ibid.
Cami (Nicol.) paraphraſis in Terentium. 476.
Camerarii ſtilus in uitae deſcription. 255.
Capella (Martian. Min. Felix) quis? 402.
eius ſatyra, et ſtilus qualis? ibid.
Capitolini (Iul.) ſcripta. 392.
Caſſiodorus (C. Magn. Aurel.) quis? 403.
eius ſcripta recenſentur. 403. 404.
eius ſtilus. 260.
Caſtitas uocum latinarum unde iudicanda? 64.
Caſtus linguae latinae, aureae cum primis aetati adſcribendus. 25.

uariorum de hac re ſententia. 26.
Catachreſes cauendae. 165.
quinam auctor. ad catachreſ. delapſi ſint? ib. ſeqq.
Cato, rei ruſticae ſcriptor, naturae indagatoribus commendatur. 426
Catullus (C. Valerius) translationes duxit a rebus turpibus. 166.
quando uixerit? 366.
eius ſcripta et editiones. ibid.
Cellarii (Chriſtoph.) antibarbarus et curae poſteriores. 76. 88.
eius obſeruatio ad Curtium de ſoloecismo. 87.
Orthographia. 118.
liber memorialis laudatur. 147. 352.
grammatica non ſpernenda. 147. 330.
quo ſtilo in hiſtoria uſus? 254.
Celſus (Cornel.) quis? quando uixerit? 373.
commendandus medicinae ſtudioſis. 424.
Quinctiliani iudicium de eo. ibid.
grammaticus. 31.
Celſi compendium rhetoricum. 282. 293.
ſententia de ſtilo aſiatico. 282.
- - - attico. 293.
Cenſorinus de die natali, qualis ſtilus? 390.
de la Cerda (Lud.) Hiſpani grammatica. 325.
cuius ueſtigiis inſtiterit? 326.
Certitudo pro certa rei ueritate. 64.
Characterum difficilis cognitio multum corruptelae auctoribus adtulit. 68.
Characteris in oratione uariatio. 479.
Chariſius (Soſipater) 31. 75. 319. 322.
eius opinio de differentia inter barbarismum et ſoloecismum. 87.

inſtitutiones grammaticae 319.
Chriae, 480.
origo uocis. 481.
Theonis et Aphthonii de ea ſententiae ibid.
partes ſunt orationis integrae. 480. ſeq.
abuſus. 482.
diuiſio. 483.
partes. 484.
an omnes adhibendae. 484. 485. 489.
exordium. 485.
paraphraſis. 486.
aetiologia. 487.
contrarium. 489.
ſimile. 491.
exemplum. 492.
teſtimonium. 494.
epilogus. 495.
Chriſtii (Io. Frid.) noctes academicae. 392.
Chytraei nomenclator. 351.
Cicero (M. Tull.) quando uixerit? 360.
ſcripta eius recenſentur. 361. ſeqq.
commendantur. 124. 140.
editiones adducuntur. 362.
noua imponit nomina rebus nouis. 60.
impedimenta perſpicuitati obſtantia remouere docet. 98.
monitum de tropis. 104.
de aenigmatum origine ſententia. 105.
a quo ſuauitatem didicerit? 122.
orationes in exemplo ſuauitatis ponendae, 122. 140. ſeqq.
inter latinos praecipue uocum harmoniam animaduertit. 123. 133.

Fa-

Fabii teſtimonium. 124.
de numero oratorio. 132.
eius Brutus, ſiue de claris oratorib. 133.
ad Veturium ſynonymorum liber. 141.
ipſe translationes a rebus turpibus duxit. 166.
formulae ad duriores translat, emolliend. 167.
loquutiones metonymicas et ſynecdochicas tamquam probatas adhibuit 171. 173.
ſtilus epiſtolicus ad familiares quis? 242.
definitio periodi. 196.
ſtili tenuis deſcriptio. 233.
quae requirat in eo. 236.
mediocris interdum. 254.
eius oratorius ſtilus qualis? 255.
ſtilus in officiis qualis? 244.
utitur ſaepius longioribus membris. 265.
concurſum uocalium fugiendum cenſet. 268.
parcus in ἐπιφωνημάτων uſu. 277.
ſtili ſublimis exempla dedit. 278.
quando aſiaticam loquacitatem carpſerit. 282.
ipſe ea uſus. 283.
a quibus propterea adcuſatus? 283. 284.
a quo defenſus? 284.
de rhodio ſtilo iudicium. 289.
eo ipſe uſus. 290.
laudat atticum ſtilum. 291.
et Demoſthenem. 292.
maxime huic ſtuduit. 292. 295.
de ſpartanorum arte oratoria iudicium. 299.
lacon more c. Attico interd. loquut. 299. 300.
hiſtoriae definitio. 303.
de Caeſaris ſtilo iudicium. 304.
uirtutes hiſtorici quas requirat? 308.

elo-

eloquentiae eius infenſiſſimus hoſtis quis? 417.
orationes in Verrem iuris ſtudioſis commendandae. 423.
de iis auctoris noſtri iudicium et uotum. 424.
ſcripta eius morum ſtudioſ. commendand. 427
Circumducta oratio. 264.
Circumductus ſtilus. 287.
cuinam commendandus. 288.
Circumſcriptio uocum loco nouarum plerisque placet. 66.
Claudianus (Cl.) quis? quando uixerit? 355.
eius poëmata recenſentur. ibid.
ſtilus qualis? ibid.
Clericus. 427.
Clementis (Franc.) aduerbia Ciceron. 141. ſeqq.
Coarctatio ſtili. 476.
exempla coarctationis. 477.
Columella naturae indagatorib. commendatur. 426.
Comenii ianua et orbis pictus. 348. 411.
Comici nonnumquam ioci cauſa audacius loquuntur. 164.
Communis dicendi ratio ſuauitatem ſermoni adfert. 141.
quinam auctores de ea legendi. ibid. ſeqq.
Comparatiui digniores ſunt poſitiuis. 131.
iis elegantiſſime finiuntur periodi. 154.
Compoſitione oratio ſublimis redditur. 262. ſeqq.
Compoſita uerba ſimplicibus praeferenda. 117. 272.
quaenam ſumenda? 272.
Comprehenſio quid? uide *periodus*.
Conciſa dictio ſenſum obſcurum reddit. 111.
Concluſio pars chriae. 495. exempla illius. 495. 496.
pars epiſtolae. 509. 510. orationis. 521.
pane-

panegyrici. 525.
Coniunctiones ubi eleganter conlocandae? 157. ſeq.
iterum commendantur. 435.
Conſtruendi rationes uariae. 154. ſeqq.
Conſtruendi ratio antiqua quid efficiat ? 109.
Contrarium quid ? 489.
Copioſum dicendi genus fugiendum. 112.
de hoc Quinctil. ſententia. 113.
quo modo deuitandum ? ibid.
Corderii conloquia qualia ? 413.
reiicienda ex ſententia auctoris noſtri. ibid.
Cornel. uid. *Nepos* et *Celſus*.
Cornificius quis ? 234. 247. 258.
Correctio quid ? 181.
Corteſius (Paul.) refutauit Angel. Politianum. 442.
Coruini lexicon quale ? 347.
Crenius (Thom.) 382.
Crauſeri (Georgii) ſcintillae ciceronianae. 353. 355.
Crucius (Ioa.) 111.
eius mercurius batauus 112.
amat nimis conciſum genus ſcribendi. ibid.
Cunaeus iuris ſtudioſis commendatur. 423.
Curionis (Coelii Secundi) forum romanum. 339.
fata huius operis enarrantur. 341.
Curtius (Q. Ruf.) quando uixerit ? 378.
perſarum quaedam uocabula retinuit. 62.
eius oratio nimis poetica. 70.
ad poëtarum tranſiit caſtra. 70. 378.
ad catachreſes delapſus. 165.
acumine ſe inſigniuit. 310.
Cyprianus theologiae ſtudioſis commendatur. 421.

D.

Daſipodii lexicon quale ? 347.

De-

Decimatoris lexicon quale ? 347.
Dedicandis libris quis ſtilus adhibendus ? 254.
auctores, qui hic iuſto ſtilo uſi. 254.
Declamationes quo modo ſcribendae. - 512.
argumenta illarum. - ibid.
quodnam thema requiratur. 513.
ſcriptores optimi. 521. 522.
Definitio pro definito quando ſumenda? 273.
Demetrius Phalereus περὶ ἑρμηνείας 213 et paſſim.
eius ſententia de concurſu uocalium. 268.
de ſtilo ſicco. 234.
de ſtilo frigido. 259.
Demoſthenes ob ſuauitatem linguae maxime commendatur. 122.
laudatur a Cicerone. 122. 123. 294.
excelluit ſtilo attico. 292. 293.
Dentzleri lexicon quale ? 347.
Deſpauterius grammaticus gallus. 326.
διάλυσις. - 267.
Dialogi quo ſtilo conſcribendi ? 243.
Dicendi peritus quis haberi poſſit ? 4.
Dicendi genera quae optima ? 301.
Digeſta quid contineant ? 424.
iuris ſtudioſis commendanda. ibid.
Dignitatum uocabula nonnullarum gentium contrariantur puritati linguae latinae. 94.
cauendae ſunt in epiſtolis. 510.
non niſi cum praefamine quodam adhibend. ib.
διλογία quando magnificentiam ſtili pariat? 275.
Diomedes grammaticus antiquus. 319. 322.
de oratione et partibus orationis uti et de uario genere metrorum ſcripſit. 320.
Diſſertationes quo ſtilo conſcribendae? 244.
exem-

exempla. 244.
Differendi ars unde haurienda ? 426. 427.
Diſpoſitio auctoris quomodo imitanda? 451.
Diſputatio. 527.
Disſimilia inter ſe non ſunt conferenda. 164.
Diſtinguendi notae minus recte poſitae obſcuram reddunt orationem. 117.
earum apud ueteres uſus nullus. 118.
Diſtinguendi characteres recentior grammat. 119.
eorum utilitas. 119. 120.
de his qui ſcripſerint? ibid.
auctoris noſtri diſtinguendi ratio. 120.
de *diuinis* quomodo dicendum ? 270.
Doleti (Steph.) fata. 339.
commentarii linguae latinae quales? 344.
Donatus (Ael.) grammaticus antiquus. 31. 319.
recenſentur eius libri. 321. 322.
Dornauius (Caſp.) de periodis. 119. 194.
Dornmeieri (Andr. Iul.) diſſertatio de uitioſo Ciceronis imitatore. 33.
de Cicerone relegato et reuocato. ibid.
lexicon elegantioris latinitatis. 356.
Dracontius, quis? eius hexaemeron libro I. mutilum. 400.
Dreſſeri rhetorica. 195.
δυσφωνία quid efficiat ? 266.

E.

E littera querendi notam continet. 127.
εἰκών, latine imago , quid ? 183.
Ariſtotelis de ea iudicium. ibid.
ſigna eius ſunt particulae quaedam. ibid.
exempla. 183. 184.
εἰρημένη oratio quae ? cur non reiicienda? 198.

Elegantia uirtus ſtili attici. 295.
Ellipſes parcius adhibendae? 111.
quinam auctores ſtudioſi elliptici dicendi generis? 111. 112.
Eloquentiae et ſtili differentia. 4.
in quo conſiſtat? 4. 6.
Eloquutio quomodo imitanda? 458.
exemplum aliquod. 459.
Emmius (Vbbo). 299.
Engentini notae in Perſium. 110.
Ennius (Q.) quis? 45.
Ennodius ad catachreſes frigidas delapſus. 165.
longe petitis metaphoris utitur. 169.
ſtilo ſublimi abuſus eſt. 260.
Epaminondas Spartanus. 299.
de eo Ciceronis iudicium. ibid.
ἐπαιάφορα. 267.
ἐπάνοδος, quomodo a Fabio uocetur? et quid? 178.
exempla illius. 178. 179.
ἐπανόρθωσις, correctio auctori ad Herennium et quid? 181.
uſus eius et exempla. ibid.
ἐπίζευξις, lat. coniunctum aut ſubiunctio. 176. 276.
quid ſit? 176.
exempla illius. ibid.
ἐπάνοδος uocatur a Fabio, cur? ibid.
ἐπισύναψις periodi quid? 206. 211.
ἐπιφώνημα. 277.
quinam eo uſi? ibid.
ἐπίλογος uide *concluſio.*
Epiſtolicus ſtilus quis eſſe debeat? 242.
Epiſtolae ad uiros dignitate conſpicuos quo ſtilo conſcribendae? 254.

quo-

quomodo generatim conſcribendae ? 498.
quinam de iis ſcripſerint ? 497.
illarum definitio. 498.
diuiſio. ibid.
familiares quae ? 499.
quotuplices ? ibid.
quae unum modo argumentum pertract. 499.
ex Cicerone per analyſin ſoluuntur. 500.
quae plura momenta perſcribunt. 500. 501.
elaboratiores quae ? 501. 502.
agunt aut de pluribus rebus. ibid.
exempl. ubi ad unum omnia referuntur. 503.
exemplum ubi inter ſe nexu diuerſo iunguntur. 504. 505.
aut de uno argumento ſcribuntur. 506.
quibus argumentis et quo modo utendum. 506. 507.
ſtilus eſt moratus. 508.
grauis et ornatus. ibid.
exordium et concluſio 508. 509.
quid cauendum ? 510.
Epitheta conligenda ſunt. 434.
Erasmus Roterodamus de copia uerbor. 141.
translationes duriores emolliendi rationem docet. 167.
paroemias graeco latinas conſcripſit. 190.
de eo auctoris noſtri iudicium. 191.
ſtilus in dialogis qualis ? 243.
eius chiliades adagiorum. 438.
nullam ſtatuit imitationem. 442.
Erneſti editio Ciceronis optima eſt. 362.
Eruditionis famam adfectantes qui ? 109.
Eumenius panegyriſta. 380.

Euripides eleganter adhibuit ὀξύμωρον. 188.
Euſtathii deriuatio ſoloecismi refellitur a Bangio 83
Eutropius (Flau.) quis fuerit? 394.
quando uixerit? ibid.
eius breuiarium hiſtoriae romanae. ibid.
ſtilus qualis? 245.
maxime laudatur et commendatur iuuenibus ab auctore noſtro. 414 415.
Exclamatio ab hiſtorico abeſſe debet. 307.
Exemplum, pars chriae. 492.
cur illis utendum. 493.
Exercitia ſtili generaliora et ſpecialiora. 461. ſeqq.
Exordium periodi quib fieri pedibus debeat. 135.
Exordium chriae. 485.
epiſtolae. 508.
orationis. 519.
quomodo diſponendum. 520.
in panegyricis. 525.

F.

Fabri (Baſil.) theſaurus erudit. ſcholaſt. 106. 339.
omnibus lexicis praeferendus. 345.
auctores legentibus commendatur. 357.
Morhofii iudicium de eo. 345.
Gesneri opera huic impenſa laud. 106. 345. 346
Fabri (Taneg.) epiſtola de ratione ſtudior. cet. 38.
la methode pour commençer les humanites grecques et latines. 407.
qui eum ſequuti? ibid.
Fabius Quinctilianus, uid. Quinctil. 3.
eius inſtitutiones oratoriae. 75. 381.
definitio barbariſmi. 75.
ſcholas publ. praeferendas eſſe priuatis cenſet. 3.
de perſpicuitate ſermonis ſententia. 96.

de

de propria uocum ſignificatione ſententia. 104.
de homonymia et ambiguitate. 107. 108.
de uerbis antiquatis. 109.
de breuitate nimia. 111. 112.
de numero oratorio. 136.
de translationibus continuandis. 168.
laudat atticum ſtilum. 293.
commendat paraphraſin. 473.
Fabricii (Io. Alb.) *bibliotheca latina.* 63.
eius ſtilus qualis? 255.
Fabricius (Georgius). 30.
collectanea uet. grammat. de proprietate et diff. uerb. edidit. 31.
Facciolati lites, quas mouit Schwartzio propter Turſellinum. 117.
ſtilus in orationibus. 255.
Feindii (Barth.) phraſeol. plautinoterentiana. 356.
Felix (M. Minutius) quando floruerit? 395.
eius dialogus de uera et falſa relig. qualis? ib.
cur theologiae ſtudioſis commendandus? 422.
Cellarius eum defendit. ibid.
Ferreae aetatis ſcriptores quinam? 387. ſeqq.
Feſtus grammat. antiq. de uerb. ſignific. 31. 319.
primus lexicon adornauit. 338.
Figuli (M. Sebaſt.) epithetor. orator. farrago. 434.
Figurae rhetoricae aut ſchemata ornat, adferunt 175
et ſublimitatem. 267.
uariae ſpecies. 176. ſeqq.
uariatio. 467.
Figurae, quaenam ab hiſtorico abeſſe iubentur ex Heineccii ſententia. 307.
Florus (L. Annaeus) quis? quando uixerit? 382.
eius epitome de geſtis romanorum. ibid.

de ſtilo eius Morhofii iudicium. 71. 382.
oratio eius nimis poëtica. 70. 382.
ad catachreſes frigidas delapſus. 165.
a Buchnero caſtigatur. ibid.
ſtilo ſublimi abuſus. 260.
Folieta (Vbertus) de uſu et praeſtantia linguae latinae. 37. 59. 61.
Mosheim huic diſſertationem praemiſit de linguae latinae cultura et neceſſitate. 37.
Formulae quaedam, quibus uti poſſumus, quando nouum adhibemus uocabulum. 67.
Formulae dicendi, falſo in peregrinis habitae, uindicandae. 91.
Formularum eiusmodi catalogus. 92.
Formulae inſinuandi, quomodo interſerendae? 151.
Formulae antiquorum ſolemnes ornant orationem, iuſte ſi adhibentur. 188.
auctores, qui de iis ſcripſerint. 189.
exempla quaedam. ibid.
Foquelini notae in Perſium. 109.
Fortius (Io.) de periodis. 195.
Fortunatus (Venant. Honor. Clementian.) quis?
poëmata eius recenſentur. 400.
Foxius (Sebaſt.) de imitatione ſ. informandi ſtili ratione. 62.
eius de prouerbiis ſententia. 191.
du Fresne (Carol.) gloſſarium mediae et infimae latinitatis. 76.
Freyberi orthographia. 120.
Freyeri terentiana colloquia. 409.
Frigidae loquutiones. 169.
Friſchlinus (Nicodem.) eius uita. 3. 59.
eius praefatio nomenclatori trilingui praemiſſa

ſa laudatur. 61.
Iulius rediuiuus laudatur. 66.
paraphraſis in Perſium. 109. 378.
Priſcianus uapulans. 321.
grammaticus eſt celebris. 324.
grammatica ſtrigilis et latina. 329.
quid de dialogis iudicandum ? ibid.
nomenclator trilinguis laudatur. 350. 351.
paraphraſes in eclogas Virgilii iuuentuti commendantur. 430. 475.
paraphraſes in Horatii epiſtolas iuuentuti commendantur. 430. 457.
Friſii lexicon quale ? 347.
Frobenii (Georg. Lud.) penu tullianum. 67.
Fronto grammaticus. 31.
Frontinus (Sext. Iul.) quis ? quando uixerit ? 382.
eius ſcripta. ibid.
Funccius de linguae latinae pueritia et adoleſcentia. 45.
eiusdem de origine latinae linguae. ibid.
de uirili aetate eiusdem. ibid.
de imminente ſenectute. ibid.
de uegeta ſenectute. 46.
de ordine legendi auctores. 410.

G.

Gallicanus (Vulcatius) quis ? 393.
quando uixerit ? 393.
Garthii lexicon quale ? 347.
Gebaueri ſtilus in programmatibus. 255.
iuris ſtudioſis commendandus. 423.
Gellius (Aul.) quis ? quando uixerit ? 389.
eius noctes atticae. 118.
iudicium de illis. 389.

iudic. eius de ueter. ſcribendi ratione. 117. 118.
Geneſis periodorum in imitatione 449.
Germaniſmi falſo ſuſpecti unde oriantur. 91.
exempla quaedam. 92.
Germanicus caeſar. 369.
eius ſcripta. 371.
Geſneri Io. Matthiae, ſtilus in diſſertationib. 244.
et dedicationibus 254.
opera lexico Fabri impenſa. 106. 346.
editio ſcriptorum rei ruſticae. 245. 426.
τὸ γλαφυρὸν, quale orationis genus? 250.
γνῶμαι, quid? 192.
quales ornent? quales non? ibid.
monitum auctoris noſtri de his ſententiis. 191.
Goebelii (Henr.) Curtius inluſtratus. 356.
Goclenius (Rudolph.) 29.
eius obſeruationum linguae latinae ſ. puri ſermonis analecta. 29. 67. 87.
recenſentur. 29. 30.
problematum grammaticorum liber. 29.
iudicium, quo nouae rei nouam uocis ſignificationem conuenire contendit, probatur. 61.
diuiſio ſoloeciſmi in uerum et adparentem. 88.
Golii (Theoph.) nomenclator, 351.
Gothofredus (Dionyſ.) auctores linguae latinae in unum corpus redegit. 319. 322.
Gottſched (Io Chriſt.) vernunfft-maſſige Rede-Kunſt. 120.
Graecum ad ſermonem quando fugiendum! 66.
Graecarum uocum uſus crebrior non admittendus. 42. 71.
exemplis auctorum confirmatur. 72. ſeq.
Graeuius eius editio Ciceronis. 362.

ob

ob ſtili grauitatem laudandus. 278.
Grammaticae uernacul. quando latin. praefer.? 20.
Grammatici in tropis ornat. comminiſcuntur. 161.
Grammaticae latinae. 318.
ad grammatices ſtudia quando ueteres ſeſe adplicuerint? ibid.
Morhofii demonſtratio huius rei. ibid.
hodiernus grammatices uſus. ibid.
Facciolati ſententia: latinam linguam ex grammaticis addiſci non poſſe: quo modo intelligenda? ibid.
cum auctorum lectione coniungendae. ibid.
Grammatici antiquiores. 319.
Grammaticarum fata medio aeuo. 323.
poſt renatas litteras uſus earum laetior. 324.
Grammatici recentiores. 324. ſeqq.
itali. 324. hiſpani. 325.
galli, angli, dani. 326.
belgae, germani. 327.
recentisſimi. 329. ſeqq.
Grammatica marchica. 330. 331.
Grammatica quomodo a uiris tractanda? 336.
quomodo cum pueris. 336. 337.
Grammaticarum uſus qualis? 336. 358.
Gratius quis? quando uixerit? 377.
eius cynegetic. carmen quale? 377.
Groſſerus (Samuel) quis? 11.
eius Iſagoge ſtili romani. 12.
recenſio libri. 11. 12.
de ſtilo iudicium. 301.
Gundlingii (Hier. Nic.) ſtilus. 244. 255.
ob ſtilum ſublimem laudandus. 278.
iuris ſtudioſis commendandus. 423.

morum ſtudioſis quoque. 427.
Gürtleri lexicon quale? 34.

H.

Hadrianus Cardinalis. 353.
eius opuſculum de ſermone latino. ibid.
Hallbauer. (Fridr. Andr.) quis? 19. 20.
Einleitung in die nützlichſten Übungen des lateiniſchen Stili. 20. 77.
quid deſideretur in hoc opere. 20.
recenſio libri. 20. 21.
conlectio praeſtantisſimorum opuſculor. de imitatione orator. 443.
Hartnaccii interpretationes. 464.
Hauemanni (Mich.) methodus diu multumque hactenus deſiderata. 411.
Hederichi promtuarium latinitatis probatae et exercitae. 347.
eius opera laudatur. 348.
Heckelii (I. H.) additamenta ad Auſ. Popmae libros de different. uerbor. 30.
multa quoque reliquit addenda. ibid.
Heineccius (Ioh. Gottl.) quis? 17.
quando mortuus. 18.
eius fundamenta ſtili cultioris. 17.
laudatur eius labor. ib.
defenditur contra Reinhardum. 17. 18. 19.
recenſetur liber. 48.
antiquitates romanae. 189. 439.
ſtilus qualis? 244.
iuris ſtudioſis commendandus. 423.
morum ſtudioſis quoque commend. 427.
de paraphraſi. 471.
Heiſter medicinae ſtudioſis commendandus 424.

Hel-

Heluici colloquia commendantur Rhenio. 411.
auctor noſter ea reiicit. 413.
Henningius eius de chriis praecepta. 482.
Hermogenes περὶ ἰδεῶν de numero oratorio. 132.
uſus eſt uocabulo περίοδος. 195.
definiit πνεῦμα. 214.
Hertius quo ſtilo uſus? 254.
Heumannus de iure linguam latinam augendi. 61.
praefatio in Bohmi librum de particulis. 116.
ſtilus eius in ſcriptis. 244. 255.
editio Ciceronis orationum. 362.
theologiae ſtudioſis commendatur. 421.
Hiatus uocum uitandus. 127.
Hibridae uoces noſtro auctori improbantur. 43. 73.
quid ſint. ibid.
quomodo uitandae. ibid.
quaenam tolerandae. 74.
Hierocles ſtilo aſiatico uſus. 283.
Hiſtoriae auguſtae ſcriptores quinam? 393.
Hiſtorici philoſophis praemittendi? 412.
Hiſtoria quid? 303.
Hiſtoricus ſtilus quis eſſe debebat? 245. 303.
quinam iuſto ſtilo uſi ſint in conſcribendis hiſtoriis. 245.
uirtutes ſtili hiſtorici. 303. ſeqq.
perſpicuitas. 304.
interdum mediocri ſtilo utuntur. 253.
qui hoc uſi? 354.
Luciani ſententia de ſelectu uerborum in hiſtoria. 304.
Hiſtorici nonnulli poëtis interdum accedunt. 305.
ab hiſt. figurae nonnullae abeſſe iubentur. 307.
Heinecc. et Lucian. ſententiae. 307.

bre-

breuitas in hiſtoria laudatur. 305. 308.
Hiſtorici uirtutes. 303. 308.
numerus hiſtoricus quis eſſe debeat? 309.
Fabii ſententia. ibid.
Luciani. 310.
acumen in hiſtoria non reiiciendum. ibid.
qui eo ſe inſigniuerint? 310. 311.
quid cauendum? 310.
Hoffmannus commendatur medicinae ſtudioſis 424
Homonymiae quomodo committantur, et quomodo deuitentur? 107.
Honoratus grammaticus. 31.
Honorum tituli cur tolerandi, ſi uel hibridis quoque conſtent uocibus. 73.
Horatius (Q. Flacc.) quando uixerit? 368.
poëta lyricus. 368.
eius ſcripta. ibid. editiones. ibid.
conſilium de adhibendis uocabulis ex graecia deſumtis. 60.
ſententia de breuitate membrorum. 111.
duxit translationes a rebus minus honeſtis. 166.
eius epiſt. ac odae iuuentuti commendantur. 429.
Horſtius. 347.
Humanis de rebus quo modo dicendum. 270.
Hubnerus de chriis. 482.
Hyginus (C. Iul.) quis? quando uixerit? 369.
eius fabulae quales 370. 371.
ſcripta reliqua. 371.
Hyperbole quid? 260.
Hyperides atticus. 293. 294.

I.

I *littera* exilium rerum eſt. 127.

Ianua linguarum. 410.
Ianus (Dan. Frid.) quis ? 41.
eius lexicon philologicum purae et exercitae latinitatis commendatur iuuentuti ſtudioſae. 41. 77. 349.
recenſetur. 42.
non plane perfectum. 74.
Ienichen deutl. Wegweiſer zu der Variation. 467.
Ienſii (Io.) purae et impurae latinitatis conlectanea uariis acceſsionibus aucta. 38. 76. 88.
recenſio libri. 38. 39.
Imago, quid ? 183.
Imitandi auctores genuina ratio. 440.
auctoris noſtri ſententia de imitatione. 441.
uariae ſententiae. 441. 442.
an plane omittenda imitatio ? 442.
an omnes imitandi. ibid.
unus imitandus eſt in ſtilo, in latinitate plures. 443. 444.
Imitatio puerilis quae ? et quid ad eam requiratur ? 444. 445.
uirilis quid ? 446.
conſiſtit in imitandis periodis. 446. 447.
argumentisque. 450.
et diſpoſitione. 451. 452. ſeqq.
et eloquutione characteris. 458. ſeqq.
non ſit ſeruilis. 451.
auctores de imitatione alii. 460.
parallelae quando et quomodo ſuſcipiendae 467
Impedimenta perſpicuitati ſermonis obſtantia remouenda. 97. 98.
Ciceronis ſententia de hac re. 98.
Inciſim dicere quid ? 198.

Indices auctorum. 353.
Interrogatio ab hiſtorico abeſſe debet. 307.
ab *inuentis* nouiter uocab cur abſtinend 43.59.108.
Inuentio thematis. 513. argumentorum. 514. 515.
Iohnſonii (Richard.) commentarii grammat. 328.
Ironia cur inuenta? quando non reiicienda? 175.
Iſaeus atticus. 293.
Iſocrates primus ſuauitatem ſtili deguſtauit. 122.
laudatur a Cicerone. ibid.
uocum harmoniam animaduertit. 132.
concurſum uocalium maxime fugit. 268.
an atticus fuerit? 293.
de eo Quinctiliani iudicium. ibid.
Iunckeri opera in Reyheri lexico. 347.
Iunctura latini ſermonis quae admittenda? 25.
Iunii (Adrian.) nomenclator. 350.
Iunii (Melch.) conlectio epiſtolar. quarumdam Ciceroniar. iuuenibus praelegenda. 415.
Iuris ſtudioſis qui commendandi auctores? 423.
Iuſtinus quis? quando uixerit non conſtat. 387.
eius hiſtoria ex Troio Pompeio excerpta. 388.
ſtilus qualis? 254. 388.
Iuuenalis (Dec. Iun.) quis? 385.
quando uixerit? ibid.
eius ſatyrae quales? ibid.

K.

Kappius (Io. Erhard.) 38.
eius ſtud. in edendis Ienſii conlectaneis. 38.
ſtilus in orationibus. 255.
conlectio orationum uarior. auctorum. 279.
Keckermanni (Barthol.) canon de ſtilo aſiat. 288.
eiusd. rhetoricum ſyſtema. 301.
Kirchmanni nomenclator. 351.

Kir-

Kirſchii (Adam Frid.) abundantisſimum cornu copiae latinae linguae. 347. 348.
Knauthi analecta ſtili romani ex ſchedis Schurtzfleiſchii edita. 18.
recenſetur liber. 19.
Knollii (Ioa.) lexicon Corn. Nepot. tripartit. 356.
Koenig. lexicon. 347.
Kortholti diſſertatio de Cicerone Chriſtiano Lactantio. 396.
κῶλον quid? 200. 201.
Krebſii diatribe de ſtilo Lactantii. 396.
Kriegii (Ioa.) Curtius deartuatus. 356.
Kromayeri (Io. Henr.) ſtilus. 244.

L.

L. littera molle quid continet, eſtque adulatorum. 125.
Laconicus ſtilus; 298.
exemplum. 298. 299.
quinam eo uſi? 298. 300.
quando adhibendus? 299. 300.
ſenibus familiaris eſſe ſolet. 301.
regulas de illo quinam ſcripſerint? 300.
Lactantius (L Coel.) quis? quando uixerit. 365. 396.
eius inſtitutiones diuinae. 167. 395.
commendantur theologiae ſtudioſis. 421.
formulas quasdam duriores translationes emolliendi dedit. 167.
de ſtilo eius uariorum iudicia; 396.
Cicero Chriſtianorum uocatur. 422.
Lampridius (Aelius) 393.
Langii (Ioach) hodegus latini ſermonis. 13. 77. 147.
inſtitutiones ſtili latini. 13. 119.

ver-

verbeſſerte und erleichterte lateiniſche Grammatic. 147. 331.
terentiana colloquia. 409.
Langius (Io. Chriſt.) tyrocinium eloquentiae. 467.
de chriis praecepta. 482.
Latinitas idem quod puritas. 27.
Laurenbergii (Ian.) antiquarius. 46.
recenſetur. 47.
in quo Lubinum ſuperarit? ibid.
in quo peccarit? ibid.
Lermeii (Gabr.) ſententia de Cicerone. 141.
Lexica latina. 337.
cur adornata? 338.
eorum origo, et qui primi lexica ſcripſ. 339.
lexica medii aeui. ibid.
qui poſt renatas litteras lexica ſcripſ. ibid.
maiora. 339. 340. ſeqq.
minora. 347.
baſileenſe, unde fabricatum? 345.
ſingulorum auctorum. 353. 356.
eorum uſus. 357.
ex lexicis uulgaribus ſapientes quanti habendi? 63.
Librariorum ueterum oſcitantia multum corruptelae adtulit auctoribus. 68.
Linacer grammaticus anglus. 326.
de emendata ſtructura latini ſermonis. 326.
Lindneri lexicon quale? 347.
Linguarum peritus? 4.
differentia qualis? 4. 5.
Lingua romanorum uernacula pro mortua iudicanda eſt. 27. 28.
latina incrementa ſua diminutionesq. ſenſit. 44.

Lingua dum exoritur tam elegans non eſt quam exculta. 44.
quaeuis, dum creſcit. ex alienis in ciuitatem adſcribere poteſt formulas. 71.
Lingua latina inopia non laborat. 72.
Lingua nulla eſt, quae non aliquam ſaltim cum aliis habeat conuenientiam. 91. 92.
Latine ſine exercitatione non diſcitur. 461.
Lipſius (Iuſt.) amat flexione antiquata uerba. 48.
ideo uapulauit eruditis. 49.
delectatur elliptico dicendi genere. 111.
Ciceronem imitatus eſt primum, ut oſtendit Kromaierus. 112.
laconico ſtilo ſtuduit. 300.
epiſtolae eius miſcellaneae. 442.
nullam ſtatuit imitationem auctorum. ib.
Lithocomi (Ludou.) grammatica. 328.
Litterarum conlocatio apta ſuauitat.ling.adfert 125.
auctores de hac re. 126.
Litterarum comprehenſiones longae tardum quid ſignificant. 128. 129.
Liuius (T. Patauin.) quando uixerit? 364.
quo ſtilo uſus ſit? 254.
editiones eius. 365.
cur legendus? 419.
Locus communis quomodo tractandus? 524. 525.
Logices cultioris cognitio ſtili cultoribus maxime commendanda. 99.
Longinus (Dionyſ.) περὶ ὕψους. 183. 261 265.
abuſum figurae περιφράσεως docet. 184.
Loewius (Io. Adam) quis? 24.
edidit Poſneri de ſtili cultura commentat. 23.
iudicium de eius praefatione. 24.

Longitudo membrorum orationem efficit ſublimem. 263.
Lubini (Eilhardi) antiquarius. 46.
quid praeſtiterit? quid peccarit? 47.
eius paraphraſis in Horatium. 475.
Lucanus (M. Annaeus) quis? 375.
quando uixerit? 375.
eius libri X. de pugna pharſalica. 376.
Luciani ſententia de ſelectu uerbor. in hiſtor. 306.
de numero hiſtorico. 310.
Lucii (Lud.) aerarium, ſ. theſaurus ling. lat. 339.
quid praeſtiterit. 345.
Lucretius (Tit. Car.) propter obſoleta obſcurus 109.
quando uixerit? 365. 366.
quos in ſcriptis ſequatur? 366.
eius ſtilus. 109.
quaedam obſoleta. 110.
Lycurgus atticus. 292.
Lyſias atticus. ibid.
de eo Quinctiliani iudicium. 293.
a Cicerone laudatur. 294.

M.

M. littera durior, inſeruit magnificis rebus et grandibus. 125.
Macrobius (Ambroſius Aur. Theod.) quis? 400.
quando uixerit? eius comment. in ſomnium Scipionis et conuiuia ſaturnalia. 400.
Magiſtri priuati. 3.
Maioragii commentarius ad Ariſtotelem. 196.
quo modo ſtilo aſiatico uſus? 289.
Mammertinus (Claud.) panegyriſta qualis? 380.
Manilius (M.) quis? quando uixerit? 369.
eius aſtronomicon. 370.

Mancinellus (Ant.) Italus, grammaticus primus poſt renatas litteras. 324.
Manutii (Aldi) orthographiae ratio. 118.
grammaticae inſtitutiones. 324.
purae, elegantes et copioſae latinae linguae phraſes. 353. 354.
Marcellus grammaticus. 31.
Marcellinus (Ammian.) quis? 396.
quando uixerit? ibid.
eius hiſtoria et ſtilus. ibid.
metaphoras longe petitas habet. 169.
Marquardi philoſophia rationalis. 99.
recenſio libri. 99. 100.
Martialis (M Valer.) quis? 386.
quando uixerit? ibid.
epigrammata qualia? ibid.
a rebus turpibus duxit translationes 166.
Maſenius (Iac.) quis? 8.
eius palaeſtra ſtili romani. 8. recenſetur. 9.
fontes argutiarum detexit. 310.
de legendis auctoribus ſententia. 409.
Medicinae ſtudioſis quinam auctores commendandi. 424.
Meieri (Sebaſt.) nomenclator. 351.
Mela u. *Pomp. Mela.*
Melanchthon (Philipp.) grammaticus germanicus. 2. 327.
udicium de *Apuleio.* 106.
grammatica latina. 329.
theologiae ſtudioſis commendandus. 421.
Membratim dicere quid? 198.
Membrorum breuitas impedit perſpicuitatem. 110.
Menecles ſtilo aſiatico clarus. 283.

Menelaus quis in dicendo? 299.
ab Homero laudatur. ibid.
Metaphorae origo qualis? 162.
Ciceronis iudicium de ea. ibid.
translationem Cicero nominauit. 163.
quid ſit? eiusque differentia. ibid.
cautiones quaedam circa illas uide translationes, 164. ſeqq.
Metaphoris longe petitis ſcriptores obſcuri redduntur. 104. 164.
quinam auctorum hoc oſtendant. 165.
Metonymia cur inuenta? 170.
ſpecies illius. 171.
nonnullae loquutiones metonymicae comprobatae adhibentur. ibid.
a quibus eius modi conlectae? 171. 172.
Metri leges tyranni uerborum. 69.
μικροπρεπὲς. 275.
Mileſius Aeſchines quare notandus. 283.
Minutius uide Felix.
Miri (Erdm.) elegantiae latinitatis non commendantur. 148.
Molon rhodius praeceptor Ciceronis. 283.
Monoſyllaba quid efficiant? 128.
Monoſyllaborum continuatio quid? 129.
Merelli lexicon quale? 347.
Morhofius (Georg. Dan.) quis? 28. 35.
eius polyhiſtor. 29.
de pura dictione latina. 35. 36. 76. 87.
quinam ediderit hunc libellum. 36.
recenſetur. 36.
uituperat Flori ſtilum poëticum. 70.
de ratione conſcribendarum epiſtolarum. 287.

lau-

laudat grammaticos Hiſpanos. 325.
de imitandis auctoribus. 460.
de ſtilo circumducto. 287.
Morum doctrina ex quibus auctoribus addiſcenda? 426. 427.
Mosheim (Io. Laur.) quis? 36. 59. 61.
edidit Morhofiana. 36.
eius ſtilus. 244.
ſtili mediocri uſus in hiſtoricis. 254.
in orationibus ſtilus? 255.
theologiae ſtudioſis commendatur. 421.
Muhlius theolog. ſtudioſis commendatur. 421.
Muretus non commendandus propter ſtilum aſiaticum. 289.
Mythologiae ſtudium quando neceſſarium 438. 439

N.

N. littera tinnulum ſonat. 125.
Naeuius (Cn.) quis? 45.
Natalis comitis mythologia. 439.
Naucrates. 122.
Nazarius panegyriſta uetus. 380.
Nemeſianus (M. Aur. Olymp.) quis? 391.
ſcripta eius et ſtilus. 391.
Nepos (Corn.) quando uixerit? 364.
proprietatis laudem meruit. 105.
ſtilus 245. editiones. 364.
ſtilo rhodio uſus. 291.
maxime commendatur. 416.
Nebrisſenſis (Ael. Ant.) Grammat. Hiſpanus. 325.
Ant. de le Brixia alias dictus. 325.
Neubaueri lexicon. 347.
Neukirch (Beniam.) optime ſcripſit de epiſtolis 498.
Nieuporti ritus populi romani. 439.

Nizolii (Marii) adparatus latinae loquutionis. 35. 343.
index huius libri quid contineat? 35.
iudicium de hoc opere. 41. 343.
lexicon. 345.
Noltenius (Io. Frid.) quis? 39.
eius lexicon latinae linguae antibarbarum. 39. 76. 88. 349.
iudicium auctoris noſtri de eo. 40. 41.
recenſio libri. 40.
editio noua. 40. 41.
Nomenclatores utiles ſunt. 350.
quinam auctores ſcripſerint nomenclatores? 350. ſeqq.
eorum uſus. 357.
Noriſii tabula piſana. 118 119.
Nouis rebus noua imponenda ſunt nomina. 59.
quando hoc neceſſarium? 59.61.
quae cautiones hic obſeruandae? 62.65. 66.
Numatianus (Claud. Rutil.) quis? 392.
quando uixerit? ib.
itinerarium de reditu ſuo. ib.
Numerus ſtili, quibus ſuauis fluat? 131.
Numerus oratorius quid? ib.
aurium iudicio relinquendus. 131. 132.
Fabii ſententia de his. ib.
auctoris noſtri iudicium. 131. 132.
quinam auctores de eo legendi? 132.
unde diſcatur? 131. 133.
Cicero primus inter latinos illum animaduertit. 132.
efficit orationis ſublimitatem. 263.
commendatur. 133.

re-

regulae quaedam de eo. 133. ſeqq.
Numerus excelſae orationis? 263.
Nunneſius. 144.

O.

O littera magnarum, ſubtilium, et inexſpectarum rerum eſt. 127.
Obliqui caſus orationem inchoant. 149.
Obſcuritas latini ſermonis unde? 108. 109.
Obſequens (Iul.), quis fuerit et quando uixerit, non conſtat. 391.
fragmentum libri de prodigiis. ib.
Obſoletis abſtinendum uocabulis. 108.
ex obſoletis uocabulis periodus compoſita adducitur. 108.
Olympius uide Nemeſianus.
Omeiſii mythologia. 439.
ὀνόματα σύνθετα commendat Demetrius. 272.
ὀνοματοποιία. 274.
cautiones a Demetrio datae. 274.
Oratores philoſophis poſtponendi. 412.
ad poëtarum ſtilum accedunt. ib.
Oratio uerſa ſummum ſermonis ornamentum. 194.
Oratorius ſtilus. 244. 315.
Ciceronis ſententia de hoc. 316.
Orationes hodiernae quotuplices? 244.
illarum diuerſus ſtilus. ib.
quinam auctores de his legendi? ib.
Oratio grandis, quaenam? 260.
abuſi ſunt grandi oratione qui? 261.
auctoris ad Herenn. definitio. ibid.
auctores de hoc legendi. 262.
Oratio ſublimis. 260. circumducta. 264.
Oratio quo modo imitanda. 450.

in argumentis. 451.
in diſpoſitione. 451 452.
in eloquutione partium. 455.
quomodo elaboranda. 511.
genera cauſſar. tria hodie locum non habet. 512.
diuiſio in declamationes et panegyricos. 512.
declamationum tractatio. 512. 513.
panegyricorum. 522.
Ordinis adcurati in ſcribendo neglectio impedimentum perſpicuitatis. 98.
quo modo remouend. hoc impedimentum? ib.
auctores boni ordinis. 99 ſeqq.
Ordo uerborum in latina lingua non eſt liber. 102.
quinam obſeruandus. 103.
facit ad ſublimitatem. 268.
Ornatus linguae latinae neceſſarius eſt. 146.
grammaticus. 146.
quid ſit? 146. 437.
ſcriptores de ornatu grammatico. 147.
regulae quaedam grammaticorum. 148.
rhetoricus, quid ſit? 146. 161.
continetur tropis et figuris. 162. ſeqq. 175. ſeqq.
ex periodis oriundus. 146. 192.
ſimplex naturali ſermonis pulcritudini adiungendus. 161.
Ouidius (P. Naſo) quando uixerit? 368.
ſcripta eius. 369.
translationes duxit a rebus turpibus. 166.
libri triſtium, et de ponto elegiae, iuuentuti commendantur. 428. 429.
heroidum et amorum non, cur? 429.
ὀξύμωρον quid? 187. exempla illius. 188.
graeci ſcriptores eo eleganter uſi ſunt. ib.

P.

P.

Pacuuius (M.) 45.
Palearius (Aonius) commendatur. 410.
Panegyrici quomodo elaborandi. 522.
definitio. ib.
differentia ratione tractationis. 523.
apparatus eſt neceſſarius. 524.
quo modo tractatio ſuſcipienda. 524. ſeq.
auctores recentiores optimi. 526.
Panegyriſtae ueteres. 380.
Panegyricus ſtilus qualis eſſe debeat? 253.
παρωνομασία quid? 179.
exempla illius. ib.
παραδιαστολὴ quid? 184.
definitio ab auctore ad Herennium. ib.
diſtinctio a Quinctil. uocatur. ib.
exempla. 184. 185.
Paraphraſis. 470. 486.
praecepta eius unde ſumenda. 471.
quotuplex. ib.
exemplum ſimplicis. 472.
praecepta copioſioris. 473.
exemplum copioſioris. 475.
ſententia Fabii 473.
auctores optimi. 474.
Parei lexicon lucretianum. 356.
Parentheſes crebrae uitandae. 114.
Quinctil. ſententia de iis. 114. 115.
quo modo facile deuitentur. 114.
Participiorum uſus. 153.
de eo regula. 153. ſeq.

Particularum uſus genuinus apud ueteres et recentiores. 115. 116.
ſine iis oratio ieiuna eſt. ibid.
auctores qui de iis ſcripſerint ? ibid.
uſus ex ciceronis lectione conligendus. 116.
earum utilitas. 144. ſeqq.
Particulae connectendi neceſſariae. 201. 202.
Paterculus uide *Velleius*.
Pedes in numero. 263.
quinam efficiant orationem ſublimem. 264.
Pediani (Aſcon.). 31.
commentarii in Ciceronem num ſufficiant 423.
Peregrinae uoces euitandae. 43. 108.
περιαγωγὴ quid ? 265.
Pericles a Cicerone laudatur. 296.
Periodus ambitus uel comprehenſio adpellatur paſſim. 137. 195.
auctores, qui de periodis conſcribendis ſingulatim praeceperint. 194.
περίοδος, qui hoc uocabulo uſi ? 195.
uariae illius adpellationes. ibid.
Ariſtotel. et Cicer. definitiones periodi. 196.
adtributiones ex definitione fluentes. 197.
Periodus ſimplex eſt et compoſita. 200.
μονόκωλος quid ? ibid.
compoſita quot habeat membra ? 201.
πρότασις et ἀπόδοσις. 201.
Hermogenes iis uſus. ibid.
ἀρχὴ καὶ τελευτή. ibid.
antecedens et conſequens. ibid.
δίκωλος, τρίκωλος, τετράκωλος. 202.
Ciceronis ſententia de compoſitis. ibid.

ἰσο-

ἰσόκωλος. 203.
ἄνισος quid? ibid.
μακρόκωλος. 204.
βραχύκωλος. ibid.
τρίκωλος. 204.
ἰσόπλευρος, ἰσοσκελής. 204.
τετράκωλος elegantiſſima habetur Ciceroni et quid? 206. 209.
uaria genera quadrimembrium periodorum. 207. ſeq.
non debet pluribus quam 4. membris conſtare. 207.
περιοδικὸν quid? 213.
Demetrii Phaler. ſententia. ibid.
Periodi compoſitae ex diuerſitate particularum nomina accipiunt diuerſa. 218.
cauſalis, eius forma. 219.
particulae. 220.
comparatiua, eius particulae. 221. 222.
conditionalis. 222.
exempla. 223.
particulae. 224.
conceſſiua. forma eius. 225.
particulae. ibid.
exempla. 226. 227.
copulatiua eiusque ſtructura. 227.
particulae. 228.
disiunctiua. ibid.
particulae. 229. ſeq.
uſus periodorum. 230.
in hiſtoriis. 308.
Ciceronis et Demetrii Phaler. de hac re iudicia. 231.

Pe-

Periodorum imitatio. 446. 447.
quid hic obſeruandum? 447.
analyſis neceſſaria. 447. 448.
exempla analyſeos. 448.
geneſis. ibid.
exempla. 449. 450.
περίφρασις quid? 182. 283.
Fabii ſententiae de ea. 182.
Longini. 183.
exempla. 182. 183.
Perizonius Sanctii mineruam obſeruationibus auxit. 325.
Perotti cornu copiae. 339.
Perſius quis? quando uixerit? 369.
eius ſatyrae quales? 377.
cur obſcurus? 109.
quinam illi lucem accenderint? 109. 110.
ſtudioſus ellipſium. 111.
Hieronymi ſententia de eo. 377.
Perſpicuitas ſermonis quid? 95.
eſt uirtus ſtili hiſtorici. 304.
Fabii ſententia de ea. 97.
Ciceronis mens de eadem. 98.
Perſpicuitatis impedimenta. 97. ſeq.
quid cauendum? 108.
Petronius (T. Arbiter) quis? 376.
quando uixerit? ibid.
eius ſatyra qualis? ibid.
eius ſententia de ſtilo aſiatico. 282.
Phaedrus (Tit.) quis? quando uixerit. 369. 371.
eius fabulae aeſopicae laudantur. 371.
fata earum. 371. 372.
proprietatis laudem meruit. 105.

pue-

pueris praelegendus cur? 417.
Philippi (Io. Ern.) quis? 417. 418. 459.
Ciceronis eloquentiam deſtructum iuit. 418. 504.
eius liber, cui titulus: *Cicero ein Windbeutel, Charletan und Rabuliſt* cet. 418.
Philoſophicus ſtilus qualis eſſe debeat? 311.
eius uirtutes generales 311.
ſpeciales. 312. ſeq.
quem ornatum debeant ſequi. 313. 314.
quale integrum orationis corpus eſſe debeat. 314.
ſententia Ciceronis. 314. 315.
Philoſophi uocum curam habere debent et cur? 312.
uerbis propriis uti debent. ib.
Philoſophi translationes uocum cauere debent. ib.
effictio uerborum nouorum uitio illis non uertitur. 313.
Philoſophorum ueterum ſcribendi ratio. 312. 314.
Ciceronis de ſtilo philoſophico ſententia. 315.
Philoſophis hiſtoriei cur praemittendi? 412.
Philoſophiae ſtudioſis quinam auctores commendandi. 425.
Philoſophicae uoces ex Cicerone diſcendae. 63.
Phraſes quinam conlegerint? 352. ſeqq.
uſus illarum. 357.
Phalereus uide *Demetrius.*
Pithoeus produxit Phaedri fabulas. 371.
τὸ πλάγιον quid? 276.
Planudis metaphraſis graeca Caeſaris. 364.
uita Aeſopi. 490.
Plato concurſum uocalium non fugit. 268.
Plautus quando uixerit? 359. 360.
editiones. 360.

un-

unde obſcurus? 109.
obſoleta quaedam ex eo adnotata. 110.
eius ſtilus. 244. 359. 360.
uſus eſt uocibus dithyrambicis. 273.
cur iuuentuti commendandus? 430.
Plexiacus (nomen fictum) uoces philoſophicas apud Ciceronem occurrentes cum barbaris commutauit. 63.
eius lexicon philoſophicum. ib.
Plinius (C. ſecundus) quis? quando uixerit? 378.
eius hiſtoria mundi naturae indagatoribus commendatur. 425.
ſtilus qualis? ib.
Plinius (C. Caecil. Secund.) quis? 380.
quando uixerit? ib.
eius panegyricus et epiſtolae. ib.
ſtudioſus ellipſium. 111.
ideoque obſcurus. ib.
epiſtolae quo ſtilo conſcriptae? 237. 297. 291.
eius querela de Aſianorum uolubilitate. 284.
ſtilo ſublimi uſus in panegyrico. 278.
cur legendus? 419.
πνεῦμα quid? 199. 214.
ab Hermogene definitur 214.
Poëtarum labores laudantur. 428.
quinam ex illis iuuentuti commendandi? 428. 429.
Poëtae proſaicis poſtponendi. 428. 411.
Poëticus ſtilus. 412.
Poëticarum phraſium uſus. 69.
compoſitio et conſtructio audacior ob metrum. 70.
licentia in tropis. ib.

Fa-

Fabii ſententia de ea. 71.
Poëtica magnificentiae gratia adhibenda, ſed caute. 278.
Politiani (Angel.) epiſtolae. 411.
nullam ſtatuit imitationem, illum refutauit Corteſius. ib.
Pollio (Trebell.) et ſcripta eius. 393.
πολυσύνδετον. 267.
Pomey pantheon mythicum. 439.
Pomponius Mela quis? 377.
quando uixerit? ib.
de ſitu orbis eleganter ſcripſit. ib.
Pontani (Iac.) ſtilus. 243.
conlegit elegantias ex Celſo. 424. 425.
recenſio libri. 30.
de uſu antiquae loquutionis. 46.
recenſentur libri. 47. 48.
Poſnerus (Io. Caſp.) quis fuerit. 23.
commentatio de ſtili latini cultura. 24.
utrum luce digna. 24. eius ſtilus. 254. 255.
Praſchius (Ioh. Lud.) de barbariſmis. 76.
Praeciſio quid? 273. 275.
Praecepta ſtili ſunt generalia. 5.
quinam eius modi dederint. 6 ſeqq.
Praepoſitiones quaedam caſui ſuo eleganter poſtponuntur. 158.
non negligendae ſunt. 435.
Prideaux (Humphr.) marmora oxonienſia. 118. 119.
Priſca uocabula reiicienda. 42.
Priſcianus grammaticus antiquus. 319. 322.
eius ſcripta recenſentur. 320.
ſeueras leges de latina lingua tulit. 321.
Programmata quo ſtilo conſcribenda? 243. 255.
qui-

quinam iuſtum obſeruauerint ſtil.? 243. 255.
Pronominum uſus quis? et poſitus. 156. 157.
Propertius (Sext. Aurel.) unde natus. 367.
ſcripta eius. ibid.
Propoſitio quid? 455.
eius adprobatio, adſumtio. ib.
Propoſitiones incidentes. 150.
Proprietatis ratio habenda eſt. 104.
ſubſidia ad hanc rem. 105.
laudem quinam ex ueteribus meruerint? ib.
ſcriptores. 106.
Proſaici poëtis praemittendi. 428.
Proſopopoeia ab hiſtorico abſit. 307.
Prouerbia ornant et quando? 190.
quid ſint, docet Syneſius. ib.
auctores huc ſpectantes. 190. 191.
Prudentius (Aurel. Clem.) quis? 399.
quando uixerit? ib.
eius carmina recenſentur. ib.
τὸ ψυχρὸν, frigidum, unde oriatur et quid ſit? 259.
quinam frigide ſcripſerint. 260.
Pueri quomodo inſtituendi in ſtudiis grammaticis. 462.
rhetoricis. 467. ſeq.
Pueritiae uocibus uocabula uirilis aetatis poſtponere iniuſtum. 44.
ad *Pueritiam* latini ſermonis quinam ſcriptores referendi? 44. 45.
Puſendorfius morum ſtudioſis commendandus. 385.
Puritas latini ſermonis quid? 25.
hoc uocabulum propter perſpicuitatem retinetur. 27.

auctores de puritate. 28. ſeqq.
contraria puritati. 42. ſeqq.
Putſchius (Elias) auctores antiquos Grammaticae latinae conlegit. 319.
catalogus Grammaticorum, quos habet. 322.

Q.

Quinctilianus (M. Fabius) quis? 381.
quando uixerit? ib.
eius XII. libri de oratoria inſtitutione, aureum opus. 381.
editiones optimae. 381.
egit de litterarum natura. 126. 127.
ſyllabarum compoſitione iuſta. 129.
de metaphoris continuandis ſententia. 168.
loquutiones quasdam metonymicas et ſynecdochicas tamquam probatas adhibuit. 171. 173.
de periodis. 195.
ſententia de ſtilo aſiatico. 282.
defenſor Ciceronis. 124. 284.
de ſtilo attico mens. 293.
de numero hiſtorico. 309.

R.

R. littera canina, rebus aſperis exprimendis commoda eſt. 125.
Ratichii methodus inſtitutionis. 410.
Rau (Ioach. Iuſt.) de philoſophia Lactantii. 422.
Redtelius (M. Fried.) quis? 9.
eius collegium ſtili quale? 9. 10.
recenſetur, et ſpecimen eius ſtili datur. 9. 10. 11.
Regreſſio quid Fabio? 178.
Reinhardi (Laurent.) iudicium de Heineccii fundament. ſtil. 18.

huius ſententiae emollitio. 19.
qualis uir ? ib.
inſtitutiones ſtili latini. 22.
noua editio. 23.
eius ſtilus qualis ? 22.
docentibus magis quam diſcentibus commendandae ſunt eius inſtitutiones. 22.
recenſentur. 23.
eius ſententia de legendis auctoribus claſſicis. 409.
imitationes in Nepotem et Caeſarem commendantur. 445.
Rebus quo modo efficiatur oratio grandis ? 269.
adcommodanda ſunt uerba. ib.
Res magnae ſunt partim diuinae partim humanae. 270.
Reuſchii ſyſtema logicum. 99.
recenſetur. 100.
ſtudioſis philoſophiae commendatur. 99.
Reyheri (Andr.) regulae latini ſermonis elegantioris generales. 148.
rhetorica practica. 247. 460.
theſaurus ſermonis latini. 339. 346.
Cellarii et Iunckeri opera in illum. 347.
Rhenii (Ioa.) methodus inſtitutionis quadruplex. 410.
interpretationes auctorum. 464.
Rhetores in figuris amplificandis nimii ſunt. 175.
Rhetoricarum figurarum uariatio. 467.
Rhodius ſtilus. 289.
eius hiſtoria et definitio. 289.
Ciceronis et Fabii de eo iudicia. 289. 290.
quinam auctores eo uſi ? 291.

ado-

adoleſcentibus familiaris eſſe ſolet. 301.
Riccius (Bartholom.) phraſes et dicendi formulas conlegit. 353.
recenſetur eius liber. 353. 354.
Richterus (Adam Daniel) quis? 30.
edidit et ſuppleuit Popmam non optime. 30.
Romani ſermonis ſcriptores ſecundum aetates cur diſpeſcantur? 64.
Roſini antiquitates romanae. 439.
Ruaeus (Carol.) eius Virgilius. 475. 476.
iudicatur de eius paraphraſi. 471. 475.

S.

S. littera ſibilum concitat. 125.
Salluſtius quando uixerit? 363. editiones. ibid.
ſtilo attico ſtuduit. 295.
Thucydidem exprimere quaeſiuit. 297.
Salmaſii ſententia de legendis auctoribus claſſicis. 409.
Salutationes barbarae uitandae. 464.
Sammonicus (Q. Serenus) quando uixerit? 391.
eius carmen heroicum cet. 391. 392.
Sanctius, ſ. Sanchetz (Franc.) quis? 325.
eius minerua. 325.
eam Sciopp. commendat. 326.
Perizonius obſeruationes adiecit. ib.
Sarbieuius. 310.
Sartorius (Ioa.) 190.
chiliades adagiorum. 191.
Scaliger (Iul. Caeſ.) quis? 324.
de cauſſis linguae latinae. ibid.
Scaliger (Iuſt. Ioſeph.) 319.
edit. Verrii. 321.

Schaeuii mythologia. 439.
Scheſſerus (Ioh.) 3.
eius liber de ſtilo, illiusque exercitiis. 3. 6. 7.
quis ille? 6. 7.
gymnaſium ſtili. ib.
cur laudandus. ib.
admiſit uoces barbaras. 7.
libri eius non perfecti. ib.
recenſetur liber de ſtilo. ib.
eius ſententia de lectione auctorum claſſicorum. 409.
Schemata ſ. figurae. 175.
efficiunt ſublimitatem. 267.
Schoenslederi (Wolfgangi) adparatus eloquentiae. 141. 142. 355.
in ſcribendo ſingularem uſum praebet. 357.
Schori (Anton.) phraſes linguae latinae. 353. ſeq.
de ratione diſcendae docendaeque linguae latinae et graecae. 410.
Schurtzfleiſchii ſtilus. 255. 278.
laudatur ob grauitatem. 278.
analecta ſtili recenſentur. 19.
Schwartzii opera in Turſellinum. 116.
grammatica. 331.
recenſetur. 332. ſeq.
Schwartziorum ſtilus. 244. 254. 255.
Scioppius (Gaſp.) criticus. 28.
eius obſeruationes in Voſſium. 28. 29.
oratio de ueteris ac nouae grammaticae latinae origine cet. 326.
grammatica philoſophica. 329.
conſultationes de ſcholarum et ſtudiorum ratione cet. 408.

Sco-

Scoriae non pro gemmulis reputandae, multo minus imitandae, ſed notandae. 67.
quinam eas indicarint. 68.
Scribendi ratio ueterum qualis? 118.
quinam auctores hac de re legendi? 119.
Scriptores aureae et argenteae aetatis non plane immunes ab erroribus fuerunt. 67.
romani maxime ſibi cauerunt a graecis uocabulis. 71.
rei ruſticae, naturae indagatoribus commendantur. 245. 425.
Seneca (M. Annaeus) quando uixerit? 373.
ſcripta eius recenſentur. 374.
obſcurus propter ellipſes. 111.
attico ſtilo ſtuduit. 297.
Seneca (L. Ann.) quis? quando uixerit? 374.
ſcripta eius recenſentur. ib.
opuſcula philoſophica morum ſtudioſis commendantur. 427.
utitur epiphonematibus. 277.
Seneca tragicus quis fuerit? diſputatur. 375.
eius 10. tragoediae. 375.
Sententiae acutiores uide γνῶμαι. 192.
iis uti poteſt orator. ib.
Sermonis et ſcribendi finis quis? 96.
Sermo fuſus recte ſe habens quis? 194.
Seruius commentator Virgilii. 31. 175.
Seueri (Sulpic.) ſcripta. 401.
ſtilus qualis? 401. 422.
theologiae ſtudioſis commendatur. 422.
Seyboldi (Georg.) adagia ſelectiora. 190.
de eo auctoris noſtri iudicium. 191.
officina uirtutum notatur. 462.

Siberi lexicon quale? 347.
gemmae gemmarum. 352.
Sidonius (C. Sollius Apollinaris) quis? 401.
quando uixerit? ibid.
eius ſtilus et ſcripta. ibid.
Signa diſtinguendi minus recte poſita obſcurant ſermonem. 117. ſeq.
Sigonius ſtilo aſiatico uſus. 289.
Silius Italicus quis? 383.
eius poëma heroicum de bello punico ſecundo quale? ibid.
Similitudines ſtilo ſublimi quaenam conueniant? 276.
in chriis requiruntur. 491.
illius partes. ibid.
Sinceri (Eman.) Cornelius. 416.
Sinceritas ſtili attici uirtus. 295.
Singularis pro plurali. 173.
Sleidani ſtilus. 254.
Sleuogtius. 347.
morum ſtudioſis commendatur. 427.
Soloecismi cauendi. 43. 86.
quid inter barbariſmum et ſoloeciſmum interſit? 86.
Soloecismus uerus et adparens. 88. quid? ib.
adducuntur ſoloeciſmi utriusque generis. ib.
de origine Walchius ſcripſit. 86. 87.
cur hodie tot ſoloeciſmi legantur? 87.
Soluta uerba quaenam ſint. 273.
Solutio carminis. 471.
Sonnet gallicum, quomodo latine uertendum? 66.
Soſipater u. *Chariſius.*
Spartanorum ingenia qualia? 298.

De-

Demetrii iudicium de iis. 298.
aliorum iudicia. 299.
oratores nullos habent. 298.
eorum ſermo conciſus. 298.
exemplum adducitur. 299.
Spartianus (Aelius) uitas imperatorum conſcripſit. 392.
hic, Capitolinus et Lampridius unus eſſe dicuntur a Chriſtio. 392.
Spieſſeri lexicon quale. 347.
Starckius. 13.
Statius (Caecilius) quis? 45.
Statius (P. Papinius) quis? 384.
quando uixerit? 384. 385. ſcripta eius. 385.
Steinbachii (Chriſtoph Ernſt.) *vollſtändiges teutſches VVörter-Buch cet.* 347.
opera eius laudatur. 348. 349.
Stephanus ſcriptorum, qui ad pueritiam latini ſermonis referuntur, fragmenta conlegit. 45.
Stephani (Roberti) dictionarium. 339. 340.
Stewechius de particulis latinae linguae commendatur. 115. 117.
Stili uox metaphorica. 2.
uſus apud antiquiores. ibid.
ſignificatio apud recentiores. 3.
praecepta quinam dederint. 6. ſeqq.
in *ſtilo* diſcendo praeceptore opus eſt. ibid.
quid tractandum. 1.
Stili et eloquentiae differentia. 4.
facultas quaedam datur generalis. 4. 5.
uaria genera recenſentur. 232.
tenuis fuit ſubmiſſus, ſubtilis, adtenuatus, humilis a ueteribus dictus. de eo uariorum ſententiae. 233.
ſiccus. euitandus. ibid.
de illo Cornificii et Demetr. Phaler. ſententiae. 234.
tenuis quid? ibid.
regulae de illo 235.
requiſita ſunt puritas. ibid.
perſpicuitas. 236.
elegantia. 237.
ornatus. ibid.
numerus. 239. 240.
prudentia. 241.

ſubtilis ſententias amat. 241.
Ciceronis et Ariſtotelis ſententiae pro illo. ibid.
Demetrii Phalerei ſententia contraria reiicitur. ibid.
quando tenui ſtilo utendum? 242.
in epiſtolis. ibid.
in dialogis. 243.
in programmatibus. ibid.
in diſſertationibus. 244.
in orationibus ſcholaſticis. ibid.
in hiſtoriis. 245.
auctores qui uſi ſunt hoc ſtilo. 244. ſeqq.
mediocris. 245.
temperatus ac modicus, aequabilis, medius, floridus, interiectus, intermedius alias dicitur. 246.
fluctuans ac diſſolutus. 246. 247.
uariae de hoc auctorum ſententiae. ibid.
quid ſit? Ciceronis definitio. 247.
quid in illo obſeruandum? 248.
debet eſſe purus. ibid.
ſelectus. ibid.
ſuauis. 249.
γλαφυρὸς. 250. ſententioſus. 252.
ubi mediocris adhibendus? 252. ſeq.
in panegyricis. 253.
in hiſtoriis. 253. 254.
in epiſtolis. 254.
in programmatibus. 254. 255.
in orationibus. 255.
in biographiis. ibid.
quinam illo uſi? 254.
ſublimis, grandis, ualidus, robuſtus, uehemens, copioſus, ornatus, excelſus, magnificus. 256.
frigidus ei opponitur. 257. 258.
exemplum ſtili frigidi. 258.
fontes frigidi. 259.
ſublimis quid ſit? 260.
unde ſtilus fiat ſublimis. 262.
compoſitione, ibid.
et quidem membrorum longitudine. ibid.
numero. 263.
ora-

oratione circumducta, 264.
δυσφωνία. 266.
ordine uerborum. ibid.
figuris et ſchematibus, 267.
concurſu uocalium. 268.
rebus. 269.
quomodo hoc capiendum. ibid.
ſunt diuinae et humanae. 270.
uerbis. 271.
et quidem translatis. 271. 272.
compoſitis, 272. 273. ſolutis. 273.
nouiter excogitatis. 274. allegoricis. ibid.
praeciſis. 275. iteratis. ibid.
caſibus inflexis. 276. ſimilibus. ibid.
epiphonematicis. 277. poeticis. 278.
perfectisſimus dicendi character dicitur ſublimis. 257.
quinam eo uſi? 278. aſiaticus, 281.
Cicero huius facit mentionem. ibid.
non probatur a multis. ibid.
quid ſit? 284. ſeqq. plura loquitur quam cogitat. 285.
utitur ſynonymicis formulis. ibid.
inluſtrationibus copioſis. 285. 286.
figuris inflatis, 286. periodis amplis. ibid.
numero maiore, ibid. circumductus, copioſus. 287.
de iis iudicia, 287. 288. ubi adhibendus. 288.
rhodius, 289. uide *Rhodius.*
atticus. 291. uide *Atticus.*
laconicus. 298. qui illo uſi? 298. ſeq.
ubi adhibendus? 298.
regulas de illo qui reliquerint? 301.
Stilus quis cuique colendus. 301.
philoſophicus. 302. uide *Philoſophicus.*
hiſtoricus. 302. 303. hiſtoricus, uide *Hiſtoricus.*
epiſtolicus, dialogicus. 302.
poëticus. 302. oratorius. 315.
Stollius (Gottlieb) 360.
eius introductio in hiſtoriam litterariam. ibid.
aufrichtige Nachricht von dem Leben, Schrifften und Lehren der alten Kirchen-Väter. 390.

Straebeus (Iac. Lud.). de uerborum electione et conlocatione oratoria. 126.
de litterarum natura, 126. de uocalium ſono. 127.
Stubelius edidit lexicon Baſ. Fabr. 106.
Sturmii (Ioh.) opuſculum epiſtolarum Ciceronianarum commendatur iuuentuti. 415. ſententia de periodis. 209.
Suantenii ſtilus. 255.
Suauitas linguae latinae. 121.
Cicero ob eam commendatur. 122.
unde originem traxerit? ibid.
quo modo illa ſentienda? 124.
quid illam promoueat? 125.
tribus partibus abſoluitur. 124. ſeqq.
litteris. 125. ſyllabis. 128. uocibus. 130. ſeqq.
Subſcribendi litteris ratio. 465.
Suetonius (C. Tranquill.) quis? 386.
quando uixerit? et ſcripta eius. ibid.
ſtilus uere hiſtoricus. 245. 420.
Sulpicia, quae? 386.
eius ſatyra de reip. corrupto ſtatu. ibid.
Superlatiui digniores comparatiuis. 131.
iis elegantisſime finiuntur periodi. 154.
Suſannaei (Hubert.) connubium aduerbior. Ciceron. 141. 144.
Suſii (Nicol.) lima Ciceroniana. 195.
Syllabarum iuſta compoſitio efficit ſuauitatem. 128.
Syllabae breues quid efficiant? 128. 129.
Syllabae eiusdem iteratio frequens uitanda. 130.
auctoris ad Herenn. hac de re ſententia. ibid.
Syllogismus oratorius. 455. quomodo imitandus. 456. 457.
Syluii (Franciſc.) progymnaſmata. 148. ſeqq.
Symmachus (Q. Aurel.) quis? 397.
quando uixerit? ibid. eius epiſtolae quales? ibid.
Synecdoche cur inuenta? 172. ſpecies illius uariae. 173.
Synecdochicae loquutiones nonnullae uſu receptae et comprobatae uidentur. 172.
Syneſii ſententia de prouerbiis. 190.
Synonyma conligenda ſunt. 434.
a ſe inuicem ſeiungenda. 30.
συντομία quid efficiat? 275. quo modo uſurpanda? ibid.

Syrbii

Syrbii ſtilus in programmatibus. 255.
philoſophiae ſtudioſis commendandus. 427.

T.

Tacitus (G. Cornel.) quis? quando uixerit? 381.
eius ſcripta recenſentur. 381. 382. editiones. 382.
obſcurus propter ellipſes. 111. ſtilus. 254. 305.
cur legendus? 420. acumine ſe inſigniuit. 310.
τάσις quid? 215. ſeqq.
Taubmanni coniectura de Cicerone. 61.
commentarius in Plautum optimus habetur? 360.
Terentius (P.) quis? quando uixerit? 360.
eius ſtilus. 244. editiones. 360.
quando iuuentuti praelegendus? 430.
Tertullianus (Q. Septim. Florens) chriſtianus ſcriptor quando uixerit? 390. ſcripta eius qualia? ibid.
Teſtimonium pars chriae. 494. exempla illius. 495.
Theon ſophiſta. 481.
primus regulas de chriis dedit. ibid.
eius de chriis et ſententiis mens. 481. 482.
Theologiae ſtudioſis quinam auctores commendandi? 421.
Thema orationis, quomodo inueniendum? 467.
Theophraſtus. 241.
Theopompus, de eo Demetrii et Ciceronis iudicia. 269.
Theſaurus fontes ſermonis acuti detexit. 310.
Thomae (Hieronymi) auctarium ad Auſon. Popmae libros de differentia uerborum. 30.
utrum opus perfectum reddiderit? ibid.
Thomaſius (Gottfr.) medicinae ſtudioſis commendandus. 424.
Thuanus, quo ſtilo uſus fuerit? 254.
Thucydides concurſum uocalium cum cura ſequitur. 268.
ſtilo attico excellit. 292. 294. 297.
Tibullus (Albius). 366. ſcripta et editiones. 367.
Torrenii (Abrahami) Valerius Maximus. 373.
Translatio. 161.
metaphora ſic nominatur a Cicerone. 163.
Translationes ex rebus turpibus non ducendae ſunt. 166.
Ciceronis hac de re ſententia. 166.
quinam auctores hic notandi? 166. ſeqq.
Translationes frigidae. 164.

Trans-

Translationes duriores emolliendae ſunt formulis, 167.
auctores, qui formulas iſtas dederint? 167. ſeq.
Translationis nomini uerbum adcommodandum. 168.
Quinctiliani et aliorum hac de re iudicia. 168.
quid in continuatione translationum cauendum? 169. 272.
earum uſus in hiſtoriis non abundans eſſe debet. 306.
Luciani ſententia. ibid.
Translationes 463.
germanicae cur et quando ſuſcipiendae. ibid.
duplicis ſunt generis. 463. ſtrictior. 464. liberior. 465.
quid in iis cauendum. 464.
latinae quando ſuſcipiendae. 466.
quid nam cum illis coniungendum. ibid.
Trapezuntii (Georg.) libri rhetorici. 126. 195.
Tropi ad palliandos ueterum errores in proſa adhibiti uidentur. 161.
poëſi magis proprii ſunt. 161. illorum ſpecies. 162. ſeqq.
Troporum coaceruatio perſpicuae dicendi rationi obeſt. 103.
Ciceronis monitum. 104. et Fabii. 104. 105.
Turnebus (Adrianus). 319.
Turſelinus (Horat.) de particulis latinae linguae. 115.
Schwartzius eum librum quam optime edidit. 116.
Tympleri ſyſtema rhetoricum. 195.

V.

V, littera eſt obſcurarum et occultarum rerum. 127.
Valerius Maximus quando uixerit? 370.
eius libri IX. dictorum factorumque memorabilium. 373.
utrum adhibuerit uoces minus latinas? 65.
ſtilus eius frigidus eſt, cur? 277.
Valerius (M. Flaccus) quis? 384. quando uixerit? 384.
eius argonauticon elegantiſſimum. 384.
Valkenaerii diſputatio de uera ratione informandae pueritiae ad elegantiam et caſtitatem latini ſermonis. 38.
Valla (Laurent.) quis? 31.
eius libri VI. elegantiarum linguae latinae. ibid.
eius aliae obſeruationes recenſentur. 31. 32.
epitaphium ei ob nimium in latinarum negligentiam literarum feruorem poſitum. 32.
Variatio grammatica neceſſaria eſt. 462. 468.
quo modo inſtituenda. 337. 432. 462. 465.

rhe-

rhetorica per figuras. 467. *characteris.* 479.
Varro (Terent.) grammaticus antiquus, de latina lingua, 319.
rei ruſticae ſcriptor quibus commendandus? 426.
Vbbonis Emmii iudicium de ſpartanorum arte oratoria, 300.
Vegetius Renatus (Flauius quis) ? 397.
eius epitome inſtitutorum rei militaris? 397.
ſtilus qualis? 397.
Velleius Paterculus (P.) quis? 370. 372.
quando uixerit? et eius hiſtoria romana. 372.
utrum commendandus. 372. ſtilus qualis. 254.
Ventzkii (Georg) *proſaiſche accentuation der Hebreer,* 120.
Verba
ad eorum ſignificationes proprias inueniendas media. 105.
ſimiliter cadentia fugienda, 130.
extrema cum ſequentibus primis ſaepius obſcenum quid conſtituunt. 129.
Ciceronis iudicium de his. 129. 130.
regendi quo modo ponenda? 154.
Verborum ordo ſublimitatem prodit, 266.
Verba, qualia ſublimi ſtilo conueniant? 271.
Ciceronis ſententia de illis. ibid.
nouiter excogitata quo modo et quando adhibenda? 274.
ſoluta. 273. allegorica. 274. praeciſa, 275.
iterata. 275. inflexa caſibus. 276. ſimilia. ibid.
epiphonematica. 277. poetica. 278.
Demetrii cautiones de ὀνοματοποιΐα. 274.
Verdrieſius philoſophiae ſtudioſis commendandus. 425.
Vernulaeus de eloquentia. 195.
Verrepaeus (Sim.) grammaticus belga, 327.
recenſentur eius ſcripta. 327. 328.
Verrius Flaccus grammaticus antiquus. 319.
ex ſcriptis eius reliquiae ſuperſunt, earum editor quis? 321.
de uerborum ſignificatione. 319. 338.
Verſus in numero oratorio uitandi, 138. 139.
exempla quaedam. 139.
Victor (S. Aurel.) quis? 394.
quando uixerit? ibid. eius ſcripta ibid.
Virgilius Maro (P.) quis? 367.
uita et opera eius. 367. editiones. 368.
eius parentheſes. 115. ſuauitatis ſtudioſus. 126.

litteras apte conlocauit, 126. 127.
eius Georgica naturae indagatoribus commendantur. 425. 426.
bucolica iuuentuti cur commendanda. 429.
Vitarum deſcriptiones quo ſtilo conſcribendae? 253.
quinam auctores hic legendi? 255.
Vitruuius Pollio (M.) quando uixerit? 365.
ſcripta et ſtilus eius. ibid.
Vlneri (Herm.) phraſium elegantisſimarum copioſa ſuppellex. 353. 356.
Vocabula priſca recte deuitantur, 43.
temere innouata reiicienda. 43. 59. 108.
gentium quarumdam, quae dignitatibus exprimendis adplicantur, ſtili puritati contrariantur. 94.
exempla huius generis, 95.
Vocabulorum honeſtas, qua in re lateat? 166.
Buchneri ſententia hac de re. ibid.
Vocabulum illud, quo rei inuentor uſus eſt, retinendum, quando? 66.
aſper concurſus reddit hiulcam orationem, 127. 128. 268.
Ciceronis ſententia hac de re. 128.
auctoris ad Herennium eadem de re iudicium. ibid.
Vocalium natura et poſitus. 127.
concurſus aſper uitandus. 127. 128. quando quaerendus, 268.
Ciceronis et auctoris ad Herennium ſententiae. 128.
Vocandi caſus ubi interſerendi? 148.
Voces nouae in ſacrarum rerum deſcriptione adhibentur. 61.
dignitatum adhibentur. 62.
philoſophicae apud Ciceronem. 63.
Vocis uſurpatio in natiua ſua notione multum confert ad perſpicuitatem, 104.
illa eſt quaerenda, 105.
ultimae finis, ne ſit initium ſubſequentis cauendum. 130.
Vocum iuſta compoſitio ſuauis. 130. 131.
Voces rerum naturae conuenientes ſeligendae. 131.
dithyrambicae et poëticae cur cauendae? 272.
quis auctorum iis uſus, 273.
Vockerodti ſtilus in dedicationibus. 254.
Vogelmanni (M. Georg.) elegantiae latini ſermonis. 148. 438.
Voigt (Gothfr.) indices VI. latinitatis corruptae et incorruptae, 37. 76. 87. 349.

quid

quid in iis monendum? 37. recenſentur, ibid.
Volſci notae in Perſium. 110.
Vopiſcus (Flau.) quis? 393.
quando uixerit? et eius ſcripta. 393.
Vorſtius (Ioh.) quis? 32.
de latinitate falſo ſuſpecta. 32. 33.
de latinitate merito ſuſpecta. 32. 33. 61. 76. 87.
de uitiis latini ſermonis, quae uulgo non animaduertuntur. 32. 33.
de latinitate ſelecta et uulgo fere neglecta. 32. 33. 43. 106.
recenſetur liber ultimus. 34.
Voſſius (Ger. Io.) grammaticus Belga. 327.
eius induſtria ſedula in latin. ling caſtu reducendo laudatur. 28.
eius liber de uitiis ſermonis latini. 28. 75. 76.
recenſetur. 77.
Scioppii cenſuram effugere non potuit. 28.
Morhofio ſeſe non penitus commendauit. 28. 328.
eius oratoriae inſtitutiones. 169. eius Ariſtarchus? 328.
Vrſinus (Georg. Henric.) quis? 330.
eius opus grammaticum laudatur. ibid.

W.

VValchii (Io. Georg.) hiſtoria critica latinae linguae. 2. et paſſim.
recenſetur. 21. 22.
quae notauerit in ueterum auctorum ſcriptis? 69.
ſtilus eius. 244. 254. 255.
diſſertatio de Lactantio et eius ſtilo. 396.
ſententia de legendis auctoribus. 409.
theologiae ſtudioſ. commendatur. 421.
VVedelius medicinae ſtudioſis commendatur. 424.
VVeinrich (Ioh. Mich.) quis? 12.
eius *erleichterte Methode die humaniora mit Nutzen zu treiben*. 13.
quid in eo notandum? 13. recenſetur. 13.
VVeiſii (Chriſt.) *curieuſe Gedancken von deutſchen Brieffen*. 119.
ſententia de legendis auctoribus. 409.
praecepta de chriis non laudantur. 482.
VVeismanni lexicon quale? 347.
VVeisſius (Chriſt. Henr.) quis? 14.
de ſtylo romano libri V. 14. recenſentur. 14. 15. 16.
quid in libello deſiderandum. 14.
de ordine conlocationis uerborum. 102.

VVerns-

Wernsdorff (Gottlieb) ſtilo tenui uſus in ſcriptis. 244.
theologiae ſtudioſis commendatur. 421.
Wolfii vernünfftige Gedancken von den Kräfften des menſchlichen Verſtandes. 59.
Wucherer philoſophiae ſtudioſis commendatur. 425.

X.

Xenophon ſtilo attico excellit. 292.

Y.

ὑπερβολὴ quid? 260.

Emendanda quaedam.

p. 2. u. 7. et 17. loco *media* lege *ſubſidia*. p. 16. u. 2. a fine *cui* lege *cur*. p. 61. u. 10. *BECHMANNVS* lege *BECMANNVS*. p. 88. u. 11. *ad hoc* l. *ad hunc*. p. 103. u. 4. *plena* l. *plana*. p. 105. u. 9. *mediis* l. *ſubſidiis*. p. 147. u. 1. *cultu* l. *culto*. p. 158. u. 2. *donum* l. *domum*. p. 179. u. 5. l. παρωνομασία. p. 181. u. 17. poſt *medius* pone *fidius*. p. 232. u. 5. a fine l. *ſit*. p. 266. u. 15. συνθέσεως. p. 267. u. 19. poſt *refertur* adde ἀνθυπαλλαγὴ. p. 275. u. 12. ἀποσιωπήσει. p. 281. u. 19. *Spartani*. p. 296. u. 1. l. *quaerunt*. p. 302. u. 3. *ſpeciatim*. p. 329. u. 6. a fine pro *ut* lege *ubi*. p. 336. u. 1. *iuſtius*. p. 355. u. 11. a fine dele uoces *et merito*. p. 373. u. 3. VALERIVS. p. 468. u. 3. a fine lege *ſummo*. p. 481. u. 8. a fine poſt uerbum προσώπῳ adde haec παράκειται δ᾽ αὐτῇ γνώμη. p. 502. u. 3. a fine lege *qua*.

Digitized by Google

00.5655780